BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX

FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÉGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.

PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

IMPRIMÉ PAR DIDOT.

SECONDE SOUSCRIPTION.

1837

PARIS,

ON SOUSCRIT CHEZ M. EHRMANN,

RUE DE LULLI, N° 1, PLACE DE L'ANCIEN OPÉRA.

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Jules RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OPERA OMNIA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Jules RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OPERA OMNIA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS,
VIA JACOBÆA, N° 24.

M. T. CICERONIS

PARS QUARTA

SIVE

EPISTOLARUM OMNIUM LIBRI

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LE CLERC

RECENSITI

CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN TERTIUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVIII

ARGUMENTUM

LIBRI OCTAVI.

Scriptæ sunt libri hujus epistolæ, consulibus item L. Cornelio Lentulo et C. Claudio Marcello; continentque historiam dierum XVI, Pompeii videlicet, Pompeianorumque trepidationem: curam in delectu habendo: gesta a Cæsare in Piceno, et in Pelignis ad Corfinium; Domitii, Domitianorumque deditionem; sollicitudinem Ciceronis, aut potius æstum, Atticum consulentis, si Pompeius Italia excedat, quid sibi faciendum sit, navigandumne cum illo, an in suis prædiis manendum: et multa in utramque partem disputantis.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD ATTICUM
LIBER OCTAVUS.

EPISTOLA I.

De epistola a Pompeio accepta, suisque ad eum responsis; præterea de actis Pompeii sibi valde displicentibus. (Formiis, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Quum ad te literas dedissem, redditæ mihi litteræ sunt a Pompeio. Cetera de rebus in Piceno gestis, quæ ad se Vibullius scripsisset; de delectu Domitii; quæ sunt vobis nota; nec tamen tam læta erant in his literis, quam ad me Philotimus[1] (ipsam tibi epistolam misissem; sed subito fratris puer proficiscebatur: cras igitur mittam) : sed in ea Pompeii epistola[2] erat in extremo, ipsius manu : « Tu, censeo, Luceriam

1. Sch. dedit « Philot. scripserat », et « in his literis » omittit, ut a glossatore profectum. J. V. L.

2. *Pompeii epistola.* Est illa brevis epistola quæ infra legitur VIII, 11, et eum ea ad Atticum missa est. Ita fere Sch. sed J. V. L. putat hanc epistolam non exstare. Verba quidem differunt. In ep. quæ undecimæ adjuncta est, legitur « Censeo ad nos Luceriam venias, etc. » Credibile est Pompeium, ut Ciceronem ad se acciret, plures ad eum epistolas dedisse, quarum una superest. Ed.

venias; nusquam eris tutius». Id ego in eam partem accepi; hæc oppida, atque oram maritimam illum pro derelicto habere : nec sum miratus, eum, qui caput ipsum [3] reliquisset, reliquis membris non parcere. Ei statim rescripsi, hominemque certum misi de comitibus meis, non me quærere, ubi tutissime [4] essem; si me vellet sua, aut reipublicæ causa Luceriam venire, statim esse venturum : hortatusque sum, ut oram maritimam retineret, si rem frumentariam sibi ex provinciis suppeditari vellet. Hoc me frustra scribere videbam. Sed uti in Urbe retinenda tunc, sic nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam. Sic enim parari video, ut Luceriam omnes copiæ contrahantur; et ne is quidem locus stabilis [5]; sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga. Quo minus mirere, si invitus in eam causam descendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæsita sit umquam, sed semper flagitiosæ et calamitosæ fugæ. Eundum; ut, quemcumque fors tulerit casum, subeam potius cum iis, qui dicuntur esse boni, quam videar a bonis dissentire. Etsi propediem video bonorum, id est, lautorum et locupletium [6], Urbem refertam fore; municipiis vero his relictis, refertissimam. Quo ego in numero essem, si hos lictores molestissimos [7] non haberem. Nec me M'. Lepidi, L. Volcatii, Serv. Sulpicii comitum pœniteret [8]; quorum nemo nec stultior est, quam L. Domitius, nec inconstantior, quam

3. *Caput ipsum.* Romam. Sch.

4. Alii, *tutissimo.* J. V. L.

5. Ernest. mallet, *stabilis sit.* J. V. L.

6. *Lautorum et locupletium.* Qui vel Pompeii partes deserent et in Urbem, Cæsari conciliati, redibunt, vel jam antea cum Cæsare conjuncti per eum ditescent. Sch.

7. *Lictores molestissimos.* Quibuscum Romam nisi triumphans introire non poterat. Nondum igitur ejus spem et cupiditatem abjecerat. Sch.

8. *Pœniteret.* Mallem, inquit, habere comites reditus in Urbem Lepidum, Volcatium, Sulpicium, quam comites fugæ ex Italia cum Pompeio

App. Claudius. Unus Pompeius me movet, beneficio, non auctoritate. Quam enim ille habeat auctoritatem in hac causa, qui, quum omnes Cæsarem metuebamus, ipse eum diligebat? postquam ipse metuere cœpit, putat omnes hostes illi oportere esse? Ibimus tamen Luceriam; nec eum fortasse delectabit noster adventus. Dissimulare enim non potero, mihi, quæ adhuc acta sunt, displicere. Ego si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem. Tu, si tibi eadem causa est, me remunerere[9] sane velim.

L. Domitium Ahenobarbum et Appium Claudium: quorum alterius stultitia notatur, alterius inconstantia, de qua conferatur Cœlius, lib. VIII. Popma.

9. *Remunerere.* Non minus longis epistolis. Manut.

EPISTOLA II.

Rationem consiliorum suorum defendit, et cur putet sibi in Italia manendum exponit. (Formiis, an. U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Mihi vero omnia grata; et quod scripsisti ad me, quæ audieras; et quod non credidisti[1], quæ digna diligentia mea non erant; et quod monuisti, quod sentiebas. Ego ad Cæsarem unas Capua literas dedi, quibus ad ea rescripsi, quæ mecum ille[2] de gladiatoribus[3] suis egerat, breves, sed benivolentiam significantes, non modo sine contumelia, sed etiam cum maxima laude Pompeii[4]. Id enim illa sententia postu-

1. *Non credidisti.* Nempe Atticus audierat Ciceronem in tuendo munere, quod subierat, parum diligentem fuisse. Sch.

2. *Ille.* Cæsar scilicet. Ed.

3. *Gladiatoribus.* Quos Pompeius binos singulis patribusfamilias distribuerat. Ep. 14, lib. VII. Manut.

4. *Sed etiam cum maxima.* Edd. pr. « cum hujus maxima laude Pompeii ».

labat, qua illum[5] ad concordiam hortabar. Eas si quo ille misit, in publico proponat velim. Alteras eodem die dedi, quo has ad te. Non potui non dare, quum et ipse ad me scripsisset, et Balbus. Earum exemplum ad te misi. Nihil arbitror fore, quod reprehendas. Si qua erunt, doce me, quo modo ea effugere possim[6]. Nihil, inquies, omnino scripseris. Qui magis effugias eos, qui volent fingere? Verumtamen ita faciam, quoad fieri poterit. Nam quod me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, scriptorum etiam meorum; facis amice tu quidem, mihique gratissimum : sed mihi videris aliud tu honestum meque dignum in hac causa judicare, atque ego existimem. Mihi enim nihil ulla in gente umquam, ab ullo auctore reipublicæ ac duce, turpius factum esse videtur, quam a nostro amico factum est : cujus ego vicem doleo; qui Urbem reliquit, id est patriam, pro qua, et in qua mori præclarum fuit. Ignorare mihi videris, hæc quanta sit clades. Es enim etiam nunc domi tuæ. Sed, invitis perditissimis hominibus, esse diutius non potes. Hoc miserius, hoc turpius quidquam? vagamur egentes cum conjugibus et liberis. In unius hominis, quotannis periculose ægrotantis, anima positas omnes nostras spes habemus, non expulsi, sed evocati e patria; quam non servandam ad reditum nostrum, sed diripiendam et inflammandam reliquimus. Ita multi nobiscum[7] sunt, non in suburbanis, non in hortis, non in ipsa urbe; et, si nunc sunt, non erunt.

Sed forte tum delendum *Pompeii*, ut e glossa natum. J. V. L.

5. *Illum*. Cæsarem. MAN.

6. *Possim*. Vulg. «enim... possum?»

7. *Nobiscum*. Scil. ii qui cum Pompeio fugam capessiverunt, non manserunt in suburbanis, non in hortis, unde ob vicinitatem urbi succurrere possent; non in ipsa urbe (Roma); et si nunc sunt, h. e. si qui nunc Romæ remanserunt, non erunt, sed potius nos fugientes sequentur. ED.

Nos interea, ne Capuæ quidem, sed Luceriæ : et oram quidem maritimam[8] jam relinquemus; Afranium exspectabimus, et Petreium[9]. Nam in Labieno[10] parum est dignitatis. Hic tu in me : Illud des, id feras[11]. Nihil de me dico; alii viderint. Hic quidem[12] quæ est? Domi vestræ estis, et eritis omnes boni. Quis tum se mihi non ostendit[13]? quis nunc adest hoc bello? sic enim jam appellandum est. Vibullii res gestæ sunt adhuc maximæ. Id ex Pompeii[14] literis cognosces : in quibus animadvertito illum locum, ubi erit διπλῆ[15]. Videbis, de Cnæo nostro ipse Vibullius quid existimet. Quo igitur hæc spectat oratio? ego pro

8. *Oram maritimam.* Intellige mare inferum, vel Tyrrhenum. Ed.

9. *Afranium et Petreium.* Pompeii in Hispania legatos. Corr.

10. *Labieno.* De quo Lucanus, Pharsal. V, 345 : « Fortis in armis Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis ». Corr.

11. *Illud des, id feras.* His verbis Cicero, tamquam ex Attici persona, sibi ipsi objecit elegans proverbium, quo monebatur, ut honorificentius, quam modo fecerat, loqueretur de Labieno, in quo dixerat parum esse dignitatis; si quidem ipse vellet alios de se cum laude loqui. Sensus est : Hoc loco tu mihi objicies proverbium illud, « si aliquid dederis, id quod dederis accipies ». Itaque quia dixi parum esse dignitatis in Labieno, futurum est ut Labienus ipse, et alii mihi par pari referant, dicantque dignitatem in me quoque desiderari. Verum sit necne aliquid in me dignitatis, aliis judicandum relinquo. Nihil enim de me dico. Meminit hujus proverbii, aut certe alterius huic similis, Donatus ad eum locum Phormionis, *quod ab ipso allatum est, id sibi relatum putet. Proverbium*, inquit, *est. Quod dedit, recepit.* Huc spectat illud Homericum Iliadis, XX, 250 : Ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις. Bosius. — J. V. L. putat fragmentum esse comœdiæ veteris. Sic apud nos : « C'est un prêté rendu ». Ernestius fatetur se non intelligere. Schütz. minus feliciter conjicit : « Hic tu in me idem illud desideras ». Ed. — Hujus annotationis utilitatem intelligent facilius, qui scierint, in aliis editionibus hoc fuisse : « Hic tu in me illud desideras ». Homericum, qui huc a Bosio adducitur, versum sic reddidit Franc. Odinus : « Voce feris alios, ferieris et ipse vicissim ». Olivet.

12. *Hic quidem.* J. V. L. intelligit in omni Italia, in universa rep. Ed.

13. Tunstall. p. 63, conjicit, « Quis istim se mihi nunc ostendet? » Omnino « nunc » accipiendum.

14. *Pompeii literis.* Ad Pompeium missis : ut ep. 23, lib. VII : « Cassii literæ ». Man.

15. Διπλῆ. Genus notæ. Vide Menagium ad Diog. Laert. III, 66. Sic dicta quia duplici linea formaretur. Vid. Isid. Etymol. I.

Pompeio lubenter emori possum; facio pluris omnium hominum neminem : sed non ita uno in eo judico[16] spem[17] de salute reipublicæ. Significas enim aliquanto secus, quam solebas : ut etiam Italia, si ille cedat, putes cedendum. Quod ego nec reipublicæ puto esse utile, nec liberis meis; præterea neque rectum, neque honestum. Sed cur[18]? poterisne igitur videre tyrannum? Quasi intersit, audiam an videam, aut locupletior mihi sit quærendus auctor, quam Socrates; qui, quum xxx tyranni essent, pedem porta non extulit. Est mihi præterea præcipua causa[19] manendi : de qua utinam aliquando tecum loquar! Ego XIII kalend. quum eadem lucerna hac epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam, Formiis ad Pompeium, si de pace agetur, profecturus[20]; si de bello, quid ero[21]?

16. Alii, « positam nunc in eo non judico »; alii, « non ita tamen in eo judico spem salutis repositam »; alii aliter. J. V. L.

17. *Spem.* Supple *positam :* aut lege, « sed non sitam uno in eo, etc. »

18. *Sed cur.* Ἀποσιώπησις : sed cur ita existimem, nunc taceo, et tibi judicandum relinquo. Bosius. — Quæ sequuntur, fortasse scripserat ad Ciceronem Atticus. Ed.

19. *Præcipua causa.* Timebat scilicet, ne, si abiret ab Italia longius, rem familiarem male curaret sua conjux, cui parum confidebat, et deinceps expertus est non bonam matremfamilias : quod declarabunt libri XI epistolæ. Mong.

20. *Profecturus.* Ita Man. et Lamb. Alii *præfectus*, et omittunt *eram.* Deinde habent *videro* pro *quid ero?* quod Sch. explicat : Quo munere fungar? quæ pars imperii bellici mihi demandabitur? Ed.

21. Alii, *videro.* Hic aliquid incerti est. J. V. L.

EPISTOLA III.

Quærit, utrum, si Pompeius Italia cedat, ipse maneat; an Pompeium sequatur: et utriusque consilii momenta exponit. Denique quæ, dum hæc scriberet, ipsi de Cæsare et Domitio nuntiata sint, refert. (In Caleno, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Maximis et miserrimis rebus perturbatus, quum coram tecum mihi potestas deliberandi non esset, uti tamen tuo consilio volui. Deliberatio autem omnis hæc est : si Pompeius Italia cedat, quod eum facturum esse suspicor, quid mihi agendum putes; et quo facilius consilium dare possis, quid in utramque partem mihi in mentem veniat, explicabo brevi. Quum merita Pompeii summa erga salutem meam, familiaritasque, quæ mihi cum eo est, tum ipsa reipublicæ causa me adducit, ut mihi vel consilium meum cum illius consilio, vel fortuna [cum fortuna[1]] conjungenda esse videatur. Accedit illud : si maneo, et illum comitatum optimorum et clarissimorum civium desero, cadendum est in unius potestatem; qui, etsi multis rebus significat se nobis esse amicum, et, ut esset, a me est (tute scis) propter suspicionem hujus impendentis tempestatis multo ante provisum, tamen utrumque considerandum est, et quanta fides ei sit habenda; et, si maxime exploratum, eum nobis amicum fore, sitne viri fortis et boni civis, esse in ea urbe, in qua quum summis honoribus imperiisque usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplis-

1. Verba *cum fortuna* sunt e sola conjectura Malæspinæ. Itaque post Ernestium uncis includimus. J. V. L. —Sch. hæc recipit in textum. Ed.

simo præditus, non futurus sit sui juris, subeundumque periculum[2] sit, cum aliquo forte dedecore, quando Pompeius rempublicam recuperarit. In hac parte hæc sunt. Vide nunc, quæ sint in altera. Nihil actum est a Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter; addo etiam, nihil nisi contra consilium auctoritatemque meam. Omitto illa vetera, quod istum in rempublicam ille aluit, auxit, armavit; ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor; ille Galliæ ulterioris adjunctor; ille gener; ille in adoptando P. Clodio augur; ille restituendi mei, quam retinendi, studiosior; ille provinciæ propagator[3]; ille absentis in omnibus adjutor; idem etiam tertio consulatu, postquam esse defensor reipublicæ cœpit, contendit, ut decem tribuni plebis ferrent, ut absentis ratio haberetur: quod idem ipse sanxit lege quadam sua[4]; Marcoque Marcello consuli, finienti[5] provinciis Galliis[6] kal. mart. restitit. Sed, ut hæc omittam, quid fœdius, quid perturbatius hoc ab Urbe discessu, sive potius turpissima fuga? Quæ conditio non accipienda fuit potius, quam relinquenda patria? Malæ conditiones erant, fateor; sed num quid hoc pejus? At recuperabit rempublicam. Quando? aut quid ad eam spem est parati? Non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad Urbem? non pecunia omnis, et publica, et privata, adversario tradita? Denique nulla causa[7],

2. Al. *nomen futurus, subeundumque periculum*. Sic Gronov. eleganter satis ut Ernestio videtur. Maluimus cum Grævio veterem edd. lectionem sequi, cujus sensus optimus est. Non liberum se esse alibi dicit, idque in summo malo ponit. Ed.

3. *Propagator*. In quinquennium. Ep. 3 et 6, lib. VII. Corrad.

4. *Lege quadam sua*. Nempe ea, de qua Suetonius tradit, Cæsar. 28, lege de imperio magistratuum. Sch.

5. *Finienti*. Sua sententia, ad Div. VIII, ep. 8 et 13.

6. Al. *provincias Gallias*. J. V. L.

7. *Nulla causa*. Non quin esset honesta, sed quod male instituta, et eo deducta, ut parum spei esset reli-

nullæ vires, nulla sedes, quo concurrant, qui rempublicam defensam velint. Apulia delecta est, inanissima pars Italiæ, et ab impetu hujus belli remotissima; fuga et maritima opportunitas visa quæri desperatione. Invite cepi Capuam, non quo munus illud defugerem, sed sic ne causam [8], in qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor [9]; bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet; et, ut ipse sensissem [10], multitudo et infimus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi. Dixi ipsi, me nihil suscepturum sine præsidio et sine pecunia. Itaque habui nihil omnino negotii; quod ab initio vidi, nihil quæri præter fugam.

Eam [11] si nunc sequor, quonam? Cum illo non; ad quem quum essem profectus, cognovi in iis locis esse Cæsarem, ut tuto Luceriam venire non possem. Infero mari [12] nobis, incerto cursu, hieme maxima navigandum est. Age jam, cum fratre, an sine? cum filio, aut quo modo? In utraque enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. Qui autem impetus illius [13] erit in nos absentes fortunasque nostras? acrior, quam in ceterorum [14]; quod putabit fortasse, in nobis vio-

quum. Ad apparatum belli, non ad æquitatem respexit. Hoc paullo post dixit, « sine causa. Invite, inquit, cepi Capuam, quod propemodum causa esset deperdita, et plane nulla ». *Causæ* vero nomine partes intelligit, quo sensu Lucanus : « Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni ». MALASP.

8. Olim legebatur, « sed sine causa ». Debemus Bosio vulgatam nunc lectionem. In hac autem lectione, *sed sic ne causam*, Schütz. nullum aut ineptum esse sensum pronuntiat. Legendum statuit : *sed fide cassam*. ED.

9. *Privatorum dolor*. Indignatio e Cæsaris ausis. SCH.

10. *Sensissem*. Vidissem jam ante, quum in exsilium abire coactus essem.

11. *Eam*. Lamb. *eum*. Planius quidem : sed habent *eam*, teste Malaspina, libri MSS.

12. *Infero mari*. Tyrrheno. Si Brundisio solvisset, multo citius ac tutius in Græciam pervenisset. ED.

13. *Illius*. Nempe Cæsaris. ED.

14. *Quam in ceterorum*. Cicero enim et Q. fratres novi homines erant, et ideo majori invidiæ subjecti. ED.

landis aliquid se habere populare[15]. Age jam, has compedes, fasces[16], inquam, hos laureatos efferre ex Italia, quam molestum est? Qui autem locus erit nobis tutus (ut jam placatis utamur fluctibus), antequam ad illum venerimus? Qua autem, aut quo, nihil scimus.

At si restitero[17], et fuerit nobis in hac parte locus; idem fecero, quod in Cinnæ dominatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius, quoquo modo ea res huic quidem cecidit; qui tamen ita dicere solebat, se, id fore[18], videre, quod factum est; sed malle, quam armatum ad patriæ mœnia accedere. Aliter Thrasybulus[19], et fortasse melius. Sed est certa quædam illa Mucii ratio atque sententia; est illa etiam Thrasybuli[20]; et, quum sit necesse, servire tempori, et non amittere tempus, quum sit datum. Sed in hoc ipso habent tamen iidem fasces molestiam. Sit enim nobis amicus, quod incertum est: sed sit; deferet triumphum. Non acciperene periculosum[21] sit, an accipere invidiosum ad bonos? O rem, inquis, difficilem et inexplicabilem! Atqui explicanda est. Qui enim fieri[22] potest? Ac ne me existimaris ad manendum esse propensiorem, quod plura in eam partem verba fecerim:

15. *Populare.* Quod populo placeat.

16. *Fasces.* Cicero enim proconsul et imperator duodecim lictores habebat. Ed.

17. *Restitero.* Remansero. Man.

18. *Fore.* Ut occideretur in urbe, quod factum est jussu C. Marii junioris, consulis. Ed.

19. *Thrasybulus.* Atheniensis: qui armatus accessit ad patriæ mœnia, ut eam a triginta tyrannis liberaret. Man.

20. Alii, *Philippi.* J. V. L.

21. *Ne periculosum.* Videamus, ne, etc. — Hæc de triumpho acrius disserit IX, 2, ad Att. « Et de triumpho erit, inquis, integrum. Quid, si hoc ipso premar? Accipiam? quid fœdius? » Triumpho enim, quem unus civis decrevisset, pauca vel omnino nulla laus accedebat. Ed. — Ernest. putat Ciceronem scripsisse, « Non accipere, ne periculosum sit; accipere, invidiosum ad bonos », intell. *metuo.* Incerta res. J. V. L.

22. *Fieri.* Fortasse, *ferri.* Possumne ita suspenso esse animo? Sch. conj. « Qui enim aliter fieri potest », vel « Qui enim neutrum fieri potest ». Nem-

potest fieri, quod fit in multis quæstionibus, ut res verbosior hæc fuerit, illa verior. Quamobrem, ut maxima de re, æquo animo deliberanti, ita mihi des consilium velim. Navis et in Caieta [23] est parata nobis, et Brundisii.

Sed ecce nuntii, scribente me hæc ipsa noctu in Caleno, ecce literæ, Cæsarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu, et pugnare cupiente. Non puto etiam hoc Cnæum nostrum commissurum, ut Domitium relinquat: etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus [24] præmiserat; legionem Fausto [25] conscriptam, in Siciliam sibi placere a consule duci, scripserat ad consules. Sed turpe Domitium deserere erit, implorantem ejus auxilium. Est quædam spes, mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pyrenæo cum Trebonio [26] pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse [27] cum cohortibus: summa autem, Afranium cum magnis copiis adventare. Id si est, in Italia fortasse manebitur. Ego autem, quum esset incertum iter Cæsaris, quod vel ad Capuam, vel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeium misi et literas; ipse, ne quo inciderem, reverti Formias. Hæc te scire volui, scripsique sedatiore animo, quam proxime scripseram, nullum meum judicium interponens, sed exquirens tuum.

pe ut nec accipiam triumphum, nec non accipiam. Ed.

23. *In Caieta.* Caieta hic nomen est villæ Ciceronis in agro Caietano sitæ. Idcirco dixit, *in Caieta*, non Caietæ. Sic ep. 7, lib. XIV. Bosius.

24. *Cum cohortibus duabus.* Infra tamen Pompeius suis literis cohortes XIV legionarias Brundisium misisse significat. Ut non absurdum aut alienum videatur *legionibus* emendare. Malasp.

25. *Fausto.* Sullæ dictatoris filio.

26. *Trebonio.* Cæsaris legato. Corr.

27. *Transisse.* In castra Afranii. Man. — Hæc omnia falsa erant. Fabius quidem a Cæsare missus cum tribus legionibus, Pyrenæum transiit: sed verbum *transire* aliter intelligendum bene vidit Man. Ed.

EPISTOLA IV.

Dionysii erga se ingratum animum et superbiam queritur : pauca de rep. addit. (In Formiano, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Dionysius quidem tuus potius, quam noster, cujus ego quum satis cognossem mores, tuo tamen potius stabam judicio, quam meo, ne tui quidem testimonii [1], quod ei sæpe apud me dederas, veritus, superbum se præbuit in fortuna, quam putavit nostram fore; cujus fortunæ nos, quantum humano consilio effici poterit, motum ratione quadam gubernabimus. Cui, qui noster honos, quod obsequium, quæ etiam ad ceteros contempti cujusdam [2] hominis commendatio defuit? ut meum judicium reprehendi a Quinto fratre, vulgoque ab omnibus mallem, quam illum non efferre laudibus; Ciceronesque nostros meo potius labore subdoceri, quam me aliumvis magistrum quærere. Ad quem ego quas literas, dii immortales! miseram? quantum honoris significantes? quantum amoris [3]? Dicæarchum mehercule, aut Aristoxenum [4] diceres arcessi, non unum omnium loquacissimum, et minime

1. *Testimonii.* Jungi *vereor*, etiam cum patrio casu, vel Terentianum illud in Phormione declarat, act. V, sc. 6, 78 : « Neque hujus sit veritus feminæ primariæ ». Mal.

2. *Cujusdam hominis.* Sch. putat hanc lectionem veram non esse, et tollendum *cujusdam*. Quod si germanum esset, Cicero significaret se, Dionysii causa, contemptum hominem quemcumque commendari vellet, commendasse. Sed de Dionysio agi sequentia satis docent. Ego vero puto *cujusdam* per ἔμφασιν adjectum. Ed.

3. Ed. Rom. « quantam honoris significationem ? quantam amoris ? » quæ Ernestio magis placet. Ed.

4. *Aristoxenum.* Aristotelis discipulum : vitam Xenophili Pythagorici scripsit. Ejus exstant de musica libri tres. Athen. XIV; A. Gell. Noct. Att. IV, 11. Ed.

aptum ad docendum. Sed est memoria bona [5]. Me dicet esse meliore. Quibus literis ita respondit, ut ego nemini, cujus causam non reciperem. Semper enim, « si potero [6]; si ante suscepta causa non impediar ». Numquam reo cuiquam, tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negavi, quam hic mihi. Plane sine ulla exceptione præcidit. Nihil cognovi ingratius; in quo vitio nihil mali non inest. Sed de hoc nimis multa. Ego navem paravi: tuas literas tamen exspecto; ut sciam, quid respondeant consultationi meæ. Sulmone C. Attium Pelignum aperuisse [7] Antonio portas, quum essent cohortes quinque, Q. Lucretium inde effugisse, scis; Cnæum [8] ire Brundisium desertum. Confecta res est.

5. *Bona*. In literis. — *Meliore*. Memorem enim me hujus injuriæ sentiet.

6. *Si potero*. Respondit, *recipiam*, et est μίμησις, qua refert verba, quibus utebatur in respondendo. Corr.

7. *Aperuisse*. Cæsar tamen, lib. I de Bell. Civ. non Attium scribit aperuisse Antonio portas, sed ipsos Sulmonenses: Attium vero et Lucretium de muro se dejecisse: et hunc aufugisse: illum interceptum ad se deductum fuisse. Malasp. — Cæsar autem Attium incolumem dimisit. Ed.

8. Alii, « Cnæum ire Brundisium: Domitium desertum ». *Domitium* ab omnibus libris abest, quod tamen post Lipsium recipit Olivetus. — Quum enim alii subaudiendum esse dicant, id video fieri vix posse. Sed veteres, ut monet Lipsius, ejusmodi nomina priore aut altera litera adjuncta significare contenti erant. Itaque quum fortassis in Cicerone scriptum esset « Do. desertum », non intellectam vocem *Do*. librarius scriptor omisit. Quod proposuit Grævius, eodem plane redit. Oliv. — Locus est dubius. Vulgatam sequimur: sed temporum et historiæ ratio repugnat. Quum enim Antonius Sulmone potiretur, Brundisium nondum venerat Pompeius. Luceriæ vero morabatur: ex quo oppido se commovit, Brundisium versus, paullo ante quam de Corfinio et Domitio capto auditum esset. Unde ita constituit Sch. « Quo Cnæus noster? Brundisium aiunt. Domitium si deseruit, confecta res est ». Ed.

EPISTOLA V.

Dionysium ad se venisse scribit, epistolamque ad eum scriptam sibi ut Atticus referendam curet, petit: novi nihil esse quod scribat, ait, Tironemque Curio commendari vult. (In Formiano, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Quum ante lucem IIX kal. literas ad te de Dionysio dedissem, vesperi ad nos eodem die venit ipse Dionysius, auctoritate tua permotus, ut suspicor. Quid enim putem aliud? etsi solet eum, quum aliquid furiose fecit, pœnitere. Numquam autem certior[1] fuit, quam in hoc negotio. Nam, quod ad te non scripseram, postea audivi, a tertio milliario tum eum ῥίψαι[2]

Πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα·

multa, inquam, mala eum dixisse; suo capiti, ut aiunt. Sed o meam mansuetudinem! Conjeceram in fasciculum una cum tua vehementem ad illum epistolam: hanc ad me referri volo; nec ullam ob aliam causam Pollicem, servum a pedibus meis, Romam misi. Eo autem ad te scripsi, ut, si tibi forte reddita esset, mihi curares referendam; ne in illius manus perveni-

1. *Certior*. Certus hic est, quem Horatius vocat propositi tenacem. Bos. — Non est quod *tetrior* emendemus cum Sch. Ed.

2. Ῥίψαι. « Quum fureret, multa cornibus frustra in aerem projecisse ». Incertum est cujus sit auctoris. Videtur autem, quisquis ille fuit, furentem bovem describere voluisse, qui fenum, paleas, festucas, atque adeo arenam ipsam cornibus spargeret, sursumque jactaret. Ei Cicero Dionysium assimilat, qui ut ab ipso discesserat, multa in eum jecerat maledicta. Hoc sensu Catullus : « Nequidquam vania jactantem cornua ventia ». Ed.

ret. Novi si quid esset, scripsissem. Pendeo animi exspectatione Corfiniensi; in qua de salute reipublicæ decernitur. Tu fasciculum, qui est DES M'. CURIO inscriptus, velim cures ad eum perferendum [3]; Tironemque Curio commendes, ut ei, ut petii, si quid opus erit in sumptum, eroget.

3. *Perferendum.* Nempe Patras, ubi apud Curium Cicero Tironem ægrum reliquerat. Vide autem epist. ad Tironem. ED.

EPISTOLA VI.

Pompeii literarum ad consulem scriptarum exemplum Attico mittit; quartanam ab eo discessisse gaudet: addit pauca de Tirone. (In Formiano, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

OBSIGNATA jam epistola, quam de nocte daturus eram, sicut dedi [1] (nam eam vesperi scripseram), C. Sosius prætor in Formianum venit ad M'. Lepidum, vicinum nostrum, cujus quæstor fuit; Pompeii literarum ad consulem exemplum attulit.

« Literæ mihi a L. Domitio a. d. XIII kalend. mart. « allatæ sunt : earum exemplum infra scripsi. Nunc, « ut ego non scribam, tua sponte te intelligere scio, « quanti reipublicæ intersit, omnes copias in unum « locum primo quoque tempore convenire. Tu, si tibi « videbitur, dabis operam, quam primum ad nos ve- « nias; præsidii Capuæ, quantum constitueris esse « satis, relinquas. »

Deinde supposuit exemplum epistolæ Domitii, quod

1. *Sicut dedi.* Significat ep. præced. ED.

ego ad te pridie miseram[2]. Dii immortales, qui me horror perfudit! quam sum sollicitus, quidnam futurum sit! Hoc tamen spero, magnum nomen imperatoris fore, magnum in adventu terrorem. Spero[3] etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil mutasse : nec tegentia[4] hoc, quod quum fortiter et diligenter, tum etiam hercule. Modo enim audivi, quartanam a te discessisse. Moriar, si magis gauderem, si id mihi accidisset. Piliæ dic, non esse æquum[5], eam diutius habere, nec id esse vestræ concordiæ. Tironem nostrum ab altera[6] relictum audio. Sed eum video in sumptum ab aliis mutuatum. Ego autem Curium nostrum, si quid opus esset, rogaram. Malo Tironis verecundiam in culpa esse, quam illiberalitatem Curii[7].

2. *Miseram*. Fortasse per Pollicem servum. Ed.

3. Verba hæc, « Spero... hercule », mutila sane et corrupta sunt. Nequidquam se torquent viri docti. J. V. L.

4. *Nec tegentia*. Locus hic miserabiliter, inquit Victorius, lacer et divulsus est. Velle ex conjecturis illum restituere, mera est, Grævio judice, stultitia. Oliv. — J. V. L. hinc tantum elicit : non me piget nihil adhuc faciendum decrevisse : qui sensus mihi valde probatur. Ed.

5. *Non esse æquum*. Jocus est : quasi fuerit hoc in Piliæ manu, ut quartanam ipsa posset abjicere. Man.

6. *Altera*. Scil. quartana. Ed.

7. *Malo... Curii*. Quod Tiro ab aliis mutuatus est; fortasse ejus verecundia accidit, ut Curium appellare noluerit : certe id malim, quam Curium ei petenti negasse. Ed.

EPISTOLA VII.

Veretur ne Pompeius Domitium deserat, ejusque timiditatem et inertiam deplorat. (In Formiano, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Unum etiam restat amico nostro ad omne dedecus, ut Domitio non subveniat. At nemo dubitat, quin

subsidio venturus sit. Ego non puto. Deseret igitur talem civem, et eos[1], quos una scis esse? quum habeat præsertim et ipse cohortes xxx? Nisi me omnia fallunt, deseret. Incredibiliter pertimuit. Nihil spectat, nisi fugam : cui tu (video enim, quid sentias) me comitem putas debere esse. Ego vero, quem fugiam, habeo; quem sequar, non habeo. Quod enim tu meum laudas, et memorandum[2] dicis, malle, quod dixerim, me cum Pompeio vinci, quam cum istis vincere : ego vero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi esse videbatur; cum hoc vero, qui ante fugit, quam scit, aut quem fugiat, aut quo, qui nostra tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit, si malui; contigit; victus sum[3]. Quod superest, nec ista videre possum, quæ, numquam timui, ne viderem; nec mehercule istum[4], propter quem mihi non modo meis, sed memet ipso carendum est. Ad Philotimum scripsi de viatico, sive a Moneta[5] (nemo enim solvit), sive ab Oppiis, tuis contubernalibus. Cetera apposita tibi mandabo.

1. *Eos.* E quibus erat Lentulus Spinther consularis, plures senatores et multi equites. Ed.

2. *Memorandum.* Quod dictum tibi adeo placuit, ut mihi id in memoriam putares revocandnm. Sch.

3. *Contigit; victus sum.* Facetus locus : conjunctio verbi felicia significantis cum verbo nihil præter tristia innuente *victus sum.* Ed.

4. *Istum.* Sch. intelligit Cæsarem. Rectius J. V. L. Pompeium. Tunc enim Cicero cedere Italia volebat, non tamen ire ad Pompeium. Ed.

5. *Moneta.* Locus erat, ubi moneta cudebatur. Inde vult a Philotimo pecuniam sumi, tradito, quod etiam nunc solet, auro, argentove infecto. Manut. — *Nemo enim solvit.* Nempe ex iis, qui mihi debent. Ed.

EPISTOLA VIII.

Res a Pompeio imprudenter ac turpiter gestas exagitat. (In Formiano, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

O rem turpem, et ea re miseram! sic enim sentio, id demum, aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. Aluerat Cæsarem; eumdem repente timere cœperat; conditionem pacis nullam probarat; nihil ad bellum pararat; Urbem reliquerat; Picenum amiserat[1] culpa; in Apuliam se compegerat; ibat in Græciam; omnes nos ἀπροσφωνήτους[2], expertes sui tanti, tam inusitati consilii, relinquebat. Ecce subito literæ Domitii ad illum, ipsius ad consules[3]. Fulsisse mihi videbatur τὸ καλὸν[4] ad oculos ejus, et exclamasse ille vir, qui esse debuit,

Πρὸς τοῦθ' ὅ[5] τι χρὴ καὶ παλαμάσθων,
Καὶ πάντ' ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων·
Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ.

At ille tibi, πολλὰ[6] χαίρειν τῷ καλῷ dicens, pergit Brundisium. Domitium autem aiunt, re audita, et eos, qui una essent, se tradidisse. O rem lugubrem! itaque intercludor dolore, quo minus ad te plura scribam. Tuas literas exspecto.

1. An addendum *sua?* Ernest.

2. Ἀπροσφωνήτους. Insalutatos.

3. Malunt viri docti *consulem*, scilicet Lentulum. Sed, ut Ern. observat, ad consules scribit in republica, qui ad unum scribit. J. V. L.

4. Τὸ καλόν. Honestum.

5. Πρὸς τοῦθ' ὅ, etc. «Adversus hoc, quod opus est facto, et machinentur et fabricent quidvis in me: quod enim rectum est, a me stat.» Locus est Aristophanis in Acharnensibus, v. 659, sed paullo mutatis verbis.

6. Πολλά. Valeat honestum.

EPISTOLA IX.*

Epistolam suam ad Cæsarem defendit; Pompeii consilia reprehendit; quid Balbus minor secum loquutus sit, major autem scripserit, refert. (Formiis, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Epistolam[1] meam quod pervulgatam scribis esse, non fero moleste. Quin etiam ipse multis dedi describendam. Ea enim et acciderunt jam, et impendent, ut testatum esse velim, de pace quid senserim. Quum autem ad eam hortarer[2], eum præsertim hominem, non videbar ullo modo facilius moturus, quam si id, quod eum hortarer[3], convenire ejus sapientiæ dicerem. Eam si admirabilem dixi, quum eum ad salutem patriæ hortabar, non sum veritus, ne viderer assentari; cui tali in re lubenter me ad pedes abjecissem. Qua autem est[4], « Aliquid impertias temporis; » non est de pace, sed, de me ipso, et de meo officio[5], ut aliquid cogitet. Nam quod testificor, me expertem belli fuisse, etsi id re perspectum est, tamen eo scripsi, quo in suadendo plus auctoritatis haberem; eodemque pertinet, quod causam ejus probo[6]. Sed

* Hanc epist. doctiss. Rubienus, Suecus, judicavit in duas partes esse dividendam : quarum prior usque ad hæc : « quas visurum me postea desperavi », alio transferenda est, ut sit post undecimam libri noni. Hæc certe pars videtur scripta fuisse, quum Cæsar Brundisio rediret, reliqua vero quum Cnæus et Cæsar Brundisium peterent. Hoc tamen Schütz. neque notat, neque sequitur. Ed.

1. *Epistolam* ad Cæsarem de pace scriptam. Ed.

2. Alii, *hortabar.* Forte rectius.

3. Alii, ut Lallem. « ad quod eum hortarer ». J. V. L.

4. *Qua autem est.* Quod autem epistolæ meæ parte scriptum est id, quod sequitur. Corr.

5. *Officio*. In Pompeium. Ed.

6. *Probo*. Eum haud iniqua postulare concessi. Sch.

quid hæc nunc? utinam aliquid profectum esset! Næ ego istas literas in concione recitari velim; si quidem ille ipse[7] ad eumdem scribens in publico proposuit epistolam illam, in qua est, « pro tuis[8] rebus gestis amplissimis: » amplioribusne, quam suis, quam Africani? ita tempestas ferebat. Si quidem etiam vos[9] duo tales ad quintum milliarium: quid, nunc[10] ipsum, unde se recipienti? quid agenti? quid acturo? quanto autem ferocius ille causæ suæ confidet, quum vos, quum vestri similes non modo frequentes, sed læto vultu gratulantes viderit? Num igitur[11] peccamus? Minime vos quidem. Sed tamen signa conturbantur[12], quibus voluntas a simulatione distingui posset. Quæ vero[13] senatusconsulta video? Sed apertius[14], quam proposueram. Ego Arpini volo esse pridie kal. deinde circum villulas nostras errare, quas visurum me postea desperavi.

Εὐγενῆ[15] tua consilia, et tamen pro temporibus non incauta, mihi valde probantur. Lepido quidem (nam fere συνδιημερεύομεν[16]: quod gratissimum illi est) numquam placuit ex Italia exire, Tullo[17] multo minus. Crebro enim illius literæ, ab aliis ad nos commeant. Sed me illorum sententiæ minus movebant: minus multa dederant illi reipublicæ pignora. Tua mehercule au-

7. *Ille ipse*. Pompeius scilicet.

8. *Pro tuis*. Vid. lib. VII, ep. 24.

9. *Vos duo*. Tu, et Sex. Peducæus: qui Cæsari Romam venienti obviam prodire ad quintum milliarium cogitatis. MAN.

10. *Nunc ipsum*. Hoc ipso tempore. *Nunc ipsum* enim plus valet ad indicandum quam *nunc*. IDEM.

11. *Num igitur*. Ego, Atticus, etc.

12. *Conturbantur*. Quæ signa voluntatem a simulatione distinguerent, ea ita conturbantur hoc officio gratulationis, ut internoscendi facultas non detur. MAN.

13. *Quæ vero*. Video fore, ut SC. fiat, cujusmodi Cæsar voluerit.

14. *Apertius*. Supple, scribo.

15. Εὐγενῆ. Generosa, nobilia.

16. Συνδιημερεύομεν. Diem simul conterimus. Fere quotidie simul sumus. Erant enim vicini. ED.

17. *Tullo*. L. Volcatio Tullo, qui consul fuit cum M'. Æmilio Lepido.

ctoritas vehementer movet : affert enim et reliqui temporis recuperandi rationem, et præsentis tuendi. Sed, obsecro te, quid hoc miserius, quam alterum plausus[18] in fœdissima causa quærere, alterum offensiones[19] in optima? alterum existimari conservatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum? Et mehercule quamvis amemus Cnæum nostrum, ut et facimus, et debemus, tamen hoc, quod talibus viris non subvenit, laudare non possum. Nam sive timuit; quid ignavius? sive, ut quidam putant, meliorem suam causam illorum cæde[20] fore putavit; quid injustius? Sed hæc omittamus : augemus enim dolorem retractando.

vi kal. vesperi Balbus minor ad me venit, occulta via currens ad Lentulum consulem, missu Cæsaris, cum literis, cum mandatis, cum promissione provinciæ, Romam ut redeat; cui persuaderi posse non arbitror, nisi[21] erit conventus. Idem aiebat, nihil malle Cæsarem, quam ut Pompeium assequeretur; id credo: et rediret in gratiam, id non credo; et metuo, ne omnis hæc clementia ad unam illam[22] crudelitatem colligatur. Balbus quidem major ad me scribit, nihil malle Cæsarem, quam principe Pompeio sine metu vivere. Tu, puto, hæc credis. Sed, quum hæc scribebam v kalend. Pompeius jam Brundisium venisse

18. *Alterum plausus*. Cæsarem.

19. *Alterum offensiones*. Pompeium id agere, ut in optima causa sibi odium paret. Sch.

20. *Illorum cæde*. Cæsar eos, quos in Corfinio invenerat, non occidit, sed honorificentissime exceptos dimisit. Sic agebat, ut Pompeii milites ad se alliceret. Ed.

21. *Nisi*. Jocus in Lentulum, qualis Plautinus in Congrionem in Aul. « Te scio facile abstinere posse, si nihil obviam est ». Perinde ac si dicat : Si conventus erit, arbitror posse persuaderi. Corr. — Sensus est : Literæ nihil efficient, nisi coram cum eo Cæsar egerit. Male Man. « cui persuaderi posse arbitror, nisi si non erit c. » Ed.

22. *Illam crudelitatem*. Ut Pompeius interficiatur. Ern.

poterat. Expeditus enim antecesserat legiones Luceria. Sed hoc τέρας[23] horribili vigilantia, celeritate, diligentia est. Plane, quid futurum sit, nescio.

23. Τέρας. Monstrum. Cæsar.

EPISTOLA X.

Dionysium a se liberaliter acceptum, et dimissum esse nuntiat.
(In Formiano, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Dionysius quum ad me præter opinionem meam venisset[1], loquutus sum cum eo liberalissime; tempora exposui; rogavi, ut diceret, quid haberet in animo; me nihil ab ipso invito contendere. Respondit, se, quod in nummis[2] haberet, nescire quo loci esset; alios non solvere, aliorum diem nondum esse, dixit. Etiam alia quædam de servulis suis, quare nobiscum esse non posset. Morem gessi: dimisi a me, ut magistrum Ciceronum, non lubenter; ut hominem ingratum, non invitus. Volui te scire, quid ego de ejus facto judicarem.

1. *Venisset.* Nempe, ut supra scripsit, IIX kal. mart. vesperi. Illo die igitur nondum cum eo colloqui potuerat, nec quid cum eo egisset, ad Atticum scribere. Sch.

2. Alii, *nominibus*, quod Lambin. et Manut. probarunt, recepit et Grævius. Propria est Ciceronis phrasis «habere in nummis», eaque dicitur de pecunia, opponiturque prædiis. Ed.

EPISTOLA XI.

Tristia de rep. auguria exponit. Quid ad se Cæsar scripserit, refert. Epistolarum Pompeii ad se, suarumque ad illum rescriptarum exempla mittit : petit, ut sibi bonorum sermones perscribat, et Demetrii Magnetis librum de concordia sibi mittat. (In Formiano, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Quod me magno animi motu perturbatum putas; sum equidem, sed non tam magno, quam tibi fortasse videor. Levatur enim omnis cura, quum aut constitit [1] consilium, aut cogitando nihil explicatur. Lamentari autem licet. Illud tamen totos dies [2]. Sed vereor, ne, nihil quum proficiam, etiam dedecori sim studiis ac literis nostris. Consumo igitur omne tempus, considerans, quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem videmur, expressimus. Tenesne igitur, moderatorem illum reipublicæ quo referre velimus omnia? nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio : « [3] Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria; sic huic moderatori reipublicæ beata civium vita proposita est; ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hujus enim operis, maximi inter homines atque optimi, illum esse perfectorem volo ». Hoc Cnæus noster

1. *Constitit.* Res deliberata est.

2. *Totos dies.* Lamentari. Post hæc duo verba, notam quietis vulgo appingunt : quam male, nemo non videt. Deinde omnes præter Lambinum ediderunt, *sed vereor;* unde conjiciebat Gronovius pater, *subvereor :* quod minime displicet. Postremo legendum esse *sit*, non *sim*, vis ipsa sententiæ arguit. Oliv.

3. *Loquitur Scipio.* Vide fragm. lib. de Rep. V, 6.

quum antea numquam, tum in hac causa minime cogitavit. Dominatio quæsita ab utroque est; non id actum, beata et honesta civitas ut esset. Nec vero ille Urbem reliquit, quod eam tueri non posset; nec Italiam, quod ea pelleretur : sed hoc a primo cogitavit, omnes terras, omnia maria movere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. Genus illud Sullani regni jam pridem appetitur, multis, qui una sunt, cupientibus. An censes, nihil inter eos[4] convenire? nullam pactionem fieri potuisse? Hodie potest. Sed neutri σκοπὸς[5] est ille, ut nos beati simus; uterque regnare vult. Hæc, a te invitatus, breviter exposui. Voluisti enim me, quid de his malis sentirem, ostendere. Προθεσπίζω[6] igitur, noster Attice, non hariolans, ut illa[7], cui nemo credidit, sed conjectura prospiciens :

Jamque mari[8] magno.....

non multo, inquam, secus possum vaticinari : tanta malorum impendet Ἰλιάς[9]. Atque hoc nostra gravior est causa, qui domi sumus, quam illorum, qui una transierunt, quod illi quidem alterum[10] metuunt, nos utrumque. Cur igitur, inquis, remansimus? Vel tibi paruimus; vel non occurrimus[11]; vel hoc fuit rectius. Conculcari, inquam, miseram Italiam videbis proxima æstate, et quati utriusque vi, mancipiis ex omni genere collectis; nec tam irruptio[12] pertimescenda, quæ Lu-

4. *Eos.* Pompeium et Cæsarem.
5. Σκοπός. Etiam latine *scopus.*
6. Προθεσπίζω. Præsagio.
7. *Illa.* Cassandra. Ed.
8. *Jamque mari.* Hemistichium ex vetere poeta; cujus integri sunt versus, ex persona Cassandræ vaticinantis, lib. I de Divinat. cap. 31. MANUT.
9. Ἰλιάς. Ilias malorum, proverb.
10. *Alterum.* Cæsarem.
11. *Non occurrimus.* Non licuit nobis Pompeium adire, quum discessurus esset. Vide inf. IX, 3, 11. Ed.
12. *Irruptio.* Vox dubia. Victorius

ceriæ multis sermonibus denuntiata est, quam universæ[13] interitus : tantas in confligendo utriusque vires video futuras. Habes conjecturam meam. Tu autem consolationis fortasse aliquid exspectasti : nihil invenio; nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil fœdius. Quod quæris, quid Cæsar ad me scripserit; quod sæpe : gratissimum sibi esse, quod quierim; oratque, in eo ut perseverem. Balbus[14] minor hæc eadem mandata. Iter autem ejus erat ad Lentulum consulem cum literis Cæsaris, præmiorumque promissis, si Romam revertisset. Verum, quum habeo rationem dierum, ante puto transmissurum[15], quam potuerit conveniri. Epistolarum Pompeii duarum, quas ad me misit, negligentiam, meamque in rescribendo diligentiam volui tibi notam esse. Earum exempla ad te misi. Cæsaris hic per Apuliam ad Brundisium cursus quid efficiat, exspecto. Utinam aliquid simile Parthicis rebus[16]! Simul aliquid audiero, scribam ad te. Tu ad me velim bonorum sermones : Romæ frequentes esse dicuntur. Scio equidem te in publicum non prodire; sed tamen, audire te multa, necesse est. Memini librum tibi afferri a Demetrio Magnete (ad te missum scio[17]) περὶ ὁμονοίας[18]. Eum mihi velim mittas. Vides, quam causam mediter.

habet *proscriptio;* Gronov. *sectio;* Græv. conj. *direptio.* Postrema tantum syllaba exstat in MSS. Quid voluerit Cicero, vident, ni fallor, omnes : qua sit voce usus, nemo. Oliv.

13. Al. *universim.* In *universæ* int. Italiæ. Ed.

14. *Balbus minor.* Est L. Cornelii Balbi, qui alias Tartessius vocatur, ex fratre nepos. Ed.

15. *Transmissurum.* Sc. mare. Sch.

16. *Parthicis rebus.* Quarum exitus inanes. Nam, etsi Parthi, subito cursu in provincias irrumpentes, magnum inferunt terrorem : tamen haud magna calamitas consequitur, iisdem continuo discedentibus. Man. — Sch. aliter : « Utinam incursio Cæsaris brevis esset, qualis Parthorum nuper in Syriam, isque celeriter et inopinato, ut illi, rediret ». Ed.

17. Sch. delet *scio*. Jam deleverant alii. J. V L.

18. Περὶ ὁμονοίας. De concordia. Vide G. J. Vossium de Historicis Græcis, I, 23.

(Sequuntur quatuor epistolæ Pompeii et Ciceronis huic adjunctæ.)

A.

Luceriæ, anno U. C. 704, mense februario.

CN. MAGNUS PROCOS. M. CICERONI IMP. S. D.

Quintus Fabius ad me venit a. d. iv kalend. febr. Is nuntiat L. Domitium cum suis cohortibus xi, et cohortibus xiv, quas Vibullius adduxit, ad me iter habere; habuisse in animo proficisci Corfinio, a. d. v id. febr. C. Hirrum cum v cohortibus subsequi. Censeo, ad nos Luceriam venias : nam te hic tutissime puto fore.

B.

Formiis, anno U. C. 704, mense februario.

M. CICERO IMP. CN. MAGNO PROCOS. S. D.

A. d. xv kalend. mart. Formiis accepi tuas literas : ex quibus ea, quæ in agro Piceno gesta erant, cognovi commodiora esse multo, quam ut[1] erat nobis nuntiatum ; Vibulliique virtutem industriamque libenter agnovi. Nos adhuc in ea ora, ubi[2] præpositi sumus, ita fuimus, ut navem paratam haberemus : ea enim audiebamus, et ea verebamur, ut, quodcumque tu consilium[3] præcepisses, id nobis persequendum putaremus. Nunc, quoniam auctoritate et consilio tuo in spe firmiore sumus; si teneri posse putas Tarracinam[4], et oram maritimam, in ea manebo : etsi præ-

1. *Ut*. Ern. *ut* suspectum est. Ed.

2. *Ubi*. Ernest. correxit *cui*. Sch. recepit. Ed.

3. *Consilium*. Sch. post Ernest. delet, ut glossatori debitum. Ed.

4. *Tarracinam*. In qua erat Rutilius

sidia in oppidis nulla sunt. Nemo enim nostri ordinis in his locis est, præter M. Eppium[5], quem ego Minturnis esse volui, vigilantem hominem et industrium. Nam L. Torquatum, virum fortem et cum auctoritate, Formiis non habemus : ad te profectum arbitramur. Ego omnino, ut proxime tibi placuerat, Capuam veni eo ipso die, quo tu Teano Sidicino[6] es profectus. Volueras enim me cum M. Considio proprætore illa negotia tueri. Quum eo venissem, vidi T.[7] Ampium delectum habere diligentissime; ab eo accipere Libonem, summa item diligentia, et in illa colonia auctoritate. Fui Capuæ, quoad consules. Iterum, ut erat dictum ab consulibus, veni Capuam ad nonas februar. Quum fuissem triduum, recepi me Formias. Nunc quod tuum consilium, aut quæ ratio belli sit, ignoro. Si tenendam hanc oram putas, quæ et opportunitatem et dignitatem[8] habet, et egregios cives, et, ut arbitror, teneri potest; opus est esse, qui præsit. Sin omnia in unum locum contrahenda sunt; non dubito, quin ad te statim veniam : quo mihi nihil optatius est; idque tecum, quo die ab Urbe discessimus, loquutus sum. Ego, si cui adhuc videor segnior fuisse, dum ne tibi videar, non laboro : et tamen, si, ut

Lupus prætor cum tribus cohortibus. Vide Bell. Civ. I, 24. Ed.

5. *M. Eppium.* Hirtius de Bello Afric. Alii, « M. Oppium », unde quis fortasse legat, « M. Puppium », ut M. Puppium Pisonem virum consularem significet, præsertim quum « nostri ordinis » dicat, et L. Torquatum, qui erat et ipse consularis, addat, nisi quis « M. Opimium » malit legere ex Cæsare, lib. III, de Bello Civ. Malasp.

6. *Teano Sidicino.* Oppido Campaniæ mediterraneo, sic dicto a populis qui id olim tenuerunt Sidicinis, ad discrimen Teani Apuli in Apulia, cujus incolæ Teanenses, illius vero Sidicini; hodie *Tiano*. Corr.

7. *T. Ampium.* Ad quem exstant ep. lib. VI ad Div. *Tuba belli civilis* dicebatur. Vide VI, 12, ad Div. Ejus etiam mentionem facit Cæsar, de Bell. Civ. III, 105. Ed.

8. *Dignitatem.* Ex urbe Capua, quam supra dixit esse quasi alteram Romam. Ed.

video, bellum gerendum est, confido me omnibus facile satisfacturum. M. Tullium[9], meum necessarium, ad te misi; cui tu, si tibi videretur, ad me literas dares.

9. *M. Tullium.* M. Tullium Lauream, scribam Ciceronis. Ern.

C.

Canusii, anno U. C. 704, mense februario.

CN. MAGNUS PROCOS. M. CICERONI IMP. S. D.

S. V. B. E. Tuas literas libenter legi. Recognovi enim tuam pristinam virtutem etiam in salute communi. Consules ad eum exercitum, quem in Apulia habui, venerunt. Magnopere te hortor pro tuo singulari perpetuoque studio in rempublicam, ut te ad nos conferas; ut communi consilio reipublicæ afflictæ opem atque auxilium feramus. Censeo, via Appia iter facias, et celeriter Brundisium venias.

D.

Formiis, anno U. C. 704, mense februario.

M. CICERO IMP. CN. MAGNO PROCOS. S. D.

Quum ad te literas misissem, quæ tibi Canusii[1] redditæ sunt, suspicionem nullam habebam, te reipublicæ causa mare transiturum; eramque in spe magna, fore, ut in Italia possemus aut concordiam constituere, qua mihi nihil utilius videbatur, aut rempublicam summa cum dignitate defendere. Interim, nondum meis literis ad te perlatis, ex his mandatis,

1. *Canusii.* In finibus Apuliæ. Ed.

quæ D. Lælio[2] ad consules dederas, certior tui consilii factus, non exspectavi, dum mihi a te literæ redderentur, confestimque cum Quinto fratre, et cum liberis nostris iter ad te in Apuliam facere cœpi. Quum Teanum Sidicinum venissem, C. Messius, familiaris tuus, mihi dixit, aliique complures, Cæsarem iter habere Capuam, et eo ipso die mansurum esse Æserniæ[3]. Sane sum commotus; quod, si ita esset, non modo iter meum interclusum, sed me ipsum plane exceptum putabam. Itaque tum Cales processi, ut ibi potissimum consisterem, dum certum nobis ab Æsernia de eo, quod audieram, referretur. At mihi, quum Calibus essem, affertur literarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum consulem misisses. Hæ scriptæ sic erant: Literas tibi a L. Domitio a. d. XIII kalend. mart. allatas esse (earumque exemplum subscripseras), magnique interesse reipublicæ scripseras, omnes copias primo quoque tempore in unum locum convenire; et ut, præsidii quod satis esset, Capuæ relinqueret. His ego literis lectis, in eadem opinione fui, qua reliqui omnes, te cum omnibus copiis ad Corfinium esse venturum: quo mihi, quum Cæsar ad oppidum castra haberet, tutum iter esse non arbitrabar. Quum res in summa exspectatione esset, utrumque simul audimus, et quæ Corfinii acta essent, et te iter Brundisium facere cœpisse: quumque nec mihi, nec fratri meo dubium esset, quin Brundisium contenderemus; a multis, qui e Samnio Apuliaque veniebant, admoniti sumus, ut caveremus, ne exciperemur a Cæsare; quod is in eadem loca, quæ nos petebamus, profectus, celerius etiam, quam nos possemus, eo,

2. *D. Lælio.* Hic deinceps classi præfectus est, in ora Asiatica. Bell. Civ. III, 5. Ed.

3. *Æserniæ.* Æsernia oppidum fuit situm in Samnio, ad caput Vulturni. Ed.

quo intenderet, venturus esset. Quod quum ita esset; nec mihi, nec fratri meo, nec cuiquam amicorum placuit committere, ut temeritas nostra non solum nobis, sed etiam reipublicæ noceret; quum præsertim non dubitaremus, quin, si etiam tutum nobis iter fuisset, te tamen jam consequi non possemus. Interim accepimus tuas literas, Canusio a. d. x kalend. mart. datas, quibus nos hortaris, ut celerius Brundisium veniamus; quas quum accepissemus a. d. kalend. mart. non dubitabamus, quin tu jam Brundisium pervenisses: nobisque iter illud omnino interclusum videbatur, neque minus nos esse captos, quam qui Corfinium[4] venissent. Neque enim eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidissent, sed eos nihilo minus, qui regionibus exclusi, intra præsidia, atque intra arma aliena venissent. Quod quum ita sit, maxime vellem primum semper tecum fuisse[5]; quod quidem tibi ostenderam, quum a me Capuam rejiciebam; quod feci non vitandi oneris causa, sed quod videbam, teneri illam urbem sine exercitu non posse: accidere autem mihi nolebam, quod doleo viris fortissimis accidisse. Quoniam[6] autem, tecum ut essem, non contigit: utinam tui consilii certior factus essem! nam suspicione assequi non potui; quod omnia prius arbitratus sum fore, quam ut hæc reipublicæ causa in Italia non posset duce te consistere. Neque vero nunc consilium tuum[7] reprehendo, sed fortunam reipublicæ lugeo; nec, si ego, quid tu sis sequutus, non perspicio, idcirco minus existimo, te nihil nisi summa

4. Lambinus, « Corfinii fuissent ». J. V. L.

5. Al. *fuissem*. J. V. L.

6. Cod. Balliol. *Quando*. Quod placuit Grævio. Ed.

7. *Consilium tuum*. Relinquendæ Italiæ. Vide quam blande de hoc consilio scribens ad Pompeium loquatur: quod in epp. ad Atticum multo apertius et liberius reprehendit. Sch.

ratione fecisse. Mea quæ semper fuerit sententia, primum de pace vel iniqua conditione retinenda, deinde de Urbe (nam de Italia quidem nihil mihi umquam ostenderas), meminisse te arbitror. Sed mihi non sumo, ut meum consilium valere debuerit: sequutus sum tuum, neque id reipublicæ causa, de qua desperavi, quæ et nunc afflicta est, nec excitari sine civili perniciosissimo bello potest: sed te quærebam; tecum esse cupiebam; neque ejus rei facultatem, si qua erit, prætermittam. Ego me in hac omni causa facile intelligebam pugnandi cupidis hominibus non satisfacere. Primum enim præ me tuli, me nihil malle, quam pacem: non quin eadem timerem, quæ illi; sed ea bello civili leviora ducebam. Inde, suscepto bello, quum pacis conditiones ad te afferri, a teque ad ea honorifice et large responderi viderem; duxi meam rationem[8]; quam tibi facile me probaturum, pro tuo in me beneficio, arbitrabar. Memineram me esse unum, qui pro meis maximis in rempublicam meritis supplicia miserrima et crudelissima pertulissem; me esse unum, qui, si offendissem ejus[9] animum, cui tum, quum jam in armis essemus, consulatus tamen alter, et triumphus amplissimus deferebatur, subjicerer[10] eisdem præliis[11]: ut mea persona semper ad improborum civium impetus aliquid videretur habere

8. *Duxi meam rationem.* Hoc cogitavi; quid? non esse mihi faciendum, ut Cæsaris animum offenderem: itaque pacis auctor fui, vel cum iis conditionibus, quas ille ferret, qui bello civili nihil esse miserius intelligerem: fecique id eo libentius, quia, quum ad pacis conditiones viderem a te honorifice largeque responderi, meum consilium non arbitrabar a tua sententia discrepare. MAN.

9. *Ejus.* Cæsaris. ED.

10. Legit Manut. in vet. cod. *objicerer*, quod et Ursino verius visum est, et Sch. recepit. J. V. L.

11. *Eisdem præliis.* Contentionibus, quibus olim subjectus fui, Clodio quidem auctore, sed Cæsare impellente. CORRAD. — Notat latenter perfidiam Pompeii, cujus in amicitia Clodianis temporibus parum senserat esse præsidii. ED.

populare[12]. Atque hæc non ego prius sum suspicatus, quam mihi palam denuntiata sunt: neque ea tam pertimui, si subeunda essent, quam declinanda putavi, si honeste vitare possem. Quam brevem illius temporis, dum in spe pax fuit, rationem nostram vides; reliqui facultatem[13] res ademit. Iis autem, quibus non satisfacio, facile respondeo. Neque enim ego amicior C. Cæsari umquam fui, quam illi; neque illi amiciores reipublicæ, quam ego. Hoc inter me, et illos interest; quod, quum et illi cives optimi sint, et ego ab ista laude non absim, ego conditionibus, quod idem te intellexeram velle, illi armis disceptari maluerunt. Quæ quoniam ratio vicit; perficiam profecto, ut neque respublica civis a me animum, neque tu amici desideres.

12. *Populare.* Ut epist. 3 hujus libri. Hoc est, improbos homines, qui consilium ineant perdendi rempublicam, semper se impetere, persuasos hac ratione se populum sibi faventem reddere posse. *Populares* enim, qui auram plebis captant. GRÆV.

13. *Reliqui facultatem.* Id est, ut desperata pace, ad te venerim. Ostendit enim non sibi licuisse. ED.

EPISTOLA XII.

Rationem consiliorum suorum defendit; quid Pompeiani agant scire cupit; quatuor Pompeii epistolarum ad consules et ad Domitium scriptarum exempla mittit. (Formiis, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

MIHI molestior lippitudo erat etiam, quam ante fuerat: dictare tamen hanc epistolam malui, quam Gallo Fabio, amantissimo utriusque nostrum, nihil ad te literarum dare. Nam pridie quidem, quoquo

modo potueram, scripseram ipse eas literas, quarum vaticinationem falsam esse cupio. Hujus autem epistolæ non solum ea causa est, ut ne quis a me dies intermittatur, quin dem ad te literas; sed etiam hæc justior, ut a te impetrarem, ut sumeres aliquid temporis; quo quia tibi perexiguo opus est, explicari mihi tuum consilium plane volo, ut penitus intelligam. Omnia sunt integra nobis : nihil prætermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo probabilem. Nam certe neque tum peccavi, quum imparatam [1] jam [2] Capuam, non solum ignaviæ delectus, sed etiam perfidiæ suspicionem fugiens, accipere nolui [3]; neque quum post conditiones pacis per L. Cæsarem et Fabatum [4] allatas, cavi, ne animum ejus offenderem, cui Pompeius jam armatus armato consulatum triumphumque deferret. Nec vero hæc extrema quisquam potest jure reprehendere, quod mare non transierim : id enim, etsi erat deliberationis, tamen obire non potui. Neque enim suspicari debui; præsertim quum ex ipsius Pompeii literis, idem quod video te existimasse, non dubitarim, quin is Domitio subventurus esset. Et plane, quid rectum, et quid faciendum mihi esset, diutius cogitare malui. Primum igitur, hæc qualia tibi esse videantur, etsi significata sunt a te, tamen accuratius mihi perscribas, velim : deinde aliquid etiam in posterum pro-

1. *Imparatam*. Ab exercitu. Alii (Man. et Lamb.), *imperatam*. Corrad.

2. Grævius *jam* delendum censuit.

3. *Accipere nolui*. Quum rejiciebam, epist. sup. nam postea, quamvis invite, cepi, epist. 2 hujus libri. Vide tamen an totus hic locus ita legi debeat: « Imparatam Capuam, non solum ignaviæ delictum, sed etiam perfidiæ suspicionem fugiens, accipere volui ». Nisi enim accepisset Cicero, ignavus et in Pompeium perfidus videri potuisset. Corrad. — Omnes editi libri retinent *delectus*.

4. *Fabatum*. Is est L. Roscius Fabatus, cujus et mentio in epistola Pollionis, et in argenteo nummo, in quo legitur : « L. Roscii Fabati ». Ursin.—

spicias, fingasque [5], quem me esse deceat, et ubi me plurimum prodesse reipublicæ sentias; ecquæ pacifica [6] persona desideretur; an in bellatore sint omnia. Atque ego, qui omnia officio metior, recordor tamen tua consilia [7]; quibus si paruissem, tristitiam illorum temporum non subiissem. Memini, quid mihi tum suaseris per Theophanem [8], per Culeonem; idque sæpe ingemiscens sum recordatus. Quare nunc saltem ad illos calculos revertamur, quos tum abjecimus; ut non solum gloriosis consiliis utamur, sed etiam paullo salubribus. Sed nihil præscribo. Accurate velim perscribas tuam ad me sententiam. Volo etiam exquiras, quam diligentissime poteris (habebis autem, per quos possis), quid Lentulus [9] noster, quid Domitius agat, quid acturus sit, quemadmodum nunc se gerant, num quem accusent, num cui succenseant. Quid dico, num cui? num Pompeio? Omnino culpam omnem Pompeius in Domitium confert: quod ipsius literis cognosci potest; quarum exemplum ad te mitto. Hæc igitur videbis; et, quod ad te ante scripsi, Demetrii Magnetis librum, quem ad te misit de concordia, velim mihi mittas.

Hic tum erat prætor. Eum nominant Dio et Cæsar. Ed.

5. *Fingasque quem me esse deceat.* Ducta forma ex eo, quod fingere hominem dicunt, qui eum præceptis docent, qualis esse debeat. Deinde *ubi... sentias* refertur ad *scribas*, quod latet in *fingas* κατ' ἔννοιαν. Ed.

6. *Ecquæ pacifica.* Utrum me deceat in Italia remanere; quod pacificam aliquam personam respublica videatur desiderare, cujus auctoritate inter Cæsarem et Pompeium discordiæ sedentur: quod effici non nisi ab eo potest, quem sibi uterque putent esse amicissimum. Manut.

7. *Consilia.* Clodianis temporibus: quum mihi suadebas, ne omnia officio metirer, sed salutis simul rationem haberem, conservanda Cæsaris amicitia. Idem.

8. *Theophanem... Culeonem.* Amicos Pompeii. Ed.

9. *Lentulus.* Cum aliis in Corfinio captus et a Cæsare dimissus.—*Noster* dicitur Ciceroni, quia in hoc revocando ab exsilio multam operam Lentulus consul navaverat. Ed.

A.

Anno U. C. 704, mense februario.

CN. MAGNUS PROCOS. C.* MARCELLO, L. LENTULO COSS. S. D.

Ego, quod existimabam, dispersos nos, neque reipublicæ utiles, neque nobis præsidio esse posse, idcirco ad L. Domitium literas misi, primum uti ipse cum omni copia ad nos veniret; si de se dubitaret, ut cohortes XIX [1], quæ ex Piceno ad me iter habebant, ad nos mitteret. Quod veritus sum, factum est, ut Domitius implicaretur; neque ipse satis firmus esset ad castra facienda: quod meas XIX et suas XII cohortes tribus in oppidis distributas haberet (nam partim Albæ [2], partim Sulmone collocavit); neque se, si vellet, expedire posset. Nunc scitote, me esse in summa sollicitudine. Nam et tot et tales viros periculo obsidionis liberare cupio; neque subsidio ire possum: quod his duabus legionibus [3] non puto esse committendum, ut illuc ducantur; ex quibus tamen non amplius XIV cohortes contrahere potui; quod Brundisium præsidium misi: neque Canusium sine præsidio, dum abessem, putavi esse dimittendum. D. Lælio mandaram, quod majores copias sperabam nos habituros, ut, si vobis videretur, alteruter vestrum ad me veniret; alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuæ et circum Capuam comparastis, et cum iis militibus, quos Faustus legit, proficisceretur; Domitius cum XII suis cohortibus eodem adjungeretur;

* *C.* Sic J. V. L. Omnes *M.*

1. *Cohortes XIX.* XIV a Vibullio, V ab Hirro adductas. Epist. 11. Ed.

2. *Albæ.* Non *Longæ.* Hæc fuit colonia in regione Marsorum. Ed.

3. *Duabus legionibus.* Quæ Cæsari detractæ fuerant, prætexto bello Parthico. Ed.

reliquæ copiæ omnes Brundisium cogerentur, et inde navibus Dyrrhachium transportarentur. Nunc, quum hoc tempore nihilo magis ego, quam vos, subsidio Domitio ire possim, se per montes[4] explicare; non est nobis committendum, ut ad has XIV cohortes, quas ego dubio animo habeo, hostis accedere, aut in itinere me consequi possit. Quamobrem placitum est mihi, ac ita video censeri Marcello, et ceteris nostri ordinis, qui hic sunt, ut Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo. Vos hortor, ut quodcumque militum contrahere poteritis, contrahatis, et eodem veniatis quam primum.

Arma, quæ ad me missuri eratis, iis, censeo, armetis milites, quos vobiscum habetis. Quæ arma superabunt, ea si Brundisium jumentis deportaritis, vehementer reipublicæ profueritis. De hac re velim nostros certiores faciatis: ego ad P. Lupum[5] et C. Coponium[6] prætores misi, ut se nobis conjungerent, et, militum quod haberent, ad vos deducerent.

4. *Se per montes.* Hoc nimirum dicit: Neque possum Domitio subsidio venire ut urbem teneat, neque per montes illum explicare et educere. POPMA. — Schützius, auctore Grævio, edidit: « Isque se per montes explicare », scil. *possit*. Sententia certe est sublevanda. ED.

5. *P. Lupum.* P. Rutilium Lupum, qui tunc erat Tarracinæ, quem paullo post Romam rediisse Cicero audivit. Lib. IX, epist. 1. Cæsar, de Bello Gall. lib. I. CORRAD.

6. *C. Coponium.* Qui paullo post prætorio imperio classi Rhodiæ præfuit. Cæsar, Bell. Gall. III, 5. De Div. I, 31. Ejus Coponii est vox præclara in Velleio, II, 83, de Planco in Antonium declamante, cujus olim fortunam sequutus esset: « Multa, inquit, mehercules, fecit Antonius pridie, quam tu illum relinqueres ». ED.

B.

Luceriæ, anno U. C. 704, mense februario.

CN. MAGNUS PROCOS. L. DOMITIO PROC. S. D.

MIROR, te ad me nihil scribere, et potius ab aliis,

quam a te, de republica me certiorem fieri. Nos, disjecta manu, pares adversariis esse non possumus. Conjunctis [1] nostris copiis, spero nos et reipublicæ, et communi saluti prodesse. Quamobrem quum constituisses, ut Vibullius mihi scripserat a. d. v id. febr. Corfinio proficisci cum exercitu, et ad me venire; miror quid causæ fuerit, quare consilium mutaris. Nam illa causa, quam mihi Vibullius scribit, levis est, te propterea moratum esse, quod audieris, Cæsarem Firmo [2] progressum in castrum Truentinum [3] venisse. Quanto enim magis appropinquare adversarius cœpit, eo tibi celerius agendum erat, ut te mecum conjungeres, priusquam Cæsar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere posset.

Quamobrem etiam atque etiam te rogo et hortor, id quod non destiti superioribus literis a te petere, ut primo quoque die Luceriam advenias [4], antequam copiæ, quas instituit Cæsar contrahere, in unum locum coactæ nos a nobis distrahant. Sed si erunt, qui te impediant [5], ut villas [6] suas servent, æquum est me a te impetrare, ut cohortes, quæ ex Piceno et Camerino [7] venerunt, quæ fortunas suas reliquerunt, ad me missum facias.

1. Alii, *contractis.* J. V. L.

2. *Firmo.* Urbe in Piceno. Ed.

3. *Castrum Truentinum. Truentum* ad caput fluminis *Truenti*, nunc *il Tronto* dicitur, in Piceno. Sil. Ital. VIII, 435: «Quique Truentinas servant cum flumine torres». Vocatur Straboni πόλις Τρουεντίνων: aliis autem simpliciter *Truentium.* Ed.

4. *Advenias.* Alii, e quibus Oliv. *advenires.* Ed.

5. *Qui te impediant.* Albani, Marsi, et Peligni duces, qui suas cohortes cum periculo ad Pompeium ire nollent. Circiter enim xv cohortes Domitius coegerat ex Alba, Marsis, Pelignis et finitimis regionibus. Manut.

6. *Villas.* Alii, *illas.* xi cohortes. Corrad. — Grævio visum est legendum *villas.*

7. *Camerino.* Urbe Umbriæ et Piceno finitima. Ed.

C.

Luceriæ, anno U. C. 704, mense februario.

CN. MAGNUS PROCOS. L. DOMITIO PROCOS. S. D.

Literas abs te M. Calenius ad me attulit a. d. XIIII kal. mart. in quibus literis scribis, tibi in animo esse, observare Cæsarem; et, si secundum mare ad me ire cœpisset, confestim in Samnium ad me venturum; sin autem ille circum istæc loca commoraretur, te ei, si propius accessisset, resistere velle. Te animo magno et forti istam rem agere existimo: sed diligentius nobis est videndum, ne distracti pares esse adversario non possimus; quum ille magnas copias habeat, et majores brevi habiturus sit. Non enim, pro tua prudentia, debes illud solum animadvertere, quot in præsentia cohortes contra te habeat Cæsar, sed quantas brevi tempore equitum et peditum copias contracturus sit. Cui rei testimonio sunt literæ, quas Bussenius ad me misit; in quibus scribit, id quod ab [1] aliis quoque mihi scribitur, præsidia Curionem, quæ in Umbris[2] et Tuscis erant, contrahere, et ad Cæsarem iter facere. Quæ si copiæ in unum locum fuerint coactæ, ut pars exercitus ad Albam mittatur, pars ad te accedat; ut non pugnet, sed locis suis repugnet, hærebis: neque solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris, ut frumentatum eas. Quamobrem te magnopere hortor, ut quam primum cum omni copia huc venias. Consules constituerunt idem facere.

Ego Metuscilio ad te mandata dedi, providendum

1. *Aliis.* Vulg. *illis.* J. V. L. 2. *Umbris.* Alii, *Umbria.* J. V. L.

esse, ne duæ legiones[3] sine Picentinis cohortibus in conspectum Cæsaris committerentur. Quamobrem nolito commoveri, si audieris me regredi, si forte Cæsar ad me veniet. Cavendum enim puto esse, ne implicatus hæream : nam neque castra, propter anni tempus et militum animos, facere possum; neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit, ne receptum[4] amittam. Itaque non amplius XIV cohortes Luceriam coegi. Consules præsidia omnia deducturi sunt, aut in Siciliam ituri. Nam aut exercitum firmum habere oportet, quo confidamus perrumpere nos posse; aut regiones ejusmodi obtinere, e quibus repugnemus : id quod neutrum nobis hoc tempore contingit; quod et magnam partem Italiæ Cæsar occupavit, et nos non habemus exercitum tam amplum, neque tam magnum, quam ille. Itaque nobis providendum est, ut summam reipublicæ rationem habeamus. Etiam atque etiam te hortor, ut cum omni copia quam primum ad me venias. Possumus etiam nunc rempublicam erigere, si communi consilio negotium administrabimus : sin distrahemur, infirmi erimus. Mihi hoc constitutum est. His literis scriptis, Sica a te mihi literas attulit et mandata. Quod me hortare, ut istuc veniam, id me facere non arbitror posse; quod non magnopere his legionibus confido.

3. *Duæ legiones*. De istis legionibus vide not. 3 ad ep. Pompeii A, ep. 12 adjunctam. Ed.

4. *Receptum*. Ipsa oppida, quo receptum habemus, quibus amissis, quo nos reciperemus, non esset. Man.

D.

Luceriæ, anno U. C. 704, mense februario.

CN. MAGNUS PROCOS. L. DOMITIO PROCOS. S. D.

Literæ mihi a te redditæ sunt a. d. XIII kal.[1] mart. in quibus scribis, Cæsarem apud Corfinium castra posuisse. Quod putavi et præmonui, fit, ut nec in præsentia committere tecum prælium velit; et, omnibus copiis conductis, te implicet, ne ad me iter expeditum tibi sit, atque istas copias conjungere optimorum civium possis cum his legionibus, de quarum voluntate dubitamus.

Quo etiam magis tuis literis sum commotus. Neque enim eorum militum, quos mecum habeo, voluntati satis confido, ut de omnibus fortunis reipublicæ dimicem; neque etiam, qui ex delectibus conscripti sunt a consulibus, convenerunt.

Quare da operam, si ulla ratione etiam nunc efficere potes, ut te explices, huc quam primum venias, antequam omnes copiæ adversarium[2] conveniant. Neque enim celeriter ex delectibus huc homines convenire possunt; et, si convenirent, quantum iis committendum sit, quod[3] inter se ne noti quidem sunt[4], contra veteranas legiones, non te præterit.

1. *A. d. kal. mart.* Penzelius in versione germanica Dionis Cassii, p. 681, legendum putat *a. d. XVIII*, inepte. Nam in februario post idus sequitur XVI kal. mart. quo die Cæsar ad Corfinium venit, et IX kal. discessit. Sch.

2. *Adversarium.* Edit. Rom. *adversariorum.*

3. Legendum videtur *qui.*

4. *Ne noti quidem sunt.* Veterani enim milites Cæsaris familiares inter se sunt et amicissimi, quod plurimum prodest ad robur exercitus. Ed.

EPISTOLA XIII.

Cæsaris progressus prædicat. (Formiis, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.*

Lippitudinis meæ signum tibi sit librarii manus, et eadem causa brevitatis : etsi nunc quidem, quod scriberem, nihil erat. Omnis exspectatio nostra erat in nuntiis Brundisinis. Si nactus hic esset[1] Cnæum nostrum, spes dubia pacis; sin ille ante transmisisset[2], exitiosi belli metus. Sed videsne, in quem[3] hominem inciderit respublica? quam acutum, quam vigilantem, quam paratum ? Si mehercule neminem occiderit, nec cuiquam quidquam ademerit, ab his, qui eum maxime timuerant, maxime diligetur. Multum mecum municipales homines loquuntur, multum rusticani. Nihil prorsus aliud curant, nisi agros, nisi villulas, nisi nummulos suos. Et vide, quam conversa res est. Illum[4], quo antea confidebant, metuunt; hunc amant, quem timebant. Id quantis nostris peccatis vitiisque evenerit, non possum sine molestia cogitare. Quæ

* J. V. L. ad hanc epist. adjicit verba viri clarissimi *Montesquieu*, *Grandeur et Décadence des Romains*, cap. 11, quæ istarum epp. lectione suggesta judicat : « On parle beaucoup de la fortune de César : mais cet homme extraordinaire avait tant de grandes qualités sans pas un défaut, quoiqu'il eût bien des vices, qu'il eût été bien difficile que quelque armée qu'il eût commandée, il n'eût été vainqueur, et qu'en quelque république qu'il fût né, il ne l'eût gouvernée ». Ed.

1. *Si nactus hic esset.* Si Pompeius Cæsarem hic præstolatus esset, ut cum eo coram agere posset. Sch.

2. *Transmisisset.* Mare transisset, ut in Græciam iret. Ed.

3. *In quem hominem.* Cæsarem.

4. *Illum metuunt.* Intellige Pompeium. — *Hunc amant.* Scilicet Cæsarem. Ed.

autem impendere putarem, scripseram ad te; et jam tuas literas exspectabam.

EPISTOLA XIV.

Etiamnum se nescire quid consilii capiat; de Domitio varia audiri scribit. (Formiis, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Non dubito, quin tibi odiosæ sint epistolæ quotidianæ, quum præsertim neque nova de re aliqua certiorem te faciam, neque novam denique jam reperiam scribendi ullam sententiam. Sed si, dedita opera, quum causa nulla esset, tabellarios ad te cum inanibus epistolis mitterem, facerem inepte: euntibus vero, domesticis præsertim, ut nihil ad te dem literarum, facere non possum. Et simul (crede mihi) requiesco paullum in his miseriis, quum quasi tecum loquor; quum vero tuas epistolas lego, multo etiam magis. Omnino intelligo, nullum fuisse tempus post has fugas et formidines, quod magis debuerit mutum esse a literis: propterea, quod neque Romæ quidquam auditur novi; nec in his locis, quæ a Brundisio absunt propius, quam tu, biduum, aut triduum. Brundisii autem omne certamen vertitur hujus primi temporis. Qua quidem exspectatione torqueor. Sed omnia ante nos sciemus. Eodem enim die video Cæsarem a Corfinio post meridiem profectum esse, id est, Feralibus [1],

1. *Feralibus*. Cicero ex Fastis veterum pontificum feralia retulit in octavum kal. martias, quo die Canusio decessit Pompeius, ut idem confirmat epistola primi libri sequentis. At Ovidius et alii posteriores alios Fastos sequuti, nempe eos, qui a C. Cæsare et Augusto postea correcti fuerunt, eum diem festum triduo ante collocant: ei enim assignant undecimum

quo Canusio mane Pompeium. Eo modo autem ambulat Cæsar, et iis diariis[2] militum celeritatem incitat, ut timeam, ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit. Dices, Quid igitur proficis, qui anticipes ejus rei molestiam, quam triduo sciturus sis? Nihil equidem. Sed, ut supra dixi, tecum perlibenter loquor: et simul scito, labare meum consilium[3] illud, quod satis jam fixum videbatur. Non mihi satis idonei sunt auctores ii[4], qui a te probantur. Quod enim umquam eorum in republica forte factum exstitit? aut quis ab his ullam rem laude dignam desiderat? Nec mehercule laudandos existimo, qui trans mare belli parandi causa profecti sunt (quamquam hæc[5] ferenda non erant); video enim, quantum id bellum, et quam pestiferum futurum sit: sed me movet unus vir; cujus fugientis comes, rempublicam recuperantis socius videor esse debere. Totiesne igitur sententiam mutas? Ego tecum tamquam mecum loquor: quis autem est, tanta quidem de re, quin varie secum ipse disputet? Simul et elicere cupio sententiam tuam; si manet, ut firmior sim; si mutata est, ut tibi assentiar. Omnino ad id, de quo dubito, pertinet, me scire, quid Domitius acturus sit, quid noster Lentulus. De Domitio varia audimus, modo esse in Tiburti[6], haud lepide: quod quum lepidius accessisset ad Urbem: quod item

kal. mart. Bos. — Isti festo nomen fuit *feralia*, a ferendo, ut ait Varro, de Ling. Lat. V, quia ad sepulchra cibi ferebantur (Macrob. Saturn. I, 3); qui mos et apud Christianos aliquamdiu perstitit. Ed.

2. *Diariis*. Cum Manutio interpretandum, in singulos dies majore stipendio et præmiis. Græv. — Malebat *dictis* Bosius: sed non audiendus est.

3. *Meum consilium*. Non exeundi ex Italia. Sch. errore lapsus contrarium putavit. Ed.

4. *Auctores ii*. Manius Lepidus et L. Volcatius sunt, consulares ambo. Vide sup. ep. 9. Ed.

5. *Hæc*. Quæ a Cæsare fiunt. Ed.

6. *In Tiburti*. Sch. ex variis lectionum in codd. vestigiis sic constituit: « modo esse in Tiburti Lepidi, haud

falsum video esse. Ait enim Lepidus, eum nescio quo penetrasse itineribus[7]: occultandi sui causa, an maris apiscendi[8]? ne id quidem scit. Ignorat enim[9] de filio. Addit illud, sane molestum : pecuniam Domitio satis grandem, quam is Corfinii habuerit, non esse redditam[10]. De Lentulo autem nihil audimus. Hæc velim exquiras, ad meque perscribas.

lepide; modo quod lepidius accessisse ad Urbem ». J. V. L. conjicit melius elici posse : « modo esse in Tiburti, haud lepido ; modo eum lepidius accessisse ad Urbem ». Si probetur cum Junio « Tiburtino Lepidi », melius mox legatur, ut ille, « modo cum Lepidis ». Hic P. Manutius ait : « Desperatis vetat Hippocrates adhibere medicinam ». Ed.

7. *Penetrasse itineribus*. Videtur desiderari epithetum, quod cohæreat cum voce *itineribus*, forte *occultis*, seu *deviis*. Lamb. — Voluisset Muret. « nescio quo penetrasse itineris, etc. »

8. *Apiscendi*. Vict: pro *adipiscendi*.

9. Forte legendum *etiam*.

10. *Non esse redditam*. Falsum. Nam redditam esse tradit Cæsar, de Bello Civ. lib. I, cap. 23. Ed.

EPISTOLA XV.

Quatuor Attici epistolis respondet. (Formiis, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

A. d. v non. mart. epistolas mihi tuas Ægypta reddidit, unam veterem iv kal. quam te scribis dedisse Pinario, quem non vidimus; in qua exspectas, quidnam præmissus[1] agat Vibullius, qui omnino non est visus a Cæsare (in altera epistola, video, te scire, ita esse) : et, quemadmodum redeuntem excipiam Cæsarem; quem omnino vitare cogito : et, aut Hæmonis fugam intendis[2], commutationemque vitæ tuæ;

1. *Præmissus*. A Cæsare ad Pompeium. Nam Corfinii cum ceteris captus fuerat. Cæsar, de Bell. C. I. Ed.

2. *Aut Hæmonis fugam intendis*·

quod tibi puto esse faciendum : et ignoras, Domitius cum fascibusne[3] sit ; quod quum scies, facies, ut sciamus. Habes ad primam epistolam. Sequutæ sunt duæ, pridie kal. ambæ datæ, quæ me convellerunt de pristino statu, jam tamen, ut ante ad te scripsi, labantem. Nec me movet, quod scribis, «Jovi ipsi iniquum[4]». Nam periculum in utriusque iracundia positum est ; victoria autem ita incerta, ut deterior causa paratior mihi esse videatur. Nec me consules movent, qui ipsi pluma, aut folio facilius moventur. Officii me deliberatio cruciat, cruciavitque adhuc. Cautior certe est mansio ; honestior existimatur trajectio. Malo interdum, multi me non caute, quam pauci non honeste fecisse existiment. De Lepido et Tullo quod quæris ; illi vero non dubitant, quin Cæsari præsto futuri, in senatumque venturi sint.

Recentissima tua est epistola kal. data : in qua optas congressum, pacemque non desperas. Sed ego, quum hæc scribebam, nec illos congressuros, nec, si congressi essent, Pompeium ad ullam conditionem accessurum putabam. Quod videris non dubitare, si consules transeant, quid nos facere oporteat : certe trans-

Tendis Victor. Manut. Lambin. Hæc esse corrupta satis constat. Malaspina emendabat, «Tu autem Hæmonis fugam tendis» : vel, «ad Hæmonis fugam intendis». Faerni enim liber habet *intendis*. Hoc est, Tu autem in Epirum navigare cogitas, et ab his rerum tumultibus te subducere : quemadmodum e bello Thebano Hæmon aufugit. Olivet. — Multa congerunt in desperatum locum, vel, «ave, Athenio, si fugam intendis» ; vel, «artemonis funem tendis, etc.» Mera somnia. J. V. L. — E sexcentis aliis conjecturis Grævianam Mongaltius noster seligit, ut non pessimam. Ille autem scribendum censuit, «an tu ad Chaoniam fugam intendis?» Olivet. — Schütz. quoque hanc probavit, et in textum recepit. De hac fuga et VIII, 1, in fine quærit. Ed. — Chaonia, pars Epiri, in qua possessiones Attici erant. Leviori tamen mutatione, non *Chaoniam*, sed *Hæmoniam* legeris : nam Græciæ vetus fuit nomen. Olivet.

3. *Cum fascibus.* Quia proconsul.

4. *Jovi ipsi iniquum.* Scil. Pompeium fore, si vicerit ; id est, vehementer iratum et exasperatum, ut nec diis, nec hominibus parcat. Vict.

eunt, vel, quo modo nunc est, transierunt. Sed memento, præter Appium[5], neminem esse fere, qui non jus habeat transeundi. Nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Setenas[6], Fannius[7], Voconius[8], Sextius[9], ipsi consules, quibus more majorum concessum est vel omnes adire provincias; aut legati sunt eorum. Sed nihil dissero. Quid placeat tibi, et quid propemodum rectum sit, intelligo. Plura scriberem, si ipse possem. Sed, ut mihi videor, potero biduo. Balbi Cornelii literarum exemplum, quas eodem die accepi, quo tuas, misi ad te, ut meam vicem doleres, quum me derideri[10] videres.

5. *Appium*. Jus transeundi non habebat, quoniam censor erat, nec cum imperio, ut proconsul Pompeius Hispaniarum, Scipio Syriæ, etc. POPMA.

6. *Setenas*. Pighius ad annum 703 legendum censet, J. V. L. et fere omnibus probantibus, *Sufenas*, et intelligit *M. Nonium Sufenatem*, qui eo anno Cretam et Cyrenen obtinuit. —Bessarionis liber, teste Manutio, *Seteonas*. J. V. L.

7. *Fannius*. Cui datum Siciliæ imperium, donec transisset Cato. Ad Att. VII, 15; XI, 6. ED.

8. *Voconius*. Cognomine Saxa, plebeius; qui Pompeium proprætor sequutus erat. ED.

9. *Sextius*. Ciliciæ præfectus. Nam apud Plutarchum in Bruto pro Σικελίαν legendum Κιλικίαν. ED.

10. *Derideri*. Quia Balbus cum Cicerone falso contendebat Cæsari pacem placere, quod et alias Cicero queritur. ED.

BALBUS CICERONI IMP. S.

OBSECRO te, Cicero, suscipe curam et cogitationem dignissimam tuæ virtutis, ut Cæsarem et Pompeium, perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. Crede mihi, Cæsarem non solum fore in tua potestate, sed etiam maximum beneficium te sibi dedisse judicaturum, si huc te rejicis. Velim, idem Pompeius faciat: qui ut adduci tali tempore ad ullam conditionem possit, magis opto, quam spero. Sed quum constiterit, et timere desierit, tum inci-

piam non desperare tuam auctoritatem plurimum apud eum valituram. Quod Lentulum meum, consulem, voluisti hic remanere, Cæsari gratum, mihi vero gratissimum medius fidius fecisti. Nam illum tanti facio, qui non Cæsarem [1] magis diligam : qui si passus esset, nos secum, ut consueramus, loqui, et non se totum etiam et etiam ab sermone nostro avertisset, minus miser, quam sum, essem. Nam cave putes, hoc tempore plus me quemquam cruciari, quod eum, quem ante me diligo, video in consulatu quidvis potius esse, quam consulem. Quod si voluerit tibi obtemperare, et nobis de Cæsare credere, et consulatum reliquum Romæ peragere, incipiam sperare, etiam consilio senatus, auctore te, illo relatore, Pompeium et Cæsarem conjungi posse. Quod si factum erit, me satis vixisse putabo. Factum Cæsaris de Corfinio totum te probaturum scio [2]. Quo modo in hujusmodi re, commodius cadere non potuit, quam ut res sine sanguine confieret. Balbi mei tuique adventu delectatum te, valde gaudeo. Is quæcumque tibi de Cæsare dixit, quæque Cæsar [3] scripsit, scio, re tibi probabit, quæcumque fortuna ejus fuerit, verissime [4] scripsisse.

1. *Qui non Cæsarem. Ut non*, dixisset Cicero. Corrad.

2. *Probaturum scio.* Sic bene Ursinus e vetere codice. Vulgo « me probaturum scito ». Ed.

3. *Cæsar.* Id ex præcedentibus verbis irrepsit. Locum enim nullum habet. Omnia sunt liquida, si deles. Hoc vult: Se tibi non os sublevisse, sed vera esse quæcumque tibi coram aut literis de Cæsaris animo in republica, deque ejus ad pacem propensione promisit. Græv. — Schütz. hoc probat, et Cæsaris nomen delet. Ed.

4. Olim male legebatur, *bellissime.* J. V. L.

EPISTOLA XVI.

De suo in Græciam proficiscendi consilio. (Formiis, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Omnia mihi provisa sunt, præter occultum et tutum iter[1] ad mare superum. Hoc enim mari uti non possumus hoc tempore[2] anni. Illuc autem, quo spectat animus, et quo res vocat, qua veniam? Cedendum enim est celeriter; ne forte qua re impediar atque alliger. Nec vero ille me ducit, qui videtur; quem ego hominem ἀπολιτικώτατον[3] omnium jam ante cognoram; nunc vero etiam ἀστρατηγικώτατον. Non me igitur is ducit, sed sermo hominum, qui ad me a Philotimo scribitur. Is enim me ab optimatibus ait conscindi. Quibus optimatibus, dii boni? qui nunc quo modo occurrunt? quo modo autem se venditant Cæsari? Municipia vero deum[4]: nec simulant, ut quum de illo[5] ægroto vota faciebant. Sed plane, quidquid mali hic Pisistratus non fecerit, tam gratum est, quam si alium facere prohibuerit. Hunc propitium sperant; illum iratum putant. Quas fieri censes ἀπαν-

1. Sic Manut. Olim, «occultum et tum iter». Cod. Bessarionis, «occultum metum iter». J. V. L.

2. *Hoc tempore*. Hieme maxima, quamquam mense martio. Æquinoctium enim, hoc anno, mense maio demum fuit. Ed.

3. Ἀπολιτικώτατον. Gubernandæ reipublicæ maxime imperitum. Ἀστρατηγικώτατον, imperatoriæ artis maxime ignarum.

4. *Deum*. Ut deum Cæsarem colunt, seu illum divinis honoribus prosequuntur. Max.

5. *De illo*. Pompeio, ægrotante Neapoli. Vid. Tuscul. I, 35. De his precibus publicis pro salute Pompeii vid. Juvenal. X, 283: «Provida Pompeio dederat Campania febres Optandas». Quod et jam senserat Velleius Paterculus. Et idem agit Seneca, Consolat. ad Marciam, cap. 20. Ed.

τήσεις[6] ex oppidis? quos honores? Metuunt, inquies: credo; sed mehercule illum magis. Hujus insidiosa clementia delectantur; illius iracundiam formidant. Judices DCCCL[7], qui præcipue Cnæo nostro delectabantur, ex quibus quotidie aliquem video, nescio quas ejus Lucerias horrent. Itaque quæro, qui sint isti optimates, qui me exturbent, quum ipsi domi maneant. Sed tamen, quicumque sunt, αἰδέομαι[8] Τρῶας. Etsi, qua spe proficiscar, video; conjungoque me cum homine, magis ad vastandam Italiam, quam ad vincendum parato: demum[9], quem exspecto? Et quidem[10], quum hæc scribebam, IV nonas, jam exspectabam aliquid a Brundisio. Quid autem aliquid? quam inde turpiter fugisset, et victor hic qua se referret, et quo. Quod ubi audissem, si ille Appia veniret, ego Arpinum cogitabam.

6. Ἀπαντήσεις. Occursus.

7. *Judices DCCCL.* Hic est numerus omnium judicum collectus ex tribus ordinibus, senatoribus, equitibus et tribunis ærariis. Popma magis probaret CCCLX, quot in numerum judicum allegisse Pompeium, quum solus consul esset, narrant Velleius et Plutarchus: ob quod beneficium antea illo delectabantur, postea horrebant ejus proscriptionem Luceriæ denuntiatam. Sed prior sententia potior. Ed.

8. Αἰδέομαι. Vid. lib. II, epist. 5.

9. *Demum.* Ἀποσιώπησις, ut reticuerit, vel hominis causa, vel doloris, «pulsum aut captum». — Hoc probat J. V. L. in notis, quamquam hic Mongaltium sequitur. Ed.

10. *Quem exspecto ?. Et quidem. Equidem* Corrado in mentem venit. Frustra. J. V. L.

11. *Ego Arpinum cogitabam.* Scil. ut Cæsarem vitarem. Timebat scil. ne Cæsare rogante ut ad Urbem veniret, vel negaret cum periculo, vel assentiretur cum dedecore. Man.

ARGUMENTUM

LIBRI NONI.

Continentur item hoc libro Cnæi fuga Brundisium, atque inde in Macedoniam transmissio, quæ fuit idibus martiis, præmissis antea consulibus L. Cornelio Lentulo, et C. Claudio Marcello, cum omnibus pæne magistratibus, cunctoque senatu: æstus animi ægritudoque Ciceronis, Atticum consulentis, quum Pompeius Italia cesserit, quid sibi faciendum sit: redeuntemque a Brundisio, quo Pompeium fuerat persequutus, exspectarene debeat, et quo maxime in loco, quo vultu sermoneque excipere: denique congressus ipse cum Cæsare, et utriusque discessus. Quæ omnia acciderunt diebus paulo plus viginti. Nam quotidianæ inter eos erant literæ.

M. T. CICERONIS

EPISTOLARUM

AD ATTICUM

LIBER NONUS.

EPISTOLA I.

Scribit se nescire quid Brundisii actum sit; multos optimatium Romam ire; aliquos qui Pompeium sequuntur enumerat; sibique idem consilium placere. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Etsi, quum tu has literas legeres, putabam fore, ut scirem jam, quid Brundisii actum esset (nam Canusio VIII kal.[1] profectus erat Cnæus; hæc autem scribebam pridie nonas, XIV die postquam ille Canusio moverat): tamen angebar singularum horarum exspectatione; mirabarque, nihil allatum esse ne rumoris quidem. Nam erat mirum silentium. Sed hæc fortasse

1. Ernest. e Pontederæ computatione, Antiq. Rom. et Gr. pag. 319, legere maluit, « VIIII kal. »; quam emendationem nisi sequeris, conjiciendum est hunc annum bissextilem, et mensi februario 29 dies fuisse. Pontederæ correctio nititur hoc loco ep. 14 lib. superioris, quo dicitur Pompeius Canusio profectus Feralibus, quæ IX kalend. mart. fuisse vulgo putant, quamquam dubius sit Ovidii locus, Fast. II. Mongaltius autem hæc adducit: « nam Canusio VIII kal. », ut probet Feralia incidisse in diem februarii vigesimam secundam. Sch. Pontederæ assentit. J. V. L. nihil pronuntiat. Ed.

κενόσπουδα [2] sunt : quæ tamen jam sciantur, necesse est. Illud molestum, me adhuc investigare non posse, ubi P. Lentulus noster sit, ubi Domitius. Quæro autem, quo facilius scire possim, quid acturi sint; iturine ad Pompeium; et, si sunt, qua, quandove ituri sint [3]. Urbem quidem jam refertam esse optimatium audio; Sosium [4] et Lupum, quos Cnæus noster ante putabat Brundisium venturos esse, quam se, jus dicere [5]. Hinc vero vulgo vadunt [6]. Etiam M'. Lepidus, quocum diem conterere solebam, cras cogitabat. Nos autem in Formiano morabamur, quo citius audiremus [7] : deinde Arpinum volebamus. Inde, iter qua maxime ἀναπάντητον [8] esset, ad mare superum [9], remotis, sive omnino missis lictoribus. Audio enim, bonis viris, qui et nunc [10], et sæpe antea magno præsidio reipublicæ fuerunt, hanc cunctationem nostram non probari, multaque in me et severe, in conviviis tempestivis [11] quidem, disputari. Cedamus igitur, et, ut boni cives simus, bellum Italiæ terra marique inferamus, et odia improborum rursus in nos, quæ jam exstincta

2. Κενόσπουδα. Inanis curæ plena.

3. Alii, *sunt*. J. V. L.

4. Al. habent *Sestium*. J. V. L.

5. *Jus dicere*. Erant enim prætores C. Sosius et P. Rutilius Lupus : quorum meminit ep. 6 et 12 lib. VIII, et Rutilius jam ante Tarracina cum tribus cohortibus profugerat : sequenti anno Achaiam missus a Pompeio, obtinuit, ut scribit Cæsar lib. I et III. POPMA.

6. *Vadunt*. Ex his locis ubi nunc ago, gregatimque proficiscuntur in Urbem. GRÆV.

7. *Citius audiremus*. Quid Brundisii actum. MAN.

8. Ἀναπάντητον. Remotum ab omni occursu.

9. *Ad mare superum*. Ut in Græciam transmitteret. Epist. 3.

10. *Qui et nunc*. Quomodo nunc præsidio reipublicæ quum domi maneant? aliud fortasse dicit, aliud intelligit, εἰρωνικῶς. Epist. 16 lib. VIII, et 3 lib. IX. MAN.

11. *Tempestivis*. Hoc est, quæ de die ante statam cœnæ horam inibantur, quæ vitio vertebantur. Vide Cl. Salmas. ad Fl. Vopisci Tacitum, qui eruditissime refellit errorem vulgarem de « intempestivis conviviis », ostenditque in priscis scriptoribus legendum esse « tempestivis conviviis », sicque vocari ad quæ maturius conveniebatur solita hora, licet extraheren-

erant, incendamus, et Lucceii consilia ac Theophani persequamur[12]. Nam Scipio vel in Syriam proficiscitur sorte, vel cum genero honeste, vel Cæsarem fugit iratum. Marcelli quidem, nisi gladium Cæsaris timuissent, manerent. Appius et eodem timore, et inimicitiarum recentium[13] : et tamen præter hunc, et C. Cassium, reliqui legati; Faustus proquæstor : ego unus, cui utrumvis liceret. Frater accedet[14]; quem socium hujus fortunæ esse, non erat æquum[15]; cui magis etiam Cæsar irascetur[16] : sed impetrare non possum, ut maneat. Dabimus hoc Pompeio, quod debemus. Nam me quidem alius nemo movet; non sermo bonorum, qui nulli sunt; non causa, quæ acta timide est, agetur improbe. Uni, uni hoc damus, ne id quidem roganti, nec suam causam (ut ait[17]) agenti, sed publicam. Tu quid cogites de transeundo in Epirum, scire sane velim.

tur in noctem intempestam, aut ad luciferum usque. GRÆV. — Has lautas ac tempestivas cœnas quoque reprehendit epist. 13. ED.

12. *Persequamur.* Stomachose in Pompeium, qui, suadentibus L. Lucceio et Theophane Mitylenæo, perniciosum reipublicæ bellum suscepisset. *Persequamur,* faciamus quod Lucceio et Theophani placet. MAN. — *Theophani*, pro *Theophanis*, antique, ut alibi, non raro. — Hic bene monet Popma nulla re Ciceronem ad hoc cogi; optimates vero alios alia de causa Pompeii castra sequi. ED.

13. *Recentium.* Nuper duarum legionum Cæsari detrahendarum legationem Appius susceperat. Vid. sup. VIII, 15. ED.

14. Alii, *accederet.*

15. *Non erat æquum.* Quia Cæsaris legatus fuit in Gallia, neque Pompeio debet æque atque ego. MAN.

16. Alii, *irasceretur.* Sed habent quoque *irascetur* regii codices. J. V. L.

17. *Ut ait.* Ait se publicam causam agere, non suam. Quasi dicat : secus est. Et quodam modo significat, Pompeium, non tam reipublicæ quam sua causa motum, arma cepisse. MAN.

EPISTOLA II.

Attici epistolæ III non. mart. datæ respondet, seque quid ille de consilio vel in Italia manendi, vel Pompeium sequendi sentiat haud satis intellexisse scribit. Causam sibi negat esse, cur Pompeio succenseat: Postumum Curtium ad se venisse, ex ejusque sermonibus certum sibi esse Pompeium sequi, nuntiat. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Etsi nonis mart.[1] die tuo, ut opinor, exspectabam epistolam a te longiorem : tamen ad eam ipsam brevem, quam III nonas[2] ὑπὸ τὴν λῆψιν[3] dedisti, rescribendum putavi. Gaudere ais te, mansisse me; et scribis in sententia te manere. Mihi autem superioribus literis videbare non dubitare, quin cederem[4], ita, si et Cnæus bene comitatus conscendisset[5], et consules transissent. Utrum hoc tu parum commeministi, an ego non satis intellexi, an mutasti sententiam? Sed aut ex epistola, quam exspecto, perspiciam, quid sentias; aut alias abs te literas eliciam. Brundisio nihil dum erat allatum.

1. *Die tuo.* Die quartanæ. Epist. VII, 4, et IX, 4. Nempe illo die Cicero exspectabat ab Attico epistolam pridie aut nudiustertius scriptam. Sch.

2. *III nonas.* Sch. vult *IV:* namque nonis mart. quartana febris recurrebat; necesse est duos dies febre vacantes intercedere. Ed.

3. Vulg. διάληψιν. Sed bene Lambinus διὰ delendum putavit, ut sit ὑπὸ τὴν λῆψιν, sub ipsum accessum febris, quemadmodum legitur diserte, in eadem sententia, epist. 10 hujus libri. J. V. L.

4. *Cederem.* Satis constat *Italia* subaudiri, quod Schütz. vidit. Nam id quod sequitur, « ita, si et Cnæus », valet, ea tamen conditione, si et Cnæus. Ed.

5. *Conscendisset.* Scilicet navem. Sic simpliciter hac utebantur voce. Cicero in lib. XL: « Quamobrem conscende nobiscum, et quidem ad puppim : una navis est jam bonorum omnium ». Id. ad Q. Fratr. « Tu velim quam pri-

O rem difficilem[6], planeque perditam! quam nihil prætermittis in consilio dando! quam nihil tamen, quod tibi placeat, explicas! Non esse me una cum Pompeio gaudes; ac proponis, quam sit turpe, me adesse[7], quum quid de illo detrahatur, nec fas esse approbare. Certe contra igitur[8]? Dii, inquis, averruncent[9]. Quid ergo fiet, si in altero scelus[10] est, in altero supplicium? Impetrabis, inquis, a Cæsare, ut tibi abesse liceat, et esse otioso. Supplicandum igitur? Miserum. Quid, si non impetraro? Et de triumpho erit, inquis, integrum. Quid, si hoc ipso premar? Accipiam? quid fœdius? Negem? repudiari se totum, magis etiam, quam olim[11] in xx viratu, putabit. Ac solet, quum se purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere vellem. Quanto nunc hoc idem accipiet asperius? tanto scilicet, quanto et honor hic illo est amplior, et ipse robustior. Nam quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim apud Pompeium hoc tempore[12], non video causam, cur ita sit, hoc quidem tempore. Qui enim amisso Corfinio denique certiorem me sui consilii fecit, is queretur Brundisium me non venisse, quum inter me

mum conscendas, ad meque venias ». Sic et alibi. Græv.

6. *O rem difficilem!* Sch. initium facit alius epistolæ. Putat his « Etsi... allatum » responderi brevi Attici epistolæ III nonas datæ; nunc autem longiori die postera scriptæ. Hæc videntur confirmari epist. 10 : « quum vero jam angerer, et timerem, etc. » Non tamen probat J. V. L. et putat Ciceronem, postquam hanc ipsam epistolam scribere inchoavisset, literas quas exspectabat, accipientem, exclamare : « O rem difficilem! » Ed.

7. *Adesse*. In senatu. Epist. 5, lib. IX. Man.

8. *Contra igitur*. Nunc igitur aperte Cæsari repugnem, et in offensionem ejus incurram. Sch.

9. Junius, *abnuerint*. J. V. L.

10. *Scelus*. Si approbo, quæ dicuntur in Pompeium. — *Supplicium*. Si contra eos, qui in senatu detrahant, disputem. Man.

11. *Olim*. Clodianis temporibus, quum in locum Cosconii mortui est invitatus. Ep. 10, lib. II.

12. Hæc duo verba delet Faernus.

et Brundisium Cæsar esset? Deinde, etiam scit ἀπαῤῥησίαστον [13] esse in ea causa querelam suam. Me putat de municipiorum imbecillitate, de delectibus, de pace, de urbe, de pecunia, de Piceno occupando plus vidisse, quam se. Sin, quum potuero, non venero, tum erit inimicus : quod ego non eo vereor, ne mihi noceat : (quid enim faciet?

Τίς δ' ἐστι δοῦλος [14], τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;)

sed quia ingrati animi crimen horreo. Confido igitur adventum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, ut scribis, ἀσμένιστον [15] fore. Nam quod ais, si hic [16] temperantius egerit, consideratius consilium te daturum; qui hic potest se gerere non perdite? vita, mores, antefacta, ratio suscepti negotii, socii, vires bonorum, aut etiam constantia [17].

Vixdum epistolam tuam legeram, quum ad me, currens ad illum, Postumus Curtius venit, nihil nisi classes loquens et exercitus : eripiebat Hispanias; tenebat Asiam, Siciliam, Africam, Sardiniam; confestim in Græciam persequebatur [18]. Fundum igitur est, nec tam ut belli, quam ut fugæ socii simus. Nec enim ferre potero sermones istorum, quicumque sunt. Non sunt enim certe, ut appellantur, boni. Sed tamen id ipsum scire cupio, quid loquantur; idque ut exquiras,

13. Ἀπαῤῥησίαστον. Sch. explicat : Haud satis liberum, nec fiduciæ plenum sibi jus esse querendi. Ed.

14. Τίς δ' ἐστι δοῦλος. Quisnam est servus, qui mortem non timeat? Euripidis senarius, auctore Plutarcho in Commentario de audiendis poëtis. Ad hujus versus sententiam existimo allusisse Didonem, Æn. IV, 604 : « Quem metui moritura? » Vict.

15. Ἀσμένιστον. Jucundissimum. Sic Victor. Olim, ἀσμενέστερον. J. V. L.

16. *Si hic*. Cæsar.

17. *Constantia*. In sententiis dicendis, et Cæsari, si quid reipublicæ noxium esset facturus, se opponendi. Græv.

18. *Eripiebat ..... persequebatur*. H. e. pro certo prædicebat Cæsarem erepturum Hispanias, etc. Ed.

meque certiorem facias, te vehementer rogo. Nos adhuc, quid Brundisii actum esset, plane nesciebamus. Quum sciemus, tum ex re et ex tempore consilium capiemus; sed utemur tuo.

EPISTOLA III.

Quid Domitii filius de patre narraverit exponit, seque quid Brundisii agatur nondum scire scribit. (Formiis, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Domitii filius transiit Formias VIII id. currens ad matrem[1] Neapolim, mihique nuntiari jussit, patrem ad urbem esse; quum de eo curiose quæsisset servus noster Dionysius. Nos autem audieramus, eum profectum sive ad Pompeium, sive in Hispaniam. Id cujusmodi sit, scire sane velim. Nam ad id, quod delibero, pertinet, si ille certe nusquam discessit, intelligere Cnæum, non esse faciles nobis ex Italia exitus, quum ea tota armis præsidiisque teneatur, hieme præsertim. Nam, si commodius anni tempus esset, vel infero mari liceret uti. Nunc nihil potest, nisi supero, transmitti[2]; quo iter interclusum est. Quæres igitur et de Domitio, et de Lentulo. A Brundisio nulla adhuc fama venerat: et erat hic dies VII id. quo die, suspicabamur, aut pridie Brundisium venisse Cæsarem. Nam kal. Arpis manserat[3]. Sed si Postumum audire

1. *Matrem*. Catonis sororem Porciam. Ed.

2. *Nihil potest... transmitti*. Sic diu editum fuit. Recentiores, *tramitti*. Cur autem infra, epist. 6, *transmisisse*, et sic fere semper? J. V. L.

3. *Arpis manserat*. Hoc est, pernoctaverat. *Manere* sæpe est pernoctare. Hinc *mansio*, locus ubi pernoctamus. *Arpi*, oppidum Apuliæ mediterraneum ad fluvium Cerbalum. Hodie ruinæ tantum supersunt, retinentes vetus nomen. Vide Cluv. Ital. Ant. lib. IV, cap. 12. Græv.

velles, persequuturus erat Cnæum. Transisse[4] enim jam putabat, conjectura tempestatum ac dierum. Ego nautas eum[5] non putabam habiturum : ille confidebat, et eo magis, quod audita naviculariis hominis[6] liberalitas esset. Sed tota res Brundisina jam quomodo habeat se, diutius nescire non possum.

4. *Transisse.* Pompeium.

5. *Eum.* Cæsarem : ut persequi posset. Nautas putabam a Pompeio abductos, ut Cæsari facultatem insequendi sui Pompeius adimeret. Cæsar idem testatur, de Bell. Civili lib. I, cap. 29. Ed.

6. *Hominis.* Cæsaris. Ed.

EPISTOLA IV.

Scribit se sibi politicas quasdam theses sumpsisse, de quibus in utramque partem disserendo animum parumper a molestiis abducat. (Formiis, anno U. C. 704, mente martio.)

CICERO ATTICO S.

Ego etsi tamdiu requiesco, quamdiu aut ad te scribo, aut tuas literas lego : tamen et ipse egeo argumento epistolarum; et tibi idem accidere certo scio. Quæ enim soluto animo familiariter scribi solent, temporibus his excluduntur; quæ autem sunt horum temporum, ea jam contrivimus. Sed tamen, ne me totum ægritudini dedam, sumpsi mihi quasdam tamquam θέσεις, quæ et politicæ sunt, et temporum horum; ut et abducam animum ab querelis, et in eo ipso, de quo agitur, exercear. Eæ sunt hujusmodi:

Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ; Τυραννουμένης δ' αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύ-

σειν [1]; Εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα [2], μὴ αὐτὸς αἴρηται [3]; Εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ καιρῷ καὶ λόγῳ [4] μᾶλλον, ἢ πολέμῳ [5]; Εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν, ἀναχωρήσαντά ποι, τῆς πατρίδος τυραννουμένης; Εἰ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι [6]; Εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον ταύτην [7] τυραννουμένην [8]; Εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις [9]; Εἰ τοῖς εὐεργέταις καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων [10]; Εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι' αὐτό τε τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος [11]; Εἰ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν, ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας [12].

In his ego me consultationibus exercens, et disserens in utramque partem, tum græce, tum latine, et abduco parumper animum a molestiis, et τῶν προὔργου τι [13] delibero. Sed vereor, ne tibi ἄκαιρος [14] sim. Si enim

1. An manendum in patria tyrannide oppressa: ea vero tyrannide oppressa, an quovis modo tyrannidis eversio molienda est, etiamsi civitas propter id de summa rerum periculum subitura sit.

2. Al. malunt τῷ καταλύοντι. J. V. L.

3. An cavendum sit, ne qui tyrannidem everterit, ipse evehatur.

4. Καιρῷ καὶ λόγῳ. Henr. Stephanus conj. καιρίῳ λόγῳ. J. V. L.

5. An tentandum sit opem ferre patriæ tyrannide oppressæ verbis et rei opportunitate potius, quam bello.

6. Utrum civis boni sit, secedentem aliquo, quiescere, oppressa a tyranno patria, an quodcumque subeundum discrimen pro libertate.

7. Ταυτήν. Al. αὐτήν. J. V. L.

8. An bellum inferendum regioni, eaque sit obsidenda (armis invadenda), si a tyranno opprimatur.

9. An etiam is, qui non probet, ut bello tyrannis evertatur, tamen nomen suum profiteri cum fortissimis viris debeat.

10. An cum bene meritis et amicis una subeunda sint pericula in rebus, quæ pertinent ad rempublicam, etiamsi illi minus recte de summa rerum consuluisse videantur.

11. Utrum de patria bene meritus, ob eamque causam gravissima quæque passus et invidia oppressus, ultro pro patria discrimen subire debeat.

12. An permittendum ei, ut sui ipsius interdum et carissimarum personarum rationem habeat, dimissis adversus potentes concertationibus reip.

13. Τῶν προὔργου τι. Aliquid ex iis quæ ad rem pertinent.

14. Ἄκαιρος. Intempestivus.

recte ambulaverit[15] is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem[16] incidit.

15. Olim, *ambulavit*. J. V. L.

16. *Tuum diem*. Quartanæ.

EPISTOLA V.

Literis Attici a Philotimo acceptis respondet; Postumum apud se fuisse narrat, seque quamvis Pompeio succenseat, tamen quum ejus in se beneficia ac dignitatem cogitet, sequi eum malle quam in Italia manere, significat. (Formiis, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Natali die tuo scripsisti epistolam ad me plenam consilii, summæque quum benivolentiæ, tum etiam prudentiæ. Eam mihi Philotimus postridie, quam a te acceperat, reddidit. Sunt ista quidem, quæ disputas, difficillima, iter ad superum[1], navigatio infero, discessus Arpinum, ne hunc fugisse; mansio Formiis, ne obtulisse nos gratulationi[2] videamur: sed miserius nihil, quam ea videre, quæ tamen jam jam, inquam, videnda erunt. Fuit apud me Postumus: scripsi ad te, quam gravis[3]. Venit ad me etiam Q. Fufius[4], quo vultu! quo spiritu! properans Brundisium, scelus accusans Pompeii, levitatem et stultitiam senatus. Hæc qui in mea villa non feram, Curtium[5] in curia potero

1. *Superum*. Sc. mare Adriaticum.

2. *Gratulationi*. Cæsaris ob victoriam Brundisinam. Corr.

3. *Quam gravis*. Aut *gravis*, molestus mihi, qui de Cæsare jactaret ea quæ minime vellem; aut *gravis*, qui nimium magna loqueretur, classes, exercitus, provincias. Man.

4. *Q. Fufius*. Calenus. Postea Antonianarum partium studiosissimus. — Al. *Fusius*, male, ut passim. J. V. L.

5. *Curtium*. M. Curtium intelligit, de quo sic idem scribit epistola sequenti, « quovis potius certe quam ut Curtium videat, quem ego patronus adspicere non possum ». De hoc Curtio lib. XII, ep. 47, et lib. XIV, ep. 9. Bos. — Olim, « qui tum in curia », quod tamen Ursinus ait defendi posse. Et nos non negamus. J. V. L.

ferre? Age, finge me quamvis εὐστομάχως[6] hæc ferentem : quid? illa, DIC, M. TULLI[7], quem habebunt exitum? Et omitto causam reipublicæ, quam ego amissam puto quum vulneribus[8] suis, tum medicamentis iis, quæ parantur; de Pompeio quid agam? cui plane (quid enim hoc negem?) succensui : semper enim causæ[9] eventorum magis movent, quam ipsa eventa. Hæc igitur mala (quibus majora esse quæ possunt?) considerans, vel potius judicans, ejus opera accidisse et culpa, inimicior eram huic, quam ipsi Cæsari : ut majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis[10] pugnæ, quam urbis captæ; quod hoc malum ex illo; itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus[11] : sic ego, decem annorum peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos, hoc non defendente, ne dicam gravius, afflixerat; præsentisque temporis cognoscens temeritatem, ignaviam, negligentiam, succensebam. Sed ea jam mihi exciderunt. Beneficia ejusdem cogito; cogito etiam dignitatem. Intelligo, serius equidem, quam vellem, propter epistolas sermonesque Balbi[12]; sed video plane, nihil aliud agi, nihil actum ab initio, quam ut

6. Εὐστομάχως. Bono stomacho.

7. *Dic, M. Tulli.* Quum sententiam rogabor in senatu non tam de republica quam de ipso Pompeio, quid dicam? quomodo me explicabo? Ep. 7, lib. VII. MAN.

8. *Vulneribus.* A Cæsare potissimum inflictis. — *Medicamentis*, quæ parantur a Pompeio. SCH.

9. *Semper enim causæ.* Forte : « Semper enim me causæ eventorum magis movent, quam ipsa eventa ». Quod probat et recipit Sch. ED. — Nam in genere minus vera sententia est. CASAUB. — Significat, Pompeii culpa in eam calamitatem incidisse rempublicam; qui per decem annos Cæsaris potentiam auxerat : ut sit inimicus Cæsari ob eventa, sed inimicior Pompeio ob causas eventorum. MAN.

10. *Alliensis.* Ad Alliam flumen Sabinorum factæ. Liv. V, 38, et J. Lips. Excurs. ad Tacit. Ann. XV, 41. ED.

11. *In vulgus ignotus.* Doctis tamen notus fuit. Nam sequente cladem Alliensem die Galli Urbem ceperunt et incenderunt. Fuit is XIV kal. sext. ED.

12. *Balbi.* Cui fidem habui, affirmanti Cæsarem optimo esse animo erga Pompeium, et concordiam cupe-

hunc occideret[13]. Ego igitur, si quis apud Homerum, quum ei et mater, et dea dixisset,

> Αὐτίκα[14] γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος,

matri ipse respondit,

> Αὐτίκα τεθναίην[15], ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
> Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι·

quid, si non ἑταίρῳ solum, sed etiam εὐεργέτῃ? adde, tali viro, talem causam agenti; et[16] ego vero hæc officia mercanda vita[17] puto. Optimatibus vero tuis nihil confido, nihil jam ne inservio quidem. Video, ut se huic dent, ut daturi sint. Quidquam tu illa putas fuisse de valitudine decreta municipiorum præ his de victoria gratulationibus? Timent, inquies. At ipsi tum se timuisse[18] dicunt. Sed videamus, quid actum sit Brundisii. Ex eo fortasse mea[19] consilia nascentur, aliæque literæ.

re. Vide epist. 9 et 15, lib. VIII. MANUT.

13. *Quam ut hunc occideret*. Pompeium Cæsar. Conf. ep. 21, lib. VII. CORRAD.

14. Αὐτίκα. Statim enim tibi deinde post Hectorem mors parata. Iliad. XVIII, 96.

15. Αὐτίκα τεθναίην. Utinam statim moriar, quando quidem sodali, quum interficeretur, non potui auxilium ferre. ED.

16. Ernest. suspicatur *et* ortum e *sed*, quod post longiorem parenthesin poni solet. J. V. L.

17. *Mercanda vita*. Id est, ut hæc officia constent, vel ut his officiis ne desim, animam impendendam puto. Virgil. Æn. II: « Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ ». J. F. GRONOV.

18. *Tum se timuisse*. Quum decreta de Pompeii valitudine facerent. ED.

19. *Mea* non placet doctis. Græv. conj. *certa*; Ernest. *alia*, *nova*, aut simile quid. J. V. L.

EPISTOLA VI.

Quid Balbus Roma scripserit, narrat: se Arpinum haud iturum significat: quid de Domitio audierit, refert; et quum in literis Capua allatis nuntiatum esset, falso tamen rumore, Pompeium jam mare transisse, se valde sibi displicere, quod eum non sequutus sit, ait, ejusque doloris solatium ab Attico petit. (Formiis, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Nos adhuc Brundisio nihil[1]. Roma scripsit Balbus, putare jam Lentulum consulem transmisisse, nec eum a minore Balbo[2] conventum, quod is[3] hoc jam Canusii audisset; inde ad se eum scripsisse; cohortesque sex[4], quæ Albæ fuissent, ad Curium via[5] Minucia transisse; id Cæsarem ad se scripsisse, et brevi tempore eum ad urbem futurum. Ego utar tuo consilio; neque me Arpinum hoc tempore abdam: etsi, Ciceroni meo togam puram quum dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Cæsarem. Sed fortasse in eo ipso offendetur, cur non Romæ potius. Sed tamen, si est conveniendus, hic[6] potissimum. Tum reliqua videbimus, id est, et quo[7], et qua, et quando. Domitius, ut audio, in Cosano[8], et qui-

1. *Nihil.* Supple, accepimus.

2. *Balbo.* Cæsaris nomine rogaturo, ut in Italia maneret. Vide lib. VIII, ep. 9. Man.

3. *Quod is.* Quod Balbus minor Canusii audisset Lentulum consulem transmisisse: qui ad Balbum patrem Canusio id scripsit. Idem.

4. *Cohortesque sex.* Quibus præerat L. Manlius, prætor. Vid. Cæs. de Bell. civ. I, 24. Ed.

5. *Via Minucia.* Per Sabinos, Samnium et Apuliam ad Brundisium. Unde apparet legendum *Minuci*, non *Numici* in Horat. Ep. I, 18, 20: « Brundisium Minuci melius via ducat, an Appi? » Ed.

6. *Hic.* Nempe Formiis. Ed.

7. *Et quo, et qua.* Quo sim iturus, et qua via. Ed.

8. *In Cosano.* Agro vel litore, in quo naves Domitius paraverat, ut re-

dem, ut aiunt, paratus ad navigandum : si in Hispaniam, non probo; si ad Cnæum, laudo; quovis potius certe, quam ut Curtium videat; quem ego[9] patronus adspicere non possum. Quid alios? sed, opinor, quiescamus; ne nostram culpam coarguamus, qui, dum urbem, id est, patriam, amamus, dumque rem conventuram putamus, ita nos gessimus, ut plane interclusi captique simus.

Scripta jam epistola, Capua literæ sunt allatæ hoc exemplo : « Pompeius mare transiit cum omnibus militibus, quos secum habuit. Hic numerus est hominum millia xxx; et consules, duo et tribuni plebis[10], et senatores, qui fuerunt cum eo, omnes cum uxoribus et liberis. Conscendisse dicitur a. d. IV nonas mart.[11]. Ex ea die fuere septemtriones venti[12]. Naves, quibus usus non est, omnes aut præcidisse[13], aut incendisse dicunt. De hac re literæ L. Metello, tribuno plebis, Capuam allatæ sunt ab Clodia socru, quæ ipsa transiit ».

Ante sollicitus eram et angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, quum consilio explicare nihil possem; nunc autem, postquam Pompeius et consules ex Italia exierunt, non angor, sed ardeo dolore;

fert Cæsar lib. I. Cosa urbs Etruriæ : cui erant objectæ Igilium et Dianium insulæ, quarum meminit Plinius lib. III, cap. 6. Virgil. Æneid. X : « Quique urbem liquere Cosas ». POPMA.

9. *Ego patronus*. Qui tribunatum ei a Cæsare petii. Ep. 13, lib. II. CORR.

10. *Consules duo, et tribuni plebis*. *Duo*, fortasse glossema fuit antecedentis verbi. Aut legendum, ut homo eruditus existimat, *et duo tribuni plebis*. MAN. — Sed movendam esse tantum distinctionem alii existimant, ut paulisper quiescas post *consules*, ac deinde, *duo et tribuni* contineant. — Vett. edd. « et consules duo, et trib. pl. » Nos interpunctione et sensu virum doctum sequimur a Manutio laudatum.

11. *IV non. mart.* Hoc falsum. Cons. quidem hac die. Sed Pompeius ipsis idib. mart. infr. ep. 15, ubi notam J. V. L. referemus. ED.

12. *Septemtriones venti*. Plin. l. II, cap. 47, qui contrarii sunt navigantibus Brundisio in Græciam. CORR.

13. *Præcidisse*. Sc. rostra navium

Οὐδέ μοι [14] ἦτορ
Ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι·

non sum, inquam, mihi crede, mentis compos; tantum mihi dedecoris admisisse videor. Me non primum cum Pompeio, qualicumque consilio uso, deinde cum bonis esse, quamvis causa temere instituta? præsertim quum ii ipsi, quorum ego causa timidius me fortunæ committebam, uxor, filia, Cicerones pueri, me illud sequi mallent? hoc turpe, et me indignum putarent? nam Quintus quidem frater, quidquid mihi placeret, id rectum se putare aiebat, id animo æquissimo sequebatur. Tuas nunc epistolas a primo [15] lego. Hæ me paullum recreant. Primæ monent et rogant, ne me projiciam. Proximæ te gaudere ostendunt, me remansisse. Eas quum lego, minus mihi turpis videor, sed tam diu, dum lego; deinde emergit rursum dolor, et αἰσχροῦ φαντασία [16]. Quamobrem obsecro te, mi Tite, eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem, aut consolatione, aut consilio, aut quacumque re potes. Quid tu autem possis? aut quid homo quisquam? vix deus jam. Equidem illud molior, quod tu mones sperasque fieri posse, ut mihi Cæsar concedat, ut absim, quum aliquid in senatu contra Cnæum agatur. Sed timeo, ne non impetrem. Venit ab eo Furnius: ut quidem scias [17], quos sequamur, Q. Titinii filium cum Cæsare

defregisse: ne usum militarem haberent. Vid. Schefferus, de Re navali, p. 125. Ern.

14. Οὐδέ μοι. Neque mihi pectus firmum, sed consternato sum animo. Verba Agamemnonis ad Nestora, Iliad. lib. X, 93.

15. *A primo*. A primo tempore, ab initio. Sic epistola 11 lib. VIII: « Sed hoc a primo cogitavit, omnia maria movere ». Bos. — Pro *a primo* vulgo dicitur per ellipsin *primo*. Vide Gronov. ad Senec. de Vit. Beat. 7, et Gasp. Sciopp. in Paradoxis literariis, ep. 1. Græv. — Conj. *prima*. Frustra. J. V. L.

16. Αἰσχροῦ φαντασία. Turpitudinis imago quædam animo occursat. Ed.

17. *Ut quidem scias*. Ut intelligas,

esse nuntiat; sed illum[18] majores mihi gratias[19] agere, quam vellem. Quid autem me roget (paucis ille quidem verbis, sed ἐν δυνάμει[20]), cognosce ex ipsius epistola. Me miserum, quod tu non valuisti! Una fuissemus; consilium certe non defuisset;

Σύν τε δύ' ἐρχομένω[21].

Sed acta ne agamus; reliqua paremus. Me adhuc hæc duo fefellerunt: initio spes compositionis, qua facta, volebam uti populari vita[22], sollicitudine senectutem nostram liberari[23]; deinde bellum crudele et exitiosum suscipi a Pompeio intelligebam: melioris medius fidius civis et viri putabam, quovis supplicio affici, quam illi crudelitati non solum præesse, verum etiam interesse. Videtur vel mori satius fuisse, quam esse cum iis[24]. Ad hæc igitur cogita, mi Attice, vel potius excogita. Quemvis eventum fortius feram, quam hunc dolorem.

quo loco sint Pompeii res: quum etiam Q. Titinii filius, amici nostri, qui bonum se civem esse præ se fert, cum Cæsare sit. Ep. 21, lib. V, et 24, lib. IX. Man.

18. *Sed illum.* Quia, præter propositum, interposuerat de Titinii filio, omissum reprehendit hac particula, *sed*, ad connectendum apta, et usitata. *Illum* autem Cæsarem. Idem.

19. *Gratias.* Quod mare non transierim. *Quam vellem:* pœnitet enim. Idem.

20. Ἐν δυνάμει. Sed iis quæ magnam vim habent adhibet πειθανάγκας, ut tyrannorum preces appellat IX, 15, quibus non possum resistere. Ern.

21. Σύν τε δύ' ἐρχομένω. Utroque nostrum, quid optimum factu, cogitante. Iliad. X, 224. Refertur idem ad Div. IX, 7.

22. *Populari vita.* Popularis vita Ciceroni est, qua populus utitur sine honoribus et dignitatibus vivens in otio. Græv.

23. Al. *liberanti.* J. V. L.

24. *Videtur... cum iis.* Hæc verba esse glossatoris Schütz. putat. Ed.

CÆSAR IMP. CICERONI IMP. S. D.

Quum Furnium nostrum tantum vidissem, neque loqui, neque audire meo commodo potuissem, properarem, atque essem in itinere, præmissis jam le-

gionibus; præterire tamen non potui, quin et scriberem ad te, et illum mitterem, gratiasque agerem: etsi hoc et feci sæpe, et sæpius mihi facturus videor; ita de me mereris. In primis a te peto, quoniam confido me celeriter ad Urbem venturum, ut te ibi videam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositum revertar: festinationi meæ brevitatique literarum ignosces. Reliqua ex Furnio cognosces.

EPISTOLA VII.

Aliquantum sibi animæ restillatum scribit Attici epistola; pericula quæ Italiæ impendeant, si Pompeius vicerit, exponit, seque tamen navigare velle ostendit. (Formiis, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

[1] SCRIPSERAM ad te epistolam, quam darem IV id. sed eo die is, cui dare volueram, non est profectus. Venit autem eo ipso die ille celeripes [2], quem Salvius dixerat: attulit uberrimas tuas literas, quæ mihi quiddam quasi animulæ restillarunt. Recreatum enim me non queo dicere; sed plane τὸ συνέχον [3] effecisti. Ego enim non jam id ago, mihi crede, ut prosperos exitus consequar. Sic enim video, nec duobus his

1. Nonnihil variant edd. in his tribus aut quatuor epistolis disponendis. Sequimur nos ordinem, qui ex epistolis ipsis constare jam aliis visus est, et nobis videtur. J. V. L.

2. *Celeripes.* Quidam tabellarius. *Celeripes* est ut *loripes*, *tardipes*, etc. GRÆV. — *Quem Salvius dixerat:* nempe, venturum. ED.

3. Τὸ συνέχον. Argumentum firmissimum ad meam mansionem defendendam. Sic alii explanant, ex Quintiliano, cap. ultimo lib. III; sed potius videtur sic explanandum: Effecisti

vivis, nec hoc uno[4], nos umquam rempublicam habituros. Ita neque de otio nostro spero jam, nec ullam acerbitatem recuso. Unum illud extimescebam, ne quid turpiter facerem, vel, dicam, jam effecissem[5]. Sic ergo habeto, salutares te mihi literas misisse: neque solum has longiores, quibus nihil potest esse explicatius, nihil perfectius; sed etiam illas breviores, in quibus hoc mihi jucundissimum fuit, consilium factumque nostrum a Sexto[6] probari: pergratumque mihi tu fecisti, a quo diligi me, et, quid rectum sit, intelligi, scio. Longior vero tua epistola non me solum, sed meos omnes ægritudine levavit. Itaque utar tuo consilio, et ero in Formiano: ne aut ad Urbem ἀπάντησις[7] mea animadvertatur; aut, si nec hic, nec illic eum videro, devitatum se a me putet. Quod autem suades, ut ab eo petam, ut mihi concedat, ut idem[8] tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim: id me jam pridem agere intelliges ex literis Balbi et Oppii, quarum exempla tibi misi. Misi etiam Cæsaris ad eos, sana mente scriptas; quo modo in tanta insania[9]. Sin mihi Cæsar hoc non concedat; video tibi placere illud, me πολίτευμα[10] de pace suscipere: in quo non extimesco periculum. Quum enim tot impendeant, cur non honestissimo[11] depecisci velim? sed vereor, ne Pompeio quid oneris imponam;

quod proximum erat, quum non posses recreare. MAN.

4. *Hoc uno*. Sc. Cæsare. SCH.

5. Ernest. conj. *fecissem*. J. V. L.

6. *A Sexto*. Sext. Peducæo.

7. Ἀπάντησις. Occursus, sc. Cæsari. ED. — *Nec hic, nec illic*. I. e. nec Formiis, nec ad Urbem. ED.

8. *Ut idem*. Ne Pompeium ulla re lædam, neque adsim, quum in senatu contra illum agetur. MAN.

9. *Quo modo in tanta insania*. Sana mente scriptas, quo modo in tanta insania scribi potuit. Ut non prorsus sana mente scriptas affirmet: sed pro insania illius, sana mente. MALASP.

10. Πολίτευμα. Non administrationem reipublicæ, sed nova studia pacem inter Cæsarem et Pompeium faciendi. ED.

11. *Honestissimo depecisci*. Al. *depacisci*. J. V. L.

Μή μοι γοργείην [12] κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου

intorqueat. Mirandum enim in modum Cnæus noster Sullani regni similitudinem concupivit. Εἰδώς σοι λέγω[13]. Nihil ille umquam minus obscure tulit. Cum hocne igitur, inquies, esse vis? Beneficium sequor, mihi crede, non causam, ut in Milone[14], ut in... Sed hactenus. Causa igitur non bona est? immo optima: sed agetur (memento) fœdissime. Primum, consilium est, suffocare Urbem et Italiam fame; deinde, agros vastare, urere, pecuniis locupletum non abstinere. Sed, quum eadem metuam ab hac parte, si illinc beneficium non sit, rectius putem quidvis domi perpeti. Sed ita meruisse illum de me [15] puto, ut ἀχαριστίας [16] crimen subire non audeam. Quamquam a te ejus quoque rei justa defensio est explicata. De triumpho tibi assentior: quem quidem totum facile et libenter abjecero. Egregie probo fore, ut, dum agamus [17], ὁ πλοῦς [18] ὡραῖος obrepat: si modo, inquis, satis ille [19] erit firmus. Est firmior etiam, quam putabamus. De isto [20] licet bene speres. Promitto tibi, si valebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum. Tene igitur socio? Contra mehercule meum judicium, et contra

12. Μή μοι Γοργείην. Ne mihi Gorgoneum caput horrendi et gravis monstri. Odyss. XI, 633. Inerat enim Pompeio honor eximiæ frontis, auctore Plin. lib. VII, cap. 12, quamvis esset aspectu populari gratiæ accommodato. Plut. Hoc est, ne mihi graviter irascatur. Notum est γοργὸν βλέπειν, quid sit. Ed.

13. Εἰδώς σοι λέγω. Sciens tibi dico.

14. *Non causam, ut in Milone.* Quem Cicero non insontem sciens defendit. — *Ut in...* aposiopesis: fortasse *in Sextio*. Sch. hæc a glossatore profecta putat. Sed perperam. Ed.

15. *Meruisse illum de me.* Nempe quum omnibus viribus esset enisus, ut Cicero ex exsilio revocaretur. Sch.

16. Ἀχαριςίας. Ingrati animi.

17. *Dum agamus.* Lambinus et Lipsiensis editor Malæspinæ emendationem probant, *vagamur,* falso rati verbum *agamus* intelligi tantum posse de triumpho. J. V. L.

18. Ὁ πλοῦς. Navigatio tempestiva, hieme jam exeunte. Sch.

19. *Ille.* Pompeius. Ed.

20. *De isto.* Mirum est Ernest. de

omnium antiquorum[21] auctoritatem : nec tam ut illa adjuvem, quam ut hæc[22] ne videam, cupio discedere. Noli enim putare tolerabiles horum insanias, nec uniusmodi fore. Etsi quid te horum fugit? legibus, judiciis, senatu sublato, libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum, nec privatas posse res, nec rempublicam sustinere. Abeamus igitur inde qualibet navigatione : etsi id quidem, ut tibi videbitur; sed certe abeamus. Sciemus enim, id quod exspectas, quid Brundisii actum sit. Bonis viris quod ais probari, quæ adhuc fecerimus, scirique ab iis nos non profectos, valde gaudeo; si est nunc ullus gaudendi locus. De Lentulo investigabo diligentius : id mandavi Philotimo, homini forti ac nimium optimati[23].

Extremum est, ut tibi argumentum ad scribendum fortasse jam desit : nec enim alia de re nunc ulla scribi potest; et de hac quid jam amplius inveniri potest? sed quoniam et ingenium suppeditat (dico mehercule, ut sentio), et amor, quo et meum ingenium incitatur; perge, ut facis, et scribe, quantum potes. In Epirum quod me non invitas, comitem non molestum, subirascor. Sed vale. Nam, ut tibi ambulandum, ungendum[24], sic mihi dormiendum : etenim literæ tuæ mihi somnum attulerunt.

Cæsare intelligendum putasse. Est εἰρωνεία in Pompeium. Ed.

21. *Omnium antiquorum.* Exempla tangit L. Flacci, Philippi, et Q. Mucii, de quibus vid. lib. VIII, ep. 3. Ed.

22. *Hæc.* Quæ Cæsar faciet. Sch.

23. *Nimium optimati.* Pompeii partium studioso, et sæpe pro Pompeio mentienti, ut ait X, 9. Nec sine ironia dictum de liberto. Man.

24. *Ambulandum, ungendum.* Valitudinis causa. Hæc enim laborantibus quartana præcipiuntur a medicis. Idem.

BALBUS ET OPPIUS M. CICERONI S. D.

Nedum hominum[1] humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari solent: tamen freti tua humanitate, quod verissimum nobis videbitur, de eo, quod ad nos scripsisti, tibi consilium dabimus; quod si non fuerit prudens, at certe ab optima fide et optimo animo proficiscetur. Nos, nisi[2], quod nostro judicio Cæsarem facere oportere existimamus, ut simul Romam venerit, agat de reconciliatione gratiæ suæ et Pompeii, id eum facturum, ex ipso cognovissemus, te hortari desineremus, ut velles iis rebus interesse; quo facilius et majore cum dignitate per te, qui utrique es conjunctus, res tota conficeret: aut, si ex contrario putaremus Cæsarem id non facturum, et eum velle cum Pompeio bellum gerere sciremus, numquam tibi suaderemus, contra hominem, optime de te meritum, arma ferres; sicuti te semper oravimus, ne contra Cæsarem pugnares. Sed quum etiamnum, quid facturus Cæsar sit, magis opinari, quam scire possimus: non possumus, nisi hoc; non videri eam tuam esse dignitatem, neque fidem omnibus cognitam, ut contra alterutrum, quum utrique sis maxime necessarius, arma feras: et hoc, non dubitamus, quin Cæsar pro sua humanitate maxime sit probaturus. Nos tamen (si tibi videbitur) ad Cæsarem scribemus, ut nos cer-

1. *N. hominum.* Tres quæ sequuntur epistolæ Balbi et Oppii sunt communes, deinde Balbi solius ad Ciceronem, Cæsarisque ad Oppium et Balbum. Alii male post 6 aut 8 epist. posuerunt. Huic adjunctas ipse Cicero testatur: « Id me jam pridem agere intelliges ex literia Balbi et Oppii, etc. » Ed. — Sch. legendum arbitratur, « Etsi nedum ».

2. Alii, *nisi id. Id* Lamb. delevit ut superfluum.

tiores faciat, quid hac re acturus sit: a quo si erit nobis rescriptum, statim, quæ sentiemus, ad te scribemus; et tibi fidem faciemus, nos ea suadere, quæ nobis videntur tuæ dignitati, non Cæsaris rationi [3], esse utilissima: et hoc Cæsarem, pro sua indulgentia in nos [4], probaturum putamus.

3. *Rationi.* Alii, *actioni.* Hanc tamen vulgat. lect. defendit Gœrenz. ad Cic. Acad. II, 19, p. 116. Nec forte sine causa. Grævium autem sequimur. Ed.

4. Alii, *suos.*

BALBUS* CICERONI IMPERATORI S.

S. V. B. E. Posteaquam literas communes cum Oppio ad te dedi, ab Cæsare epistolam accepi, cujus exemplum tibi misi; ex quibus [1] perspicere poteris, quam cupiat concordiam, et Pompeium reconciliare, et quam remotus sit ab omni crudelitate: quod eum sentire, ut debeo, valde gaudeo. De te et tua fide et pietate idem mehercule, mi Cicero, sentio, quod tu; non posse tuam famam et officium sustinere, ut contra eum arma feras, a quo tantum beneficium te accepisse prædices. Cæsarem hoc idem probaturum, exploratum, pro singulari ejus humanitate, habeo; eique cumulatissime satisfacturum te certo scio, quum nullam partem belli contra eum suscipias, neque socius ejus adversariis fueris. Atque hoc non solum in te, tali et tanto viro, satis habebit, sed etiam mihi ipse sua concessit voluntate, ne in iis castris essem, quæ contra Lentulum aut Pompeium futura

* *Schœll*, *Geschichte der Rœmisch. litter.* his literis Balbi non magnam vim judicii argui affirmat, tom. II, p. 142. Ed.

1. *Ex quibus.* Σολοικοφανές. Nam, *ex quibus*, refertur ad epistolam. Credo, quum et literas et epistolam Balbus nominasset, eadem diversorum nominum significatione deceptum, illud, *ex quibus*, ut de literis, non ut de epistola, protulisse. Man.—Syllepsis in hoc esse videtur. Ed.

essent; quorum beneficia[2] maxima haberem: sibique satis esse dixit, si rogatus[3] urbana officia sibi præstitissem; quæ etiam illis, si vellent, præstare possem. Itaque nunc Romæ omnia negotia Lentuli procuro, sustineo; meumque officium, fidem, pietatem his præsto. Sed mehercule rursus jam abjectam compositionis spem non desperatissimam esse puto; quoniam Cæsar est ea mente, qua optare debemus. Hac re mihi placet, si tibi videtur, te ad eum scribere, et ab eo præsidium petere, ut petisti a Pompeio, me quidem approbante, temporibus Milonianis[4]. Præstabo (si Cæsarem bene novi), eum prius tuæ dignitatis, quam suæ utilitatis rationem habiturum. Hæc quam prudenter tibi scribam, nescio; sed illud certe scio, me ab singulari amore ac benivolentia, quæcumque scribo, tibi scribere; quod te (ita, incolumi Cæsare, moriar) tanti facio, ut paucos æque ac te caros habeam. De hac re quum aliquid constitueris, velim mihi scribas. Nam non mediocriter laboro, ut utrique, ut vis, tuam benivolentiam præstare possis; quam mehercule te præstaturum confido. Fac valeas[5].

2. *Quorum beneficia.* A Pompeio erat civitate donatus; a Lentulo, h. a. consule, patrono suo nomen *Cornelii* assumpserat. Sch.

3. *Rogatus.* Mallem *togatus.* Ed.

4. *Milonianis.* Quum reum Milonem in judicio defendisti. Man.—Id pæne significant ipsius orationis pro Milone verba illa: «Arma, centuriones, cohortes, præsidium denuntiant». Corr. — Hæc ironice dicta putat Mongaltius; sed Schütz. et epist. ad Div. III, 9, lucem his accidere putat, et intelligit de Cicerone adversus Clodianos Pompeii armis tecto. Ed.

5. Al. *ut valeas.*

CÆSAR OPPIO, CORNELIO* S.

Gaudeo mehercule, vos significare literis, quam valde probetis ea, quæ apud Corfinium sunt gesta.

* Cornelio Balbo. Vid. not. 1, pag. 72. Ed.

Consilio vestro utar libenter, et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram, ut quam lenissimum me præberem, et Pompeium, darem operam, ut reconciliarem. Tentemus hoc modo, si possumus omnium voluntates recuperare, et diuturna victoria uti : quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt, neque victoriam diutius tenere, præter unum L. Sullam, quem imitaturus non sum. Hæc nova sit ratio vincendi; ut misericordia et liberalitate nos muniamus. Id quemadmodum fieri possit, nonnulla mihi in mentem veniunt, et multa reperiri possunt. De his rebus, rogo vos, ut cogitationem suscipiatis. Cn. Magium[1], Pompeii præfectum, deprehendi. Scilicet meo instituto usus sum, et eum statim missum feci. Jam duo præfecti[2] fabrum Pompeii in meam potestatem venerunt, et a me missi sunt. Si volent grati esse, debebunt Pompeium hortari, ut malit mihi esse amicus, quam his[3], qui et illi, et mihi semper fuerunt inimicissimi; quorum artificiis effectum est, ut respublica in hunc statum perveniret.

1. *Cn. Magium, Pompeii præfectum.* Cremonensem. Vid. Cæs. Bell. Civil. I, 24. Ed.

2. *Duo præfecti.* F. Cn. Magius et L. Vibullius Rufus. Cæsar. Bell. Civ. I, 23. Ed.

3. *Quam his.* Marcellis præsertim et Catoni. Corrad.

EPISTOLA VIII.

De Torquatorum profectione; de Reatinorum corona; de senatoribus Romam regressis; de Cæsare Formias venturo. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Coenantibus pridie idus nobis, ac noctu quidem,

Statius a te epistolam brevem attulit. De[1] L. Torquato quod quæris[2], non modo Lucius, sed etiam Aulus[3] profectus[4] est; alter[5] multos d.[6] De Reatinorum corona[7] quod scribis, moleste fero in agro Sabino sementem fieri proscriptionis. Senatores multos esse Romæ, nos quoque audieramus. Ecquid potes dicere, cur exierint[8]? In his locis opinio est, conjectura magis, quam nuntio, aut literis, Cæsarem Formiis a. d. xi kal. apr. fore. Hic ego vellem habere Homeri[9] illam Minervam simulatam Mentori, cui dicerem[10]:

Μέντορ[11], πῶς τ' ἄρ' ἴω; πῶς τ' ἄρ προσπτύξομαι αὐτόν;

Nullam rem umquam difficiliorem cogitavi. Sed cogito tamen; nec ero, ut in malis, imparatus. Sed cura, ut valeas. Puto enim, diem tuum[12] heri fuisse.

1. *De L. Torquato.* Qui consul fuerat cum Cotta, ann. U. C. 689. Ed.

2. Al. «quod modo quæris». J. V. L.

3. *Aulus.* Lucii frater, qui prætor fuerat ann. U. C. 701. Ed.

4. *Profectus.* Ad Pompeium. Man.

5. *Alter.* Torquatorum alter, nempe Lucius, multos jam dies profectus. Bosius.

6. Sic MS Bosii. *D* significat *dies*, ut dedit Grævius. Verbum vero forte a Cicerone ipso properante per compendium scriptum fuit. J. V. L.

7. *Corona.* Dolet Sabinos in circulis ac coronis jacere sermones de proscriptione, quam forsitan non cogitet Cæsar, quum adhuc clementiam in victos ostenderit. Man. — Ernestius tamen, Schütz. probante, intelligit: «Quod scribis apud Reatinos sub corona venditos esse captivos», quod historiæ nulli convenire J. V. L. agnovit. Ed.

8. *Exierint.* Obviam Cæsari, Brundisio redeunti. Man.

9. Al. *illam illam M.* J. V. L.

10. *Cui dicerem.* Quam rogarem, quo modo redeuntem Brundisio Cæsarem exciperem et amplexarer: sicuti rogât eam, facie Mentori simulatam, Telemachus Ulyssis filius. Man.

11. Μέντορ. Mentor, quonam modo adeam, quonam modo amplexabor illum? Odyss. III, 22.

12. *Diem tuum.* Sc. febris quartanæ.

EPISTOLA IX.

Tribus epistolis ab Attico scriptis strictim respondet. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Tres epistolas tuas accepi postridie idus : erant autem IV, III, pridie idus datæ. Igitur antiquissimæ cuique primum respondebo.

Assentio tibi, ut in Formiano potissimum commorer; etiam de supero mari; palpaboque [1], ut antea ad te scripsi, ecquonam modo possim, voluntate [2] ejus, nullam reipublicæ partem attingere. Quod laudas, quia oblivisci me scripsi antefacta et delicta nostri amici : ego vero ita facio. Quin ea ipsa, quæ a te commemorantur, secus ab eo in me ipsum facta esse, non memini : tanto plus apud me [3] valere beneficii gratiam, quam injuriæ dolorem, volo. Faciamus igitur, ut censes, colligamusque nos. Σοφιστεύω [4] enim, simul ut rus decurro, atque in decursu θέσεις [5] meas commentari non desino. Sed sunt quædam earum perdifficiles ad judicandum. De optimatibus, sit sane ita, ut vis : sed nosti illud, Διονύσιος [6] ἐν Κορίνθῳ. Titinii

1. *Palpabo.* Blandiendo adulandoque leviter tentabo, et experiar. Bosius. —Lambinus edidit, « Balboque antea scripsi ». Male. J. V. L.

2. *Voluntate ejus.* Bona cum venia Cæsaris. Ed.

3. Al. *ad me.* J. V. L.

4. Σοφιςεύω. Declamo.

5. Θέσεις. *Quæstiones.* Vide epist. 4 supra. Ed.

6. Διονύσιος. Superbienti Philippo, Lacedæmonii rescripsere suo more breviter : *Dionysius Corinthi.* Id in proverbium abiit. Quid eo velit Cicero, solus vidit Mongaltius, quem sequimur. Alios si audimus, significat vereri se, ne tam sit inglorius ac ridiculus, quam optimates ii, de quibus scripserat Atticus, Romæ tam vacuos vivere, ut scholas habere possent, ut

filius[7] apud Cæsarem est. Quod autem quasi vereri videris, ne mihi tua consilia displiceant; me vero nihil delectat aliud, nisi consilium et literæ tuæ. Quare fac, ut ostendis, ne destiteris ad me, quidquid tibi in mentem venerit, scribere. Mihi nihil potest esse gratius.

Venio ad alteram nunc epistolam. Recte non credis de numero militum. Ipso dimidio plus scripsit Clodia[8]. Falsum etiam de corruptis navibus[9]. Quod consules laudas; ego quoque animum laudo, sed consilium reprehendo. Dispersu[10] enim illorum, actio de pace sublata est; quam quidem ego meditabar. Itaque postea Demetrii librum de concordia tibi remisi, et Philotimo dedi. Nec vero dubito, quin exitiosum bellum impendeat, cujus initium ducetur a fame. Et me[11] tamen doleo non interesse huic bello; in quo tanta vis sceleris futura est, ut, quum parentes non alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam et sanctissimam parentem, patriam, fame necandam putent. Atque hoc non opinione timeo, sed interfui ser-

habuerat Corinthi Dionysius, Syracusis pulsus, et regia exutus potestate. Atqui hoc Lacedæmonii quum scriberent, non insultabant ludimagistro, olim regi: sed Philippum admonebant, ne secundis rebus insolesceret; esse enim fortunam mutabilem, quæ posset ipsum quoque, uti Dionysium, de gradu dejicere. Hujus ergo loci sententia hæc est: Ais probari optimatibus, qui Romæ sunt, consilium manendi in Italia meum; nempe quoniam præpollet nunc Cæsar: at non ignoras mutari fortunam posse: si se reddiderit Pompeio, et hic rempublicam recuperarit, quid mecum fiet? Vide supra VIII, 3, infra X, 8, quibus in locis hæc eadem narrat. Olivet.—Optimam Mongaltii interpretationem Schutz. transcribit in indice suo græco latino, tom. IV, Lipsiæ, 1821: quod referens J. V. L. monet non semper ab exteris gallicum interpretem, cujus notis usi sunt, nominatum fuisse. Ed.

7. *Titinii filius.* Equitis romani et fœneratoris. Ed.

8. *Clodia.* Socrus L. Metelli. Vide epist. 6 hujus libri. Cum xxx millibus militum transisse scribebat. Ed.

9. *De corruptis navibus.* Præcisis, aut incensis. Vide eamd. ep. 6. Ed.

10. *Discessu.* Plerique alii, *dispersu.*

11. *Et me tamen doleo non interesse huic bello.* Sch. verba, *et me...*

monibus. Omnis hæc classis Alexandria, Colchis [12], Tyro, Sidone, Arado, Cypro, Pamphylia, Lycia, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbo, Smyrna, Mileto, Coo, ad intercludendos commeatus Italiæ, et ad occupandas frumentarias provincias comparatur. At quam veniet iratus [13]! et iis quidem maxime, qui eam maxime salvam volebant, quasi relictus ab iis, quos reliquit. Itaque mihi dubitanti, quid me facere par sit, permagnum pondus affert benivolentia erga illum; qua dempta, perire melius esset in patria, quam patriam servando evertere. De septemtrione [14], plane ita est. Metuo, ne vexetur Epirus [15]. Sed quem tu locum Græciæ non direptum iri putas? Prædicat enim palam, et militibus ostendit, se largitione ipsa [16] superiorem, quam hunc, fore. Illud me præclare admones, quum illum videro [17], ne nimis indulgenter, et ut cum gravitate potius loquar. Plane sic facien-

bello, suspicatur a glossatore ad marginem scripta fuisse, quasi ad vituperandum Ciceronem; qui tamen bello interesse numquam voluit, nedum ut doleret se ei non interesse. Levis nimium in tanta animi perturbatione verborum omnium cavillatio. J. V. L.

12. *Colchis.* Nomen populi pro regionis nomine. Intelligenda est regio Pontica. Nam Pompeium Ponto imperasse naves constat. Ed.

13. *At quam veniet iratus!* Hæc correctio est a Victorio, pro eo quod antea erat, *ad quam veniet iratus.* J. V. L.

14. *De septemtrione.* Ernestius de regionibus Græciæ versus septemtrionem intelligit, sed potius de vento accipiendum. Ed. — Cicero epist. 6 hujus libri dixerat septemtriones flasse, qui solvere cupientes Italia in Epirum impediebant. Atticus erat aliquid jocatus, et dixerat, se valde vereri ne septemtriones vastaturi sint Epirum, intelligens exercitum Pompeii. Casaub. — Aliter tamen Mongaltius noster. Hæc enim vult intelligi de consulum discessu, qui, etsi septemtriones flarent, in navem nihilo minus conscendisse tunc dicebantur. Oliv.

15. *Epirus.* Ubi res habes tuas. Corrad.

16. *Largitione ipsa.* Qua uti non potest nisi direptionibus pecuniæ copias paraverit. — *Quam hunc.* Id est, Cæsarem. Pro *ipsa* Schützius malit *ipsum.* Ed. — *Quam hunc* Ernestio languere videtur: et hoc conjicit a glossatore profectum. Ed.

17. *Quum illum videro.* Cæsarem Brundisio revertentem. Vide ep. 7. Corrad.

dum. Arpinum, quum eum convenero, cogito, ne forte aut absim, quum veniet, aut cursem huc illuc via deterrima. Bibulum, ut scribis, audio venisse, et redisse[18] pridie idus.

Philotimum, ut ais epistola tertia, exspectabas. At ille idib. a me profectus est[19]: eo serius ad tuam illam epistolam, cui ego statim rescripseram, redditæ sunt meæ literæ. De Domitio, ut scribis, ita opinor esse, ut et in Cosano sit, et consilium ejus ignoretur. Iste[20] omnium turpissimus et sordidissimus, qui consularia comitia a prætore ait haberi posse: est ille quidem, qui semper in republica fuit. Itaque nimirum hoc illud est, quod Cæsar scribit in ea epistola, cujus exemplum ad te misi, se velle uti « consilio » meo; age, esto hoc commune[21]: « gratia »; ineptum id quidem; sed, puto, hoc simulat ad quasdam senatorum[22] sententias: « dignitate »; fortasse sententiæ consularis[23]. Illud extremum est, « ope omnium rerum ». Id ego suspicari cœpi tum ex tuis literis, aut hoc ipsum esse, aut

18. *Rediisse.* Quo redierit, incertum: in Syriam non rediisse Sch. affirmat. Venerat e Syria provincia. Postea a Pompeio toti rei maritimæ præfectus est. Ed.

19. Ernest. malit *profectus erat.* J. V. L.

20. *Iste.* Consules aberant Lentulus et Marcellus. Agebatur ergo, quis haberet comitia designandis in proximum annum consulibus. Si exstaret Attici epistola nomen haud ignoraremus. Manut. — *Iste*, M. ut puto, Lepidus, non ille consularis (lib. VII, epist. 11), sed prætor, deinceps triumvir, qui paucis post mensibus Cæsarem absentem dictatorem dixit. Ed.

21. *Commune.* Quod velit uti consilio meo. *Commune* cum aliis ita, ut meo, sicut aliorum consilio uti possit: vel *commune* de omnibus rebus, non solum de comitiis. Corrad. — *Commune* Manut. optime interpretatur: Hoc ne consideremus. Ed.

22. *Ad quasdam senat. sententias.* Ut horum, apud quos gratiosus sim, sententias ei conciliare possim, ad illud ipsum negotium de consulibus per prætorem creandis conficiendum. Schutzius.

23. *Sententia consularis.* Scilicet ad acta sua speciosiora reddenda, si mea consularis viri sententia fuissent probata. Græv. — Sed et Vict. et Bosius ediderunt *sententiæ.* Utrumvis elige. — Sic Bosius. Vett. edd. *sententia con-*

non multo secus. Nam permagni ejus interest, rem ad interregnum[24] non venire. Id assequitur, si per prætorem[25] consules creantur. Nos autem[26] in libris habemus, non modo consules a prætore, sed ne prætores quidem creari jus esse, idque factum esse numquam: consules, eo non esse jus, quod majus imperium a minore rogari non sit jus; prætores autem, quum ita rogentur, ut collegæ consulum[27] sint, quorum est majus imperium. Aberit non longe, quin hoc a me decerni velit, neque sit contentus Galba, Scævola, Cassio, Antonio.

Τότε μοι[28] χάνοι εὐρεῖα χθών.

Sed quanta tempestas impendeat, vides. Qui transierint[29] senatores, scribam ad te, quum certum habebo. De re frumentaria recte intelligis; quæ nullo modo administrari sine vectigalibus potest: nec sine causa et eos, qui circum illum[30] sunt, omnia postulantes, et bellum nefarium times. Trebatium nostrum, etsi, ut scribis, nihil bene sperat, tamen videre sane velim: quem fac horteris, ut properet. Opportune enim ad

sularis, pro quo et conjecit Corradus; *sententia consulari*. J. V. L.

24. *Ad interregnum*. Cæsar enim incertus de voluntate ejus, qui interrex creaturus fuisset, haberi a prætore sui studioso comitia consularia malebat. Quod autem Cæsar a Lepido non consul, sed dictator creatus fuerit, visa causa est, ut eo majore potentia uteretur, non, ut quidam putarunt, quia a prætore magis dictator dici, quam consul, salvis legibus et more populi poterat. Ed.

25. *Prætorem*. Alii, *prætores*, et mox *a prætoribus*, pro *a prætore*. J. V. L.

26. *Nos autem*. Augures. Corrad. — *In libris*. Auguralibus. Ed.

27. *Collegæ consulum*. Si enim creantur prætores, ut collegæ consulum sint, creari a prætore non possunt. Non enim collegæ consulum dicerentur, creati ab eo, cujus imperium consulari imperio minus est, ideoque a consule creantur. Gellius, lib. XIII, cap. 14. Man.

28. Τότε μοι. *Tunc mihi dehiscat lata tellus*. Subaudi, quum a me decernetur quid tale. Iliad. IV, 182.

29. *Transierint*. Cum Pompeio.

30. *Circum illum*. Nempe Pompeium. Ed.

me ante adventum Cæsaris venerit. De Lanuvino[31], statim, ut audivi Phameam mortuum, optavi, si modo esset futura respublica, ut id aliquis emeret meorum: neque tamen de te, qui maxime meus, cogitavi. Sciebam enim te quoto anno[32], et quantum in solo, solere quærere; neque solum Romæ, sed etiam Deli tuum digamma[33] videram. Verumtamen ego illud, quamquam est bellum, minoris æstimo, quam æstimabatur Marcellino consule[34], quum ego istos hortulos propter domum, Antii quam tum habebam, jucundiores mihi fore putabam, et minore impensa, quam si Tusculanum refecissem. Volui H-S D[35]; egi per præ-

31. *Lanuvino.* Fundo, cujus dominus Phameas. Alii, pro *Lanuvino*, scribunt *Lambino*. Neutrum male.

32. *Te quoto anno.* Indicat Cicero his verbis summum studium Attici in quæstu faciendo, qui, quod majorem fructum perciperet ex fœtu pecuniæ, quam ex agrorum proventu, malebat nummos fœnori collocare, quam iis prædia comparare. Eum porro tradit mire cautum fuisse in nominibus faciendis. Primum enim quæsiisse *quoto anno* sortem redditturi essent, qui fœnori pecunias sumebant, id est, quamdiu essent fœnebribus nummis usuri; tum *quantum* iidem *in solo* haberent, hoc est, quo pretio censerentur eorum prædia, et res soli: ne scilicet ii diutius nummos retinerent, quam ut bonorum prædiorum æstimatio satis esse posset omnibus usuris cum sorte persolvendis. Bos. —Sch. male delere vult *et;* rejectaque Bosii interpretatione, intelligit Atticum quærere, ager a se emptus quot annorum spatio tantum redderet sibi, quantum in solo, i. e. in ejus emptione posuisset. Ed.

33. *Digamma.* Est, ut recte Turn. explicat, fœnus, ita dictum, a prima ejus vocis litera, quæ est digamma Æolicum. Sic libro XV, δάνειον τῷ Δ notavit. Ceterum Atticus Romæ pecunias fœnori occupare consueverat, utebaturque in ea re opera quorumdam argentariorum, quos Cicero obscure in his epistolis Oppios Velienses appellat. Deli etiam fœnebrem pecuniam habebat, ubi celeberrimus fuit mercatus, quemadmodum refert Strabo lib. XIV. Bosius. — Alii, *delicium digammæ;* al. *tuum diagramma*, ut sint adversaria, s. codex acceptorum et expensorum.

34. *Marcellino consule.* H. e. ann. U. C. 697, quo consul fuit cum L. Marcio Philippo, altero anno post reditum Ciceronis ab exsilio. Ed.

35. Alii, *H-S Q;* al. explicant *quingentis.* Incerta vero lectio. J.V. L. —Schütz. intelligit quingentis millibus sestertiis, et scribendum putat *H-S D M*, quod verisimile est. Ed. — Ceterum infra, epist. 13, se ipse corrigit, aitque non Lanuvinum Phameæ; sed Trojanum prædium emere voluisse. Sch.

dem, ille daret[36], Antii quum haberet venale[37]: noluit. Sed nunc omnia ista jacere[38] puto propter nummorum caritatem. Mihi quidem erit aptissimum, vel nobis potius, si tu emeris. Sed ejus dementias[39] cave contemnas: valde est venustum. Quamquam mihi ista omnia jam addicta vastitati videntur. Respondi epistolis tribus: sed exspecto alias. Nam me adhuc tuæ literæ sustentarunt. D. Liberalibus[40].

36. Olim *egi per prædem, illi daret.* Quid? satis venditori cautum non fuit præde, ut rem emptori concrederet: nisi ipsimet prædi, quoad soluta res esset, quasi depositum traderet? Id mihi prædi cogitandum fuisse, non venditori videtur. Ego cum manuscriptis libris, Antoniano, Faerni, Pogii, Maffei omnibus, *ille* malim legere, hoc sensu: Ego hortos a Phamea H-S Q emere volui: et ut eo libentius descenderet, egi per ipsum prædem, mihi ille ut daret. Noluit. Ita enim dicimus, *egi daret*, ut, *egi ut daret.* Malasp.

37. *Venale*. Quum Phamea Lanuvinum Antii proscripsisset. Man.

38. *Jacere*. Viliore pretio vendenda esse. Ed.

39. *Dementias*. Sumptus immensos factos in ædificando et exornando Lanuvino, unde impensius venibat. Bosius.

40. *Liberalibus*. Hoc est, xvi kal. aprilis. Corr. — Ex hac epistola, Pompeium profectum esse, constat. Quomodo igitur dicit Plutarchos, eum profectum esse Liberalibus? Nimirum errare potuit. Nec alibi non erravit. Manut.

EPISTOLA X.

Angi se scribit, quod Pompeium non sit sequutus; nec tamen inconsiderate quidquam egisse, præsertim quum Atticus compluribus epistolis, quarum loca affert, sibi, ut in Italia maneret, suaserit. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Nihil habebam, quod scriberem. Neque enim novi quidquam audieram, et ad tuas omnes rescripseram pridie[1]. Sed, quum me ægritudo non solum somno

1. *Pridie*. Epist. superiore. Ed.

privaret, verum ne vigilare quidem sine summo dolore pateretur, tecum ut quasi loquerer, in quo uno acquiesco, hoc nescio quid, nullo argumento proposito, scribere institui. Amens[2] mihi fuisse videor a principio, et me una hæc res torquet, quod non, omnibus in rebus labentem, vel potius ruentem Pompeium tamquam unus manipularis sequutus sim. Vidi hominem XIV kal. febr. plenum formidinis. Illo ipso die sensi, quid ageret. Numquam mihi postea placuit; nec umquam aliud in alio[3] peccare destitit. Nihil interim ad me scribere, nihil nisi fugam cogitare. Quid quæris? sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς[4] alienant immundæ, insulsæ, indecoræ: sic me illius fugæ negligentiæque deformitas avertit ab amore. Nihil enim dignum faciebat, quare ejus fugæ comitem me adjungerem. Nunc emergit amor; nunc desiderium ferre non possum; nunc mihi nihil libri, nihil literæ, nihil doctrina prodest: ita dies et noctes, tamquam avis illa[5], mare[6] prospecto, evolare cupio. Do, do pœnas temeritatis meæ: etsi quæ fuit illa temeritas? quid feci non consideratissime? Si enim nihil præter fugam quæreretur, fugissem libentissime; sed genus belli crudelissimi et maximi, quod, nondum vident homines, quale futurum sit, perhorrui. Quæ minæ municipiis? quæ nominatim viris bonis? quæ denique omnibus, qui remansissent? quam crebro illud[7], «Sulla

2. *Amens.* Al. ignorant *mihi.* J. V. L.

3. Ernest. conj. *ex alio.* J. V. L.

4. Ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς. In amatoriis.

5. *Avis illa.* De qua scis a Platone scribi in epistola ad Dionis propinquos, quum se a Dionysii tyranni custodibus observatum, ne horto regiæ domui conjuncto egredi posset, extra spectare, tamquam avem e cavea dicit. Βλέπων ἔξω, καθάπερ ὄρνις ποθῶν ποθὲν ἀναπτάσθαι. Ep. 9. Non mirum est ad hæc tam remota alludi, in epistolis virorum græcas literas adeo callentium.

6. *Mare.* Ut ad Pompeium navigem. MAN.

7. *Quam crebro illud.* Quam sæpe auditus est, quum diceret: Cur ego non potero, quod potuit Sulla, regnare, dominari? Supra, ep. 7: « Mirandum in modum Cnæus noster Sullani

potuit, ego non potero?» Mihi autem hæserunt [8] illa : male Tarquinius, qui Porsenam [9], qui Octavium Mamilium contra patriam ; impie Coriolanus, qui auxilium petiit a Volscis ; recte Themistocles, qui mori maluit ; nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. At Sulla, at Marius, at Cinna recte [10], immo jure fortasse. Sed quid eorum victoria crudelius? quid funestius ? Hujus belli genus fugi, et eo magis, quod crudeliora etiam cogitari et parari videbam. Me, quem nonnulli conservatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt, Getarum [11], et Armeniorum, et Colchorum copias ad eam adducere? me meis civibus famem, vastitatem inferre Italiæ? Hunc primum mortalem esse, deinde etiam multis modis posse exstingui cogitabam ; urbem autem, et populum nostrum servandum ad immortalitatem, quantum in nobis esset, putabam ; et tamen spes quædam me obtentabat, fore, ut aliquid conveniret [12] potius, quam aut hic [13] tantum sceleris, aut ille tantum flagitii admitteret. Alia res nunc tota est, alia mens [14] mea. Sol, ut est in tua quadam epistola,

regni similitudinem concupivit. Nihil ille unquam minus obscure tulit ». Olivet.

8. *Hæserunt.* Alte infixa in animo.

9. *Porsenam.* De Porsena, et Octavio Mamilio Livius, lib. II ; Dionysius Halic. lib. V.

10. *Recte, immo jure fortasse.* Affirmaritne Cicero, an concesserit, *recte* Sullam fecisse, Marium, Cinnam, movendis armis civilibus ? non arbitratur Olivet. Quare post *recte* notam interrogationis posuit, quæ a ceteris editionibus abest. Id fit *recte*, quod nulla reprehendi ex parte potest. Quod non sine causa fit, quæ sit probabilis, id *jure* factum videtur. Causas vero idoneas habuisse illi videbantur duces bellorum civilium, quas rerum romanarum scriptores fuse narrarunt, Florus breviter exposuit lib. III, cap. 21. Olivet.

11. *Getarum.* Forte significat copias Coti Thracum regis, cui tunc forte subjecti Getæ. Maluit *Getas* dicere ut longinquiores. Populi erant Scythici ad caput Istri habitantes. Ed.

12. *Aliquid conveniret.* Aliqua ratione res componeretur. Man.

13. *Hic.* Cæsar tyrannide invadenda. *Ille*, Pompeius, Italiam ad vastitatem vocando. Ed.

14. *Alia mens.* In quibusdam edd. abest *mens*. J. V. L.

excidisse mihi e mundo videtur. Ut ægroto, dum anima est, spes esse dicitur; sic ego, quoad Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti. Hæc, hæc me fefellerunt; et, ut verum loquar, ætas jam a diuturnis laboribus devexa ad otium, domesticarum me rerum delectatione molliit. Nunc, si vel periculo experiundum erit, experiar certe, ut hinc avolem. Ante oportuit fortasse. Sed ea, quæ scripsi [15], me tardarunt, et auctoritas maxime tua.

Nam quum ad hunc locum venissem, evolvi volumen epistolarum tuarum, quod ego sub signo[16] habeo, servoque diligentissime. Erat igitur in ea, quam x kal. febr. dederas, hoc modo : « Sed videamus, et Cnæus quid agat, et illius rationes quorsum fluant. Quod si iste Italiam relinquet; faciet omnino male, et, ut ego existimo, ἀλογίστως [17] : sed tum demum consilia nostra commutanda erunt ». Hoc scribis post diem quartum, quam ab Urbe discessimus. Deinde VIII kalend. febr. « Tantummodo Cnæus noster, ne, ut Urbem ἀλογίστως reliquit, sic Italiam relinquat [18] ». Eodem die das alteras, quibus mihi consulenti planissime respondes. Est enim sic : « Sed venio ad consultationem tuam. Si Cnæus Italia cedit, in Urbem redeundum puto : quæ enim finis peregrinationis? » Hoc mihi plane hæsit : et nunc ita video, infinitum bellum junctum miserrima

15. Al. *scripsisti*. J. V. L.

16. *Sub signo habeo*. Alibi : « sub signo claustrisque ». Sic Horatius de suo libro loquens extr. epist. lib. I : « Odisti claves et grata sigilla pudico ». Unde apparet scripta et chartas caras sub signo claustrisque fuisse solita servari. Casaub.—Infra refert plures, quam ubi maxime, locos epistolarum Attici; eo pretiosiores, quod eques ille Romanus, quum Ciceronis epistolas prodire passus est, omnes epistolas suas consulto suppressit. Ed.

17. Ἀλογίςως. Absque ratione.

18. *Sic Italiam relinquat*. Quod illi exitiosum fuit. « Pompée, dès le commencement de la guerre, fut obligé d'abandonner l'Italie; ce qui fit perdre à son parti la réputation qui, dans les guerres civiles, est la puissance même ». *Montesquieu*, *Grand. et Décad.* c. 11. Ed.

fuga; quam tu peregrinationem ὑποκορίζῃ[19]. Sequitur χρησμὸς[20] VI kalend. februar. « Ego, si Pompeius manet in Italia, nec res ad pactionem venit, longius bellum puto fore; sin Italiam relinquit, ad posterum bellum ἄσπονδον[21] strui existimo ». Hujus igitur belli ego particeps, et socius, et adjutor esse cogor, quod et ἄσπονδον est[22], et cum civibus. Deinde VII id. februar. quum jam plura audires de Pompeii consilio, concludis epistolam quamdam hoc modo : « Ego quidem tibi non sim auctor, si Pompeius Italiam relinquit, te quoque profugere. Summo enim periculo facies, nec reipublicæ proderis; cui quidem posterius poteris prodesse, si manseris ». Quem φιλόπατριν[23] ac πολιτικὸν[24] hominis prudentis et amici, tali admonitu, non moveret auctoritas? Deinceps III idus februar. iterum mihi respondes consulenti sic : « Quod quæris a me, fugamne fidam[25], an moram deserendam utiliorem putem : ego vero in præsentia subitum discessum, et præcipitem profectionem, quum tibi, tum ipsi Cnæo inutilem et periculosam puto; et satius esse existimo, vos dispertitos, et in speculis esse. Sed medius fidius turpe nobis puto esse, de fuga cogitare ». Hoc turpe Cnæus noster biennio ante cogitavit : ita sullaturit[26]

19. Ὑποκορίζῃ. Honesto nomine appellas.

20. Χρησμός. Oraculum.

21. Ἄσπονδον. Æternum, inexpiabile, nec nisi alterius utrius internecione finiendum.

22. Abest *est*. J. V. L.

23. Φιλόπατριν. Studiosum patriæ.

24. Πολιτικόν. Reipublicæ deditum.

25. *Fugamne fidam*. Quid si corrigatur : « fugamne fœdam, an moram desidem, etc. » MAN. — Bosius, *defœdam*, e MSS. Mendosus locus, et varie tentatus. Magis placent illa : Junii, « fugane fidem, an mora deserendam, utiliorem putem »; nuperrimi Lips. editoris, « fugamne citam, an moram discedendi ». J. V. L. — Consultius autem duxi et hoc loco veterum codicum corruptam lectionem dare cum Victorio et Manutio, quam incertas conjecturas pro Attici verbis venditare. GRÆV. — Vide, si vacat, Turnebi Adversaria, lib. I, cap. 21.

26. *Sullaturit*. Genus illud Sullani regni appetit. — *Proscripturit*. Proscribere cupit. Vide lib. VIII, ep. 11. CORRAD.

animus ejus, et proscripturit diu. Inde, ut opinor, quum tu ad me quædam γενικώτερον[27] scripsisses, et ego mihi a te quædam significari putassem, ut Italia cederem : detestaris hoc diligenter XI kalend. mart. « Ego vero nulla epistola significavi, si Cnæus Italia cederet, ut tu una cederes; aut, si significavi, non dico fui inconstans, sed demens ». In eadem epistola alio loco, « Nihil relinquitur, nisi fuga : cui te socium neutiquam puto esse oportere, nec umquam putavi ». Totam autem hanc deliberationem evolvis accuratius in literis IIX kalend. mart. datis : « Si M'. Lepidus et L. Volcatius remanent, manendum puto, ita ut, si salvus sit Pompeius, et constiterit alicubi, hanc νεκυίαν[28] relinquas, et te in certamine vinci cum illo[29] facilius patiaris, quam cum hoc in ea, quæ perspicitur futura, colluvie regnare ». Multa disputas huic sententiæ convenientia. Inde ad extremum : « Quid si, inquis, Lepidus et Volcatius discedunt? plane ἀπορῶ[30]. Quod evenerit igitur, et quod egeris, id στερκτέον[31] putabo ». Si tum dubitaras[32], nunc certe non dubitas, istis manentibus. Deinde in ipsa fuga V kal. mart. « Interea non dubito, quin in Formiano mansurus sis.

27. Γενικώτερον. *Generalius*, ut γενικῶς ep. 11, lib. I. Corradus malit *magis generose*. Nam Suidas γενικῶς, γενναίως, καὶ ἰσχυρῶς exponit. Et Plat. in Theæt. γενικὸν ἄνδρα vocat. Atque Atticus Ciceronem γενικώτερον hortatus fuerat ad memoriam factorum, dictorum, et scriptorum : epist. 2, lib. VIII. Quin Cicero ipse εὐγενῆ quædam Attici consilia vocat epist. 9, lib. VIII. Corr. — Olim. ἀῤῥενικώτερον, i. e. virilius, quod ad mentem Corradi propius. Sch. malit αἰνικτηριώτερον, quasi Atticus paullo obscurioribus verbis scripserit, quæ Cicero in contrariam partem accipere possit. Ed.

28. Νεκυίαν. Mortuorum turbam, hoc est, flagitiosum Cæsaris comitatum : quod ad Cæsarem egentissimus, et perditissimus quisque ita confluxerat, ut ad Ulyssem, quum ad inferos descendisset, confluxisse mortuos scribit Homerus, Odyss. XI. Vid. Tusc. I, c. 16. Manut.

29. *Illo*. Pompeio. *Hoc*. Cæsare. Ed.

30. Ἀπορῶ. Dubius sum.

31. Στερκτέον. Probandum.

32. Sic Bosius. Edd. pr. et MSS, *dubitares*. Ernest. vero legendum putat, *dubitabas*. J. V. L.

Commodissime enim τὸ μέλλον[33] ibi καραδοκήσεις ». Ad kal. mart. quum ille quintum jam diem Brundisii esset : « Tum poterimus deliberare, non scilicet integra re, sed certe minus infracta, quam si una projeceris te. » Deinde IV nonas mart. ὑπὸ τὴν λῆψιν[34] quum breviter scriberes, tamen ponis hoc : « Cras scribam plura, et ad omnia : hoc tamen dicam, non pœnitere me consilii de tua mansione; et, quamquam magna sollicitudine, tamen, quia minus mali puto esse, quam in illa profectione, maneo in sententia, et gaudeo te mansisse ». Quum vero jam angerer, et timerem, ne quid a me dedecoris esset admissum, III nonas mart. « Tamen te non esse una cum Pompeio, non fero moleste. Postea si opus[35] fuerit, non erit difficile; et illi, quoquo tempore fiet, erit ἀσμένιστον[36]. Sed hoc ita dico, si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, sincere, temperate, prudenter; valde videro, et consideratius utilitati nostræ consuluero ». VII idus mart. scribis Peducæo quoque nostro probari, quod quierim, cujus autoritas multum apud me valet. His ego tuis scriptis me consolor, ut nihil a me adhuc delictum putem. Tu modo auctoritatem tuam defendito; adversus me, nihil opus est : sed consciis[37] egeo aliis. Ego, si nihil peccavi, reliqua tuebor. Ad ea tute hortare, et me omnino tua cogitatione adjuva. Hic nihildum de reditu Cæsaris audiebatur. Ego his literis hoc tamen profeci; perlegi omnes tuas, et in eo acquievi.

33. Τὸ μέλλον. Quod futurum est : καραδοκήσεις, exspectabis.

34. Ὑπὸ τὴν λῆψιν. Sub ipsam febris accessionem.

35. *Opus*. Te esse cum Pompeio.

36. Ἀσμένιστον. Jucundissimum.

37. *Consciis*. Quibus cupio rationem consilii mei probari. SCH.

EPISTOLA XI.

Literas se a Lentulo accepisse, Matium se convenisse, itemque Crassipedem scribit. (In Formiano, an. U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Lentulum[1] nostrum scis Puteolis esse: quod quum e viatore quodam esset auditum, qui se diceret eum in Appia, quum is paullum lecticam aperuisset, cognosse, etsi vix verisimile, misi tamen Puteolos pueros, qui pervestigarent, et ad eum literas. Inventus est vix in hortis suis se occultans, literasque mihi remisit, mirifice gratias agens Cæsari[2]: de suo autem consilio[3] C. Cæcio[4] mandata ad me dedisse. Eum ego hodie exspectabam, id est, XIII kal. april. Venit etiam ad me Matius quinquatribus[5], homo mehercule, ut mihi visus est, temperatus et prudens: existimatus quidem est semper auctor otii. Quam ille hæc non probare mihi quidem visus est! quam illam νεκυίαν[6], ut tu appellas, timere! Huic ego in multo[7] sermone epistolam ad me Cæsaris ostendi eam, cujus exemplum ad te antea misi; rogavique, ut interpretaretur; quid esset, quod ille scriberet, consilio meo se

1. *Lentulum.* Spintherem, Ciceroni amicissimum, Corfinii cum Domitio captum. Conf. Cæsar de Bello Civ. I, 23. Ed.

2. *Cæsari.* A quo Corfinii captus, incolumis esset dimissus. Ep. 10. Man.

3. *Consilio.* Id est, quod ipse constituerit in posterum facere, id mihi significare voluisse per C. Cæcium, sive *Cæicium*: nam ita legit Fulvius Ursinus in gente Cassia: in cujus nummis invenit *L. Cassius Cæicianus.* J. F. Gronov.

4. Ed. Jenson. habet *Cœlio.* J. V. L.

5. *Quinquatribus.* Festis Minervæ diebus, qui Græcis erant Παναθηναῖα: Latinis, *Quinquatria*, et *Quinquatrus*, ut mox epistol. 13. Fiebant XIV kal. april. Ed.

6. Νεκυίαν. Vide superiorem ep. not. 28. Ed.

7. *Multo.* Forte, *mutuo.* Casaub.

uti velle, gratia, dignitate, ope rerum omnium. Respondit, se non dubitare, quin et opem, et gratiam meam ille ad pacificationem quæreret. Utinam aliquod in hac miseria reipublicæ πολιτικὸν[8] opus efficere et navare mihi liceat! Matius quidem et illum in ea sententia esse confidebat, et se auctorem fore pollicebatur. Pridie autem apud me Crassipes fuerat, qui se pridie nonas mart. Brundisio profectum, atque ibi Pompeium reliquisse dicebat; quod etiam, qui IIX idus illinc profecti erant, nuntiabant: illa vero omnes, in quibus etiam Crassipes (qui prudentia potis[9] attendere), sermones minaces, inimicos optimatium[10], municipiorum hostes, meras proscriptiones, meros Sullas: quæ Lucceium loqui? quæ totam Græciam? quæ vero Theophanem[11]? Et tamen omnis spes salutis in illis est: et ego excubo animo, nec partem ullam capio quietis; et, ut has pestes[12] effugiam, cum dissimillimis nostri esse cupio. Quid enim tu illic Scipionem, quid Faustum, quid Libonem prætermissurum sceleris putas? quorum creditores convenire[13] dicuntur. Quid eos autem, quum vicerint, in cives effecturos? Quam vero μακροψυχίαν[14] Cnæi nostri esse? nuntiant Ægyptum, et Arabiam

8. Πολιτικόν. Civile opus, reipublicæ utile.

9. *Qui prudentia potis.* Grævius « qua prudentia, potis ». Sc. qua prudentia hæc jactent palam. Locum corruptum sic emendavit Grævius. Quod si Tullii verba non habes, at sententiam habes aliquam, quum nulla ex vulgatis elici possit. Præeunte igitur Mongaltio, Grævium sequitur J.V. L. in versione gallica. Sch. conj. « quæ portenta putas ostendere ». Ed.

10. *Optimatium.* Sc. eorum qui Pompeium non sequuti sunt. Municipiorum quia se ultro Cæsari fere omnia dediderant. Cæs. de B. C. I.

11. *Lucceium..... Theophanem.* Vid. ep. 1 h. l. — *Totam Græciam.* Græcos Pompeii libertos et amicos, qui apud eum pro ejus dignitate nimium erant gratiosi. Ed.

12. *Has pestes.* Cæsarianos. Man.

13. *Convenire.* In urbe: ut eorum bona vendant. Idem.

14. Μακροψυχίαν. Longanimitas, si latinum verbum græco par fingere velis, significatur, et infinita quædam et obstinata ratio obsistendi. Victor.

εὐδαίμονα [15], et Μεσοποταμίαν cogitare, Hispaniam abjecisse. Monstra narrant, quæ falsa esse possunt. Sed certe et hæc perdita [16] sunt, et illa non salutaria. Tuas literas jam desidero. Post fugam nostram numquam jam [17] nostrum earum intervallum fuit. Misi ad te exemplum literarum mearum ad Cæsarem; quibus me aliquid profecturum puto.

— Magnulius apud Manutium legendum censet, μικροψυχίαν. Hoc enim sensus postulat. Tam abjecto et demisso animo est Pompeius, inquit Cicero, ut non solum metu Cæsaris ex urbe et Italia excesserit, sed quod ne in Epiro audeat manere, sed fugam moliatur in longissime remotas regiones, Arabiam, Mesopotamiam, Ægyptum, omissa Hispania sua provincia, in qua habet exercitum. Hæc μικροψυχία est, quam in tot epistolis exagitat Cicero. Græv. — Malim vero μακροψυχίαν servare, sed ironice dictum, quamvis Sch. negat esse hic ironiæ locum. Ed.

15. Εὐδαίμονα. Felicem.

16. *Hæc*, Cæsariana : *illa*, Pompeiana.

17. *Post fugam nostram.* A quo tempore discessi ab urbe. — Correctio varia est. Oliv. *nostrarum*. J. V. L.— Muretus malebat, *numquam jam tantum earum intervallum fuit.* Sch. « numquam diei nostrarum intervallum fuit ».

CICERO IMP. CÆSARI IMP. S. D.

Ut legi tuas literas [1], quas a Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad Urbem essem; te velle uti consilio et dignitate mea, minus sum admiratus; de gratia et de ope quid significares, mecum ipse quærebam : spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia de otio, de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer; et ad eam rationem existimabam satis aptam esse et naturam, et personam meam. Quod si ita est, et si qua de Pompeio nostro tuendo, et tibi ac reipublicæ reconciliando cura te attingit;

1. *Tuas literas, quas a Furnio nostro acceperam*, etc. Harum exemplum una cum ep. 6 sup. ad Atticum miserat. Acceperat autem hanc Cæsaris epist. circa IV id. mart. respondit circa XII kal. april. Ed.

magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem: qui et illi semper, et senatui, quum primum potui, pacis auctor fui; nec, sumptis armis, belli ullam partem attigi; judicavique, eo bello te violari, contra cujus honorem, populi romani beneficio concessum, inimici atque invidi niterentur. Sed ut eo tempore non modo ipse fautor[2] dignitatis tuæ fui, verum etiam ceteris auctor ad te adjuvandum; sic me nunc Pompeii dignitas vehementer movet. Aliquot enim sunt anni, quum vos duo delegi, quos præcipue colerem, et quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrem a te peto, vel potius omnibus precibus oro et obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoria possim. Quæ si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me a te tamen impetraturum: sed, ut arbitror, et ad tuam fidem, et ad rempublicam pertinet, me e paucis, et ad utriusque vestrum, et ad civium concordiam, per te, quam accommodatissimum, conservari. Ego quum antea tibi de Lentulo gratias egissem, quum ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses[3]: tamen, lectis ejus literis, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate beneficioque misit, eamdem me salutem a te accepisse putavi, quam ille; in quem si me intelligis esse gratum[4], cura, obsecro, ut etiam in Pompeium esse possim.

2. Al. *adjutor*. J. V. L.

3. *Saluti... fuisses*. Eum captum Cæsar incolumem dimiserat. Ed.

4. *Gratum*. Ob summa ejus studia in me exsule restituendo posita. Vide ad Div. lib. I. Ed.

EPISTOLA XII.

Queritur se ob Pompeii pericula, quem Brundisii a Cæsare circumvallatum esse acceperat, animo torqueri, et quid consilii capiat, nescire. E Dolabellæ literis Pompeium in fuga esse scribit. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Legebam tuas literas XIII kalend. quum mihi epistola affertur a Lepta, circumvallatum esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri [1]. Non medius fidius præ lacrymis possum reliqua nec cogitare, nec scribere. Misi ad te exemplum. Miseros nos, cur non omnes fatum illius una exsequuti sumus? Ecce autem a Matio et Trebatio eadem; quibus Minturnis obvii Cæsaris tabellarii. Torqueor infelix, ut jam illum Mucianum [2] exitum exoptem. At quam honesta, at quam expedita tua consilia, quam evigilata tuis [3] cogitationibus, quam itineris, quam [4] navigationis, quam congressus, sermonisque cum Cæsare! omnia tum honesta, tum cauta. In Epirum vero invitatio quam suavis, quam liberalis, quam fraterna! De Dionysio [5], sum admiratus: qui apud me honoratior fuit, quam apud Scipionem Panætius; a quo impurissime hæc nostra fortuna despecta est. Odi hominem, et odero:

1. *Portus teneri.* Vid. Cæsar, B. C. I, 25; Lucan. II, 661. Ed.

2. *Mucianum.* Q. Mucius Scævola jussu Marii junioris tum consulis trucidatus est in curia Hostilia. Poma.

3. *Tuis.* Lambinus conjicit, « quam evigilatæ tuæ cogitationes », quod Schütz. placet. Ed.

4. Al. *qua... qua.* I. e. partim... partim. Ait omnia quæ cogitaverit Atticus partim de itinere.., sibi probe deliberata eu tum honesta, tum cauta videri. Ed. — *Qua... qua.... qua*, in omnibus edd. a Jenson. Sed his tribus locis habet *quam* editio Romana. J. V. L.

5. *Dionysio.* Ep. 4, lib. VII.

utinam ulcisci possem! sed illum ulciscentur mores sui. Tu, quæso, nunc vel maxime, quid agendum nobis sit, cogita. Populi romani exercitus Cn. Pompeium circumsidet; fossa et vallo septum tenet, fuga prohibet; nos vivimus, et stat urbs ista? prætores jus dicunt? ædiles ludos parant? viri boni[6] usuras perscribunt? ego ipse sedeo? Coner illuc ire, ut insanus? implorare fidem municipiorum? Boni non sequentur; leves irridebunt; rerum novarum cupidi, victores præsertim et armati, vim et manus afferent. Quid censes igitur? ecquidnam est tui consilii ad[7] finem hujus miserrimæ vitæ? Nunc doleo, nunc torqueor, quum quibusdam aut sapiens videor, quod una non ierim, aut felix fuisse. Mihi contra. Numquam enim illius victoriæ socius esse volui; calamitatis mallem fuisse. Quid ego nunc tuas literas, quid tum prudentiam, aut benivolentiam implorem? actum est. Nulla re jam possum juvari, qui, ne quod[8] optem quidem, jam habeo, nisi ut aliqua inimici misericordia liberemur.

9 Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος[10], ut opinor, ille de ratibus.

6. *Viri boni.* Non sunt hoc loco optimates: sed ut mille aliis in locis harum epistolarum, viri locupletes, fœneratores, qui pecuniam sub usuris elocant. Vide Gronov. Observ. IV, 9. GRÆV.

7. *Ad finem.* Bosius *ad fines*. Id est, suppetitne tibi aliquid consilii, quo perducar *ad fines*, ad metas hujus infelicissimæ vitæ, et in aliam beatiorem migrem? Omnes *finem*. Vide autem adeo perturbatum esse Ciceronem, ut statim Attici nova consilia expetat, postquam dixit ejus consilia maxime sibi placere. Unde quibusdam in mentem venit ab istis verbis. « Tu, quæso, nunc vel maxime, quid... » novæ epistolæ initium faciendum esse. ED.

8. *Ne quod optem quidem.* Alii, *quid*. J. V. L.

9. Initium epistolæ, judice Manutio. Sch. bene judicat hæc post aliquod temporis spatium superiori harum literarum parti esse subjuncta. J. V. L.

10. Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος. Non est verus sermo. Principium est palinodiæ illius, quam fecit Stesichorus, quum Helenæ maledixisset, eoque nomine oculis privatus esset. Ponit autem Plato in Phædro, tom. X, pag. 313, ed. Bipont. his verbis, τῶν γὰρ ὀμμάτων, etc. id est: « nam quum oculis orbatus esset Stesichor. propter ea quod Helenæ maledixerat, non ignoravit, quem-

Quid enim est, quod Dolabella his literis, quas III idus mart. a Brundisio dedit, hanc εὐημερίαν[11] quasi Cæsaris scriberet, Pompeium in fuga esse? eumque primo vento navigaturum? quod valde discrepat ab iis epistolis, quarum exempla antea ad te misi. Hic quidem mera scelera[12] loquuntur. Sed non erat nec recentior auctor, nec hujus rei quidem melior[13] Dolabella.

admodum Homerus: sed, utpote qui musicus esset, causam ejus rei intellexit, et continuo hoc carmen fecit: Non verus ille est sermo: numquam navibus vecta est velivolis opulentæ ad Pergama Trojæ ». Absoluta igitur tota illa, quæ appellatur, palinodia, sensum oculorum statim recuperavit. Lambin. — Vid. Lilius Gyraldus, de Poet. Hist. Dial. IX, p. 461, ed. 1696, et fragm. Stesichori, quæ collegit *Suchfort*, Gœtting. 1771. J.V. L.— *Ille*. A Lepta scriptus. Corr.

11. Εὐημερίαν. Prosperum diei factum.

12. *Mera scelera*. De consilio Cæsaris intercludendæ Pompeio fugæ. Manut.

13. *Auctor, nec...melior*. Ut præsens, et Cæsarianus.

EPISTOLA XIII.

Attici literas se accepisse: cur tardior fuerit ad discedendum exponit; nondum se, ubi consistat, constituisse. Viris bonis se non nimis excusare; in Lanuvio Phameæ se errasse; Lentulum Puteolis esse; Magium a Pompeio ad Cæsarem de pace missum scribit. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Tuas XI kalend. accepi literas, quibus omnia consilia differs in id tempus, quum scierimus, quid actum sit. Et certe ita est: nec interim potest quidquam non modo[1] statui, sed ne cogitari quidem. Quamquam hæ mihi literæ Dolabellæ jubent ad pristinas cogitationes[2] reverti. Fuit enim pridie Quin-

1. Abest *non modo*. J. V. L.

2. *Pristinas cogitationes*. De pro-

quatrus egregia tempestas, qua ego illum usum puto. Συναγωγὴ[3] consiliorum tuorum non est a me collecta ad querelam, sed magis ad consolationem meam. Nec enim me tam hæc mala angebant, quam suspicio culpæ ac temeritatis meæ: eam nullam puto esse, quoniam cum consiliis tuis mea facta et consilia consentiunt. Quod mea prædicatione factum esse scribis magis, quam illius merito, ut tantum ei debere viderer; est ita. Ego illa extuli semper, et eo quidem magis, ne quid ille superiorum[4] meminisse me putaret: quæ si maxime meminissem, tamen illius temporis similitudinem[5] jam sequi deberem. Nihil me adjuvit, quum posset; et postea fuit amicus, etiam valde[6]: ecquam ob causam, plane nescio. Ergo ego quoque illi. Quin etiam illud par in utroque nostrum, quod ab eisdem illecti[7] sumus. Sed utinam tantum ego ei prodesse potuissem, quantum mihi ille potuit! mihi tamen, quod fecit, gratissimum: nec ego nunc, eum juvare qua re possim, scio; nec, si possem, quum tam pestiferum bellum pararet, adjuvandum putarem. Tantum offendere animum ejus hic manens

fectione mea ad Pompeium; quem quum scripserit Dolabella primo vento navigaturum, navigasse puto; quoniam pridie Quinquatrus tempestas fuit ad navigandum maxime idonea. At quomodo hoc jubent literæ Dolabellæ, qui Cæsaris in præsidiis erat? — *Jubent* dixit, pro, efficiunt: quum navigasse Pompeium significent. Man.

3. Συναγωγή. *Collectio.* Intelligit illa consilia, quæ ex variis literis Attici collecta conjecerat in epistolam 10 hujus libri. Græv.

4. *Superiorum.* Superioris injuriæ, quum me, suum præsidium contra meos inimicos implorantem, deseruit. Vide supra epist. 4 hujus libri. Man.

5. *Similitudinem.* Primo me deseruit, quum patria pulsus sum: deinde adjuvit, ut restitueret: item ego, quod ante omisi, nunc facere debeo, ut eum adjuvem. Idem.

6. *Etiam valde.* Conjiciebat Muretus, « et quam valde, et quam ob causam ».

7. *Ab eisdem illecti.* Inducti, decepti nempe a Bibulo Lucceio, ut videtur Mongaltio. Sch. intelligit de Clodio, quicum initio tam Ciceroni quam Pompeio amicitia intercessit; utrique deinde inimicissimo et maxime exoso. Ed.

nolo. Nec mehercule ista videre, quæ tu potes jam animo providere, nec interesse istis malis possem. Sed eo tardior ad discedendum fui, quod difficile est de discessu voluntario, sine ulla spe reditus, cogitare. Nam ego hunc ita paratum video peditatu, equitatu, classibus, auxiliis Gallorum, quos Matius ἐλάπιζεν [8], ut puto; sed certe dicebat, peditum [9] CCIↃↃ, equitum sex polliceri sumptu suo annos decem. Sed sit hoc λάπισμα [10]. Magnas habet certe copias: et habebit non, ut ille, vectigal [11], sed civium bona. Adde confidentiam hominis; adde imbecillitatem bonorum virorum; qui quidem, quod illum sibi merito iratum putant, oderunt, ut tu scribis, ludum [12]. Ac vellem, scribis [13], quisnam hic significasset. Sed et iste [14], quia

8. Ἐλάπιζεν. *Ostentabat*, supra veritatem narrabat.

9. *Peditum* CCIↃↃ. Id est, peditum decem millia, equitum sex millia. Bos.

10. Λάπισμα. *Ostentatio*.

11. *Vectigal*. Vectigalia provinciarum, quæ sibi pendi jubebit Pompeius, tamquam imperatori senatus populique romani. Provinciæ pleræque, præcipue Orientales, erant a partibus Pompeii. Cæsar vero habebat bona civium, Urbem tenens et Italiam. Græv.

12. *Ludum*. De hoc bello etiam Horat. dixit ludum fortunæ, et alibi « Fortuna sævo læta negotio, et Ludum insolentem ludere pertinax ». Ed.

13. *Ac vellem, scribis*. Forte Cicero scripsit: « Ac vellem quinam hi significasses ». Valde absurde *scribis*, quod tertio abhinc verbo præcesserat, repetitur. Quod vitio librarii tribuendum. Sententia sic erit aperta. Multi optimates oderunt hunc, qui ludendus erit, ludum, ut tu scribis, propter incertos belli eventus, metuentes sibi a Cæsare, quem sibi merito putant iratum. Ac vellem addidisses, quinam hi sint optimates, qui hunc ludum oderunt. Græv. — Forte leg. « Ut tu scribis, lugent, ac vellent scilicet. Quis non hoc significat? » *Lugent*, deplorant infelicitatem Pompeii. *Vellent* scilicet eum lugere jure, nempe mortuum. Gronov. — Hoc ait se non intelligere Ernest. Ed.

14. *Sed et iste*. Omnino *amatur* excidisse censeo, quia statim bis illud idem verbum sequitur. Nam et in hoc genere sæpe librarii errarunt, ut idem verbum semel iterumque in eadem periodo repetendum semel tantum scripserint, et interdum cum illo, quod iterandum erat, totos versus omiserint. Nullus dubito quin Cicero scripserit: « Sed et iste, quia plus ostenderat, quam fecit, amatur, et vulgo illum qui amarunt, non amant ». Cæsar amatur, quia non tantum mali importat, quantum præ se ferebat, quum bellum inferret Urbi et Italiæ: lenem enim se præbet et clementem

plus ostenderat, quam fecit [amatur[15]], et vulgo illum qui amarunt, non amant. Municipia vero, et rustici Romani illum metuunt, hunc adhuc diligunt. Quare ita paratus est, ut, etiamsi vincere non possit, quo modo tamen vinci ipse possit, non videam. Ego autem non tam γοητείαν[16] hujus timeo, quam πειθανάγκην[17]. Αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, inquit Πλάτων, οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. Illa ἀλίμενα[18] video tibi non probari; quæ ne mihi quidem placebant: sed habebam in illis et occultationem[19], et ὑπηρεσίαν[20] fidelem; quæ si mihi Brundisii suppeterent, mallem. Sed ibi occultatio nulla est. Verum, ut scribis, quum scierimus[21]. Viris bonis me non nimis excuso. Quas enim eos cœnas[22] et facere, et obire scripsit ad me Sextus? quam lautas? quam tempestivas? Sed sint quamvis boni, non sunt meliores, quam nos: moverent me, si essent fortiores.

De Lanuvino Phameæ, erravi: Trojanum[23] somnia-

non solum erga eos, qui quiescunt, sed et qui arma contra illum tulerunt, si in ejus incidunt manus, ut ostendere illi, quos Corfinii cepit, cives Pompeianarum partium. Pompeium vero multi non amant, qui ante amici ejus erant, et quod Urbem et Italiam deseruerit, et quod eis famem et vastitatem minetur, pestiferumque bellum adductis barbaris cogitet, multaque alia in se admittat, quæ in bonorum odium eum adducunt. Muretus rescribebat: « Sed et istum, quia plus ostenderat, quam fecit, amant, et vulgo illum, qui amarunt, non amant ». Verum J. F. Gronovius leg. suspicabatur: « Se dat iste »; hoc est se venditat, amabilem facit. Ep. 5 hujus libri: « Vide ut se huic dent, ac daturi sint ». Græv.

15. Abest *amatur*. Addimus post Grævium, sed uncis includimus. J. V. L.

16. Γοητείαν. Præstigias.

17. Πειθανάγκην, etc. Suasionem a vi et potentia profectam. Nam tyrannorum preces, inquit Plato, ep. 7, ad Dionis propinquos, permixtæ sunt, ut scis, necessitatibus. Ed.

18. Ἀλίμενα. Loca portu carentia.

19. *Occultationem*. Ne laurus hæc nostra in oculos, et in voculas malivolorum incurreret. Corr.

20. Ὑπηρεσίαν. Comitatum, ministrorum observantiam.

21. *Scierimus*. Quid Brundisii actum sit, num Pompeius classe abierit. Man.

22. *Cœnas*. De his conviviis et de malignis lautiorum sermonibus vid. sup. ep. 1 h. l. Ed.

23. *Trojanum*. Lanuvinum et Trojanum erant duo prædia Phameæ: utrumque vicinum agro Antiati. Itaque quum Phameas Lanuvinum Antii pro-

bam. Id ego volui D[24]; sed pluris est[25]. Istud tamen cuperem emeres[26], si ullam spem fruendi viderem. Nos, quæ monstra quotidie, intelligamus ex illo libello[27], qui in epistolam conjectus est. Lentulus noster Puteolis est ἀδεμονῶν[28], ut Cæcius narrat, quid agat[29]; διατροπὴν[30] Corfiniensem reformidat; Pompeio[31] nunc putat satisfactum; beneficio Cæsaris movetur: sed tamen movetur[32] magis perspecta[33] re.

Tene hæc[34] posse ferre? Omnia misera; sed hoc nihil miserius: Pompeius N. Magium[35] de pace misit; et tamen oppugnatur: quod ego non[36] credebam; sed habeo a Balbo literas, quarum ad te exemplum misi: lege, quæso, et illud infimum caput ipsius Balbi optimi, cui Cnæus noster locum, ubi hortos ædifi-

scripsisset, Cicero falso crediderat esse illius Trojanum: cui nomen a Troja, loco in agro Laurente finitimo Antiati, Ardeati, Lanuvino: in quo primus in Italia Æneas cum suis constitit. Festus, et Cato in Originibus. POPMA.

24. *Volui D.* Quingentis millibus emere. Vide ep. 8. MAN. — Alii, *Q.*

25. *Pluris est.* Carius venditur. *Esse* sæpe est, venalem esse. GRÆV.

26. Ernest. *emere.* J. V. L.

27. *Ex illo libello.* Intelliges. CORR. — Videtur ista ellipsis dura et parum usitata. Si manuscripti annuerent, legerem potius: « Nos quæ monstra quotidie intelligimus ex illo libello, qui in epistolam conjectus est! » GRÆV.

28. Ἀδεμονῶν. *Mœroris plenus.* Lentulus, inquit, Puteolis curis et mœrore se ipsum exedit, ut ex Cæcio audivi. « Quid agat miser? » non audet ire ad Pompeium, propter dedecus, quod deditione Corfinii suscepit. IDEM.

29. Grævius, « quid agat? » J. V. L.

30. Διατροπήν. Dedecus, infamiam, cujus pudeat. — *Corfiniensem.* Qualem Corfinii captus sibi videtur subiisse. CORRADUS.

31. *Pompeio.* Cujus culpa captus est, quamvis Pompeius eam in Domitium conferat. Ep. 16, l. VIII. IDEM.

32. Ernest. nequidquam putat legendum, *movebitur.* J. V. L.

33. *Perspecta re.* Hoc est, postquam cognovit infirmitatem partium Pompeianarum. GRÆV.

34. *Hæc.* Pars hæc epistolæ ex intervallo adscripta post acceptas a Balbo, et a Dolabella literas. Quum enim oppugnari Pompeium cognovisset, dolore percitus: *Mene* (alii, *Tene*), inquit, « hæc ferre posse? » aut est initium epistolæ. MAN. — Prior ratio est verior. ED.

35. *N. Magium.* Sch. *M. Magium.* Alii, *Cn. Mag.* Græv. *Minucium M.* de quo Vell. Paterc. ED.

36. *Non credebam.* Putans fore, ut potius per Pompeium, quam per Cæsarem staret, ne pax fieret. Ep. 23, lib. VIII. CORR.

caret, dedit; quem cui nostrum non sæpe prætulit? Itaque miser torquetur[37]. Sed, ne bis eadem legas, ad ipsam te epistolam rejicio. Spem autem pacis habeo nullam. Dolabella suis literis, idibus mart. datis, merum bellum loquitur. Maneamus ergo in illa eadem sententia[38] misera et desperata; quando hoc[39] miserius esse nihil potest.

37. *Miser torquetur.* Εἰρωνικῶς. Ut et illud, « Balbi optimi », proxime dictum. Man.

38. *Sententia.* Discedendi. Corr.

39. *Hoc.* Hac scilicet mansione in Italia. Idem.

BALBUS CICERONI IMP. S.

Cæsar nobis literas perbreves misit, quarum exemplum subscripsi. Brevitate epistolæ scire poteris, eum valde esse distentum, qui tanta de re tam breviter scripserit. Si quid præterea novi fuerit, statim tibi scribam.

CÆSAR OPPIO, CORNELIO S.

« A. d. vii id. mart. Brundisium veni; ad murum « castra posui. Pompeius est Brundisii. Misit ad me « N. Magium de pace. Quæ visa sunt, respondi. Hoc « vos statim scire volui. Quum in spem venero, de « compositione aliquid me conficere, statim vos cer- « tiores faciam. »

Quomodo me nunc putas, mi Cicero, torqueri, postquam rursus in spem pacis veni, ne qua res eorum compositionem impediat? Namque, quod absens facere possum, opto. Quod si una essem, aliquid fortasse proficere possem videri. Nunc exspectatione crucior.

EPISTOLA XIV.

Narrat, quid de Cæsare ex literis Pedii, et Bæbii sermone ex Leptæ literis acceperit. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Miseram ad te viii kal. exemplum epistolæ Balbi ad me, et Cæsaris ad eum; ecce tibi eodem die Capua literas [accepi] ab Q. Pedio[1], Cæsarem ad se pridie id. mart. misisse hoc exemplo:

« Pompeius se oppido tenet. Nos ad portas castra « habemus. Conamur opus magnum[2], et multorum « dierum, propter altitudinem maris. Sed tamen nihil « est, quod potius faciamus. Ab utroque portus cornu « moles jacimus, ut aut illum quam primum trajicere, « quod habet Brundisii copiarum, cogamus, aut exitu « prohibeamus ».

Ubi est illa pax, de qua Balbus scripserat torqueri se? ecquid acerbius? ecquid crudelius? Atque eum loqui quidam αὐθεντικῶς[3] narrabat: Cn.[4] Carbonis, M. Bruti se pœnas persequi, omniumque eorum, in quos Sulla crudelis hoc socio fuisset; nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce fecisset ad ambitionem[5]; [a se], quibus exsilii pœna superioribus

1. *Q. Pedio*. Uno e Cæsaris legatis. Ed.

2. *Conamur opus magnum*. Confer Cæsar. de B. C. I, 25. Ed.

3. Αὐθεντικῶς. Certo auctore.

4. *Cn. Carbonis, M. Bruti*. Quos Pompeius, Sullæ socius, occiderat. Appianus, Plutarchus, alii. Man.

5. *Ad ambitionem*. In locis corrupti aliud est sententiam videre, aliud verba restituere. Ego hic, quid Cicero dicat, intelligo; sic enim opinor: quibus verbis dicat, divinare non possum. Duæ sunt comparationes, una Curionis et Cæsaris cum Pompeio et Sulla: altera Pompeii cum Sulla. In priore non Curionem crudeliter improbeque se duce facere, uti fecerit Pompeius, du-

legibus non fuisset; ab illo patriæ proditores de exsilio reductos esse: queri de Milone per vim[6] expulso; neminem tamen se violaturum, nisi qui arma[7]. Hæc contra[8] Bæbius quidam, a Curione III id. profectus, homo non infans, sed quis[9], ulli non dicat. Plane nescio, quid agam. Illinc[10] equidem Cnæum profectum puto. Quidquid est, biduo sciemus. A te

ce Sulla, significat: sed, ut sibi Curio rebus in omnibus obsequatur, itidem Pompeium, quascumque res Sulla imperaverit, aut voluerit, in iis rebus dedisse operam ut illi plane satisfaceret. Non igitur facta Curionis cum Pompeii factis comparat; ne et se Sullæ, et Curionem Pompeio similes in crudelitate faciat, sed voluntatem confert cum voluntate, obsequium cum obsequio. Posterior comparatio Pompeium et Sullam æque indicat inique fecisse: quum Sulla victor proditores patriæ reduxerit; Pompeius consul III lege de ambitu lata in exsilium ejecerit eos, quibus veteres leges damnatis de ambitu exsilium non irrogabant. Itaque Sullæ primum viventis imperio, deinde mortui exemplo fecit improbe Pompeius. Constat, opinor, satis de sententia: verba consideremus. *Ad ambitionem*, mendose dictum. *Ab illo*, non est quo referatur, nec dubito quin desit *ab hoc*. Ut sit, *ab hoc*, a Pompeio: *ab illo*, a Sulla. *Reductos*, postulat alterum participium, hujusmodi scilicet *ejectos*, aut *expulsos*: ut hoc totum aut his fortasse, aut similibus certe verbis Cicero scripserit: « Ab hoc lege de ambitu nova, quibus exsilii pœna superioribus legibus non fuisset, ejectos: ab illo patriæ proditores de exsilio reductos esse ». De ambitu quidem legem Pompeiam significat; de qua Pedianus, et Cæsar ipse lib. III de Bello Civili. Manut. — *Fecisset: ad ambitionem, quibus*, etc. Ernest. primus addidit *a se*, sententia, ut videtur, postulante. J. V. L.

6. *Per vim*. Quasi judices eum Pompeii consulis metu condemnassent; quia, quum judicium Milonis ageretur, exercitum in foro, et omnibus in templis, quæ circa forum sunt, collocaverat. Quod Cæsar ibid. reprehendit. Manut.

7. *Arma*. Tulisset. Pompeius autem omnibus minabatur, qui ipsius in præsidiis non fuissent. Idem.

8. *Hæc contra*. Subaudi, narrabat Cæsarem talia non loqui. Popma. — Forte, « Hæc coram Bæbius, etc. » J. F. Gronov.

9. *Sed quis*. Hoc sensu: Non infans ille quidem est, sed ita obscurus, ut, quis sit, nemini possit dicere. Est periphrasis, ut VII, 16, de Octavio: « Oro te, quis tu es? » Bosius correxerat: « Sed qui s. ulli non dicat »; s. pro salutem, q. d. qui nemini nuntiet ea, quæ salutaria sint. Ed. — Vult Gronov. « Sed quis illa non dicat? » h. e. non inscius narrandi et augendi, quæ audierit: sed adeo palam ostendit Cæsar, se hoc agere, et acturum esse, ut nemo tam puer et ignarus rerum dicendique sit, qui non eadem quasi ab eo dicta fingere et jactare posset.

10. *Illinc*. Brundisio. Corr.

nihil[11] : ne Anteros[12] quidem quid literarum. Nec mirum. Quid enim est, quod scribamus? ego tamen nullum diem prætermitto. Scripta epistola, literæ mihi ante lucem a Lepta Capua redditæ sunt, idib. mart. Pompeium a Brundisio conscendisse, at Cæsarem a. d. VII kal. april. Capuæ fore.

11. Al. « nihil, ne Anteros quidem, qui a te literarum ». Et sic Lallem. Alii vero, « A te nihil, ne ante dies quidem quinque, literarum ». Dubius omnino locus. J. V. L.

12. *Anteros*. Libertus fuit Attici, cujus mentio fit epistola prima libri XI. Sensus autem horum verborum est : a te nihil attulit literarum, ne Anteros quidem, qui a te venit. Bos.

EPISTOLA XV.

Scribit se congressum cum Cæsare exspectare; defendit ea quæ asperius de Dionysio scripserat; epistolæ a Matio acceptæ exemplum mittit. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Quum dedissem ad te literas, ut scires Cæsarem Capuæ VII kalend. fore, allatæ mihi sunt literæ; eum in Albano apud Curionem V kalend. fore. Eum quum videro, Arpinum pergam. Si mihi veniam[1], quam peto, dederit, utar conditione[2]; sin minus, impetrabo[3] aliquid a me ipso. Ille, ut ad me scripsit, legiones singulas posuit Brundisii, Tarenti, Siponti. Claudere mihi videtur maritimos exitus; et tamen ipse Græciam spectare potius, quam Hispanias[4]. Sed

1. *Veniam*. Ut absim ab Urbe, nec mihi necesse sit sententiam dicere, quum aliquid in senatu contra Pompeium agetur. Epistola 6. Man.

2. Al. « utar illius conditione ». Sed abest *illius* ab edd. pr. J. V. L.

3. *Impetrabo*, etc. Venuste pro abibo ad Pompeium et ejus exercitum, quod adhuc non sustinui facere. Ed.

4. *Quam Hispanias*. Primo quidem in Græciam sequi Pompeium volebat. Sed quia navibus carebat, maluit in Hispaniam ire, ne contra legatos Pompeii, qui in Galliam et mox in Italiam impetum facere potuissent, pugnaret. Ed.

hæc longiùs absunt. Me nunc et congressus hujus stimulat; is vero adest: et primas ejus actiones horreo. Volet enim, crédo, S. C. facère; volet augurum decretum[5]: rapiemur[6], aut absentes vexabimur; vel ut consules roget prætor, vel dictatorem dicat; quorum neutrum jus est. Sed[7] si Sulla potuit efficere, ab interrege ut dictator diceretur, cur hic non possit? Nihil expedio[8], nisi ut aut ab hoc, tamquam Q. Mucius, aut ab illo, tamquam L. Scipio. Quum tu hæc leges, ego illum fortasse convenero. Τέτλα, κύντερον[9]. Ne illud quidem nostrum proprium. Erat enim spes propinqui reditus; erat hominum querela. Nunc exire cupimus; qua spe reditus, mihi quidem numquam in mentem venit. Non modo autem nulla querela est municipalium hominum, ac rusticorum; sed contra metuunt[10], ut crudelem, iratum. Nec tamen mihi quidquam ést miserius, quam remansisse; nec optatius, quam evolare, non tam ad belli, quam ad fugæ societatem. Sed tu omnia consilia differebas in id tempus, quum sciremus, quæ Brundisii acta essent. Scimus nempe : hæremus nihilo minus. Vix enim spero mihi hunc veniam daturum[11] : etsi multa af-

5. *Augurum decretum.* Ut augures decernant, licere prætori comitia consularia habere, aut dictatorem dicere. Ep. 8. Man.

6. *Rapiemur.* Romam, ut augur, et senator id decernam : aut, si recusabimus ire, vexabimur. Idem.

7. *Sed.* Alii, *Et.* J. V. L.

8. *Nihil expedio.* Cogitatione nihil explico, nihil assequor nisi hoc, exitum mihi impendere aut Q. Mucii, qui est a Mario juniore occisus; aut L. Scipionis, quem Sulla proscripsit.

9. Τέτλα, κύντερον. *Perfer : gravius,* supple *tulisti.* Odyss. XX, 18. Quum scilicet lege Clodia pulsus indignissime exsulasti. Tibi, inquit, illud nostrum, Attice, gravius videtur : mihi contra. Proprium enim non erat, hoc est, non ejusmodi, ut idem semper futurum esset, quod mutari non posset. Id enim valet *proprium.* Ad locum Homeri de Ulysse respexit. Quæ verba Horatius, Ulyssem cum Tiresia loquentem inducens, ita vertit, Sat. II, 5, 20 : « Fortem hoc animum tolerare jubebo : Et quondam majora tuli... » Man.

10. *Metuunt.* Pompeium.

11. *Veniam daturum.* Concessurum,

fero justa ad impetrandum. Sed tibi omnem illius, meumque sermonem, omnibus verbis expressum, statim mittam. Tu nunc omni amore enitere, ut nos cura tua et prudentia juves. Ita subito accurrit, ut ne T. Rebilum[12] quidem, ut constitueram, possim videre. Omnia nobis imparatis agenda. Sed tamen

. . . . . . Ἄλλα μὲν αὐτὸς[13], ut ait ille,
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

Quidquid egero, continuo scies. Mandata[14] Cæsaris ad consules et ad Pompeium, quæ rogas, nulla habeo; neque descripta[15] attulit illa L. E via misi ad te ante, e quibus mandata puto intelligi posse. Philippus[16] Neapoli est, Lentulus Puteolis. De Domitio, ut facis, sciscitare, ubi sit, quid cogitet. Quod scribis, asperius me, quam mei patiantur mores, de Dionysio scripsisse : vide, quam sim antiquorum hominum[17]. Te medius fidius hanc rem gravius putavi

ut absim, quum in senatu contra Pompeium agetur. Epist. hujus lib. 6. Man.

12. *T. Rebilum.* Titus Caninius Rebilus dicebatur. Bosius.

13. Ἄλλα μὲν αὐτός. Alia quidem ipse, alia vel deus suggeret. Verba Homeri ex Odysseæ III, quæ Minerva Mentorem referens pronuntiat, hortans Telemachum, ut absque timore Nestorem alloquatur. Vict.

14. *Mandata.* De pace. Corr.

15. *N. descripta*, etc. Vulgo : « Quæ Ægypta attulit, illa e via misi ad te ante ». Sequuntur nunc fere omnes, ut nos, emendationem Tunstalli. Et habent MSS *descripta. L.* autem, *L. Cæsar.* Recipitur tamen hactenus conjectura, dum melius quid reperiatur. J. V. L. — *L.* intell. Lucius, sc. Cæsar qui venerat cum mandatis et visus erat a Cicerone Minturnis, unde Cicero cognoverat. Nomen servi aut ministerium in talibus mandatis locum non habet. Ern.

16. *Philippus.* L. Martius Philippus consularis.

17. *Antiquorum hominum.* Græci item ἀρχαίους appellant rudes, et stultos homines, et propter eamdem causam εὐήθεις eosdem quoque vocant. Miratur Cicero, seque nimiæ simplicitatis damnat, quod Atticus justam suam in Dionysium iracundiam reprehenderit, seque magnopere stultitia sua et nimia bonitate deceptum dicit, putasse gravius illum laturum, quæ Dionysius improbe fecerat, quam se, duabus de causis : et quia amicum offenderat, debemus autem injuriis amicorum commoveri : et quia judicium ac testimonium, quod de illo apud se fecerat, fefellerat. Vict.

laturum esse, quam me. Nam præterquam quod te moveri arbitror oportere injuria, quæ mihi a quoquam facta sit; præterea te ipsum quodam modo hic violavit, quum in me tam improbus fuit. Sed tu id quanti æstimes, tuum judicium est. Nec tamen in hoc tibi quidquam oneris impono. Ego autem illum male sanum semper putavi; nunc etiam impurum et sceleratum puto, nec tamen mihi inimiciorem, quam sibi. De Philargyro bene[18]: causam certe habuisti et veram, et bonam; relictum esse me potius, quam reliquisse. Quum dedissem jam literas a. d. VIII kal. quos cum Matio[19] pueri et Trebatio miseram, epistolam mihi attulerunt hoc exemplo.

18. *De Philarg. bene.* Oliv. omittit *de.* Putat autem de Dionysii injuria adhuc Ciceronem loqui. Quum enim (ut opinatur) de hac re Philargyrus sermonem haberet cum Attico, Ciceronemque fortasse accusaret, planum ei fecit Atticus rem aliter se habere, atque ille putaret. Credebat enim Philargyrus Dionysium esse relictum et ejectum, quum ipse potius improbe Ciceronem reliquisset. Ideoque dicit illum habuisse causam et veram, et bonam: res enim ita se habebat. Facile autem Ciceroni videbatur defensio sua suscipi, et ad exitum perduci posse, ut scilicet in eo negotio nihil culpæ admisisse probaretur. Existimat Oliv. autem intelligi debere, *respondisti*, seu aliquod simile verbum, et sic vertit Mongaltius. Pro *respondisti*, Bosius ex suis MSS reposuit *curasti*, quam deinde vocem in contextum Gruterus et Grævius intruserunt. Ed.

19. *Quos cum Matio.* Mavult Malasp. probante Græv. *quos Matio*, inducta præpositione. Qui enim cum Matio et Trebatio miserit, qui et Trebatium neget se vidisse: et ab eo Matioque literas acceperit? Itaque putant Ciceronem ut Trebatium alloqueretur, ante congressum cum Cæsare, ad eum pueros misisse: quos ait, jam datis literis, ad VIII kalend. rediisse. Ed. — Sed potest manere incolumi sensu præpositio *cum.* Quippe colloquutus cum Cicerone Matius, se ad Trebatium retulerat: cum illo pueros miserat Cicero, qui ab utroque afferrent literas. Mongalt. — Item Malasp. et Grævius legunt. «pueri, quos cum M.» J. V. L.

MATIUS ET TREBATIUS CICERONI IMP. S.

Quum Capua exissemus, in itinere audiimus Pompeium Brundisio a. d. xvi[1] kalend. april. cum omnibus copiis, quas habuit, profectum esse; Cæsarem postero die in oppidum introisse; concionatum esse; inde Romam contendisse; velle ante kalend. esse ad Urbem, et paucos dies ibi commorari, deinde in Hispanias proficisci. Nobis non alienum visum est, quoniam de adventu Cæsaris pro certo habebamus, pueros ad te remittere[2], ut id tu quam primum scires. Mandata tua nobis curæ sunt, eaque, ut tempus postularit, agemus. Trebatius Scævola facit[3], ut antecedat. Epistola conscripta, nuntiatum est nobis, Cæsarem a. d. viii kal. april. Beneventi mansurum, a. d. vii Capuæ, a. d. vi Sinuessæ. Hoc pro certo putamus.

1. *A d. XVI kalend.* Animadvertit J. V. L. hanc diem multum variare in his literis. Nam epist. 6 scribitur ad Ciceronem Pompeium venisse a. d. iv non. mart. Ipse ad Attic. scribit, epist. 15, profectum idibus mart. Verum fortasse diem nunc signant Matius et Trebatius. Malasp. idus martias maluit, ut similitudo fugæ Pompeii cum cæde Cæsaris intersit. Just. Lipsius, errore Orosi, et mala Plutarchi interpretatione inductus, contra ipsum Ciceronem a. d. iv kal. mart. Pompeium conscendisse dicit. Hunc acutissime refellit *M. de Chambors, Hist. de l'Académie des Inscript. ann.* 1738. Ed.

2. *Pueros ad te remittere.* Qui fortasse longius eos comitaturi erant, nisi hoc incidisset. Sch.

3. *Facit ut antecedat.* Romana lepidaque dicendi ratio, qua tempus actioque describitur. *Facit* enim *ut antecedat*, idem valet, quod antecedit. Sic infra lib. XI : « Eo feci, ut celeriter eunti darem » ; pro eo quod est, dedi. Item Ampio Balbo, libro epist. ad Torquatum : « Plane ita faciunt, ut me unice diligant » : quod est, me unice diligunt. Mal. — *Antecedat* hic proprie accipitur, pro, prior iter ineat ad te, quam ego, qui sequar; ac prius ad vos veniat, quam ipse Cæsar, ut tuo desiderio cum illo loquendi ante congressum tuum cum Cæsare satisfiat. Græv. — Schütz. et Popma *Scævola* ineptum judicant, et reponunt *sedulo*, quod non reprobat J. V. L. Hoc confirmat ep. 17 infr. initio. Ed.

EPISTOLA XVI.

Mittit epistolam a Cæsare acceptam. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Quum, quod scriberem ad te, nihil haberem; tamen, ne quem diem intermitterem, has dedi literas. A. d. vi kal. Cæsarem Sinuessæ mansurum nuntiabant. Ab eo mihi literæ redditæ a. d. vii kalend. quibus jam opes meas[1], non, ut superioribus[2], opem, exspectat. Quum ejus clementiam Corfiniensem illam per literas collaudavissem, rescripsit hoc exemplo.

1. *Opes meas.* Ludit ex ambiguitate vocabuli *opes*, perinde ac si dicat, res meas, mea bona. Corradus.
2. Al. *Sup. literis.* J. V. L.

CÆSAR IMP. CICERONI IMP. S. D.

Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus sum), nihil a me abesse longius crudelitate. Atque ego quum ex ipsa re magnam capio voluptatem; tum, meum factum probari ab te, triumpho[1], gaudeo. Neque illud me movet, quod ii, qui a me dimissi sunt, discessisse dicuntur, ut mihi rursus bellum inferrent; nihil enim malo, quam et me mei similem esse, et illos sui. Tu velim mihi ad Urbem præsto sis, ut tuis consiliis atque opibus, ut consuevi, in omnibus rebus utar. Dolabella tuo nihil scito mihi esse jucundius. Hanc adeo habebo gratiam[2] illi; neque enim aliter facere poterit: tanta ejus humanitas, is sensus, ea in me est benivolentia.

1. Multi malunt, auctoritate cod. Crusell. *triumpho gaudio.* J. V. L.
2. *Gratiam.* Hanc vero gratiam habebo genero tuo, quod tecum aget, ut ad Urbem mihi præsto sis. Neque aliter tibi suadere poterit. Et vero Dolabella hoc suasit, et Cæsar de eo gratias illi egit. Ep. 4, lib. X. Popma.

EPISTOLA XVII.

Ait se e Trebatii nuntio Matiique literis meditaturum, quomodo cum Cæsare loquatur, et ex illius sermone, quo sibi eundum sit, statuturum. Deinde cupit ab Attico scire, ecquid Curius de Tirone scripserit. (In Formiano, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Trebatium vi kalend. quo die has literas dedi, exspectabam. Ex ejus nuntio Matiique literis meditabor, quo modo cum illo loquar. O tempus miserum! nec dubito, quin a me contendat, ad Urbem veniam. Senatum enim kal. velle se frequentem adesse, etiam Formiis proscribi jussit. Ergo ei negandum est? Sed quid præcipio [1]? statim ad te perscribam omnia. Ex illius sermone statuam, Arpinumne mihi eundum sit, an quo alio. Volo Ciceroni meo togam puram dare. Istic puto [2]. Tu, quæso, cogita, quid deinde: nam me hebetem molestiæ reddiderunt. A Curio, velim scire, ecquid ad te scriptum sit de Tirone. Ad me enim ipse Tiro ita scripsit, ut ve-

1. *Quid præcipio*. Alii ex quibus Oliv. *præripi*. Scilicet *necesse est:* statim ut cum eo loquutus ero, perscribam quæcumque fecero. Non oportet hæc anticipare, et ante quam gesta sint, velle explicare. Eodem hoc verbo, eodem significatu utitur prima sequentis libri epistola: « Nisi si tu aliter censeas, et hinc abero, et filii: sed alterum mihi est certius, nec præripiam tamen: exspectabo tuum consilium ». Victor. —Faernus ex corrupta scriptura *præcipit*, quæ est in libris manuscriptis, primus *præcipio* legendum conjecit; quod Lambinus et Ernest. præferunt. Græv. *Sed quid præcipis?* hoc sensu: Sed quid anticipas et ante tempus quid aves ista scire, quæ posteaquam convenero Cæsarem, ad te perscribam? Turneb. Adversar. XXI: Mihi Faerni conjectura maxime probatur. Nam et Balliol. et Helm. *quid' præcipit* scribunt. Hinc nihil facilius, nihil ad hanc sententiam accommodatius fingi potest, quam *quid præcipio?* Sensus est: Sed quid ante scribo, quam factum est. Sch. quoque recepit. Ed.

2. *Istic puto*. Romæ. Corr.

rear, quid agat; qui autem veniunt inde[3], κινδυνώδη[4] nuntiant. Sane in magnis curis etiam hæc me sollicitat. In hac enim fortuna perutilis ejus et opera, et fidelitas esset.

3. *Inde*. Patris. Corrad.

4. Κινδυνώδη *nuntiant*. Olivet. *id modo nuntiant*. Putabat Corradus ita legi posse: « id modo nuntiant sanum »: hoc est, nuntiant illi quidem sanum : sed nihil addunt, unde probent, id verum esse. Idem.—Ceteri nescio quid nugarum. Grævio probabilis videtur Corradi conjectura : sed Victorii tamen retinenda lectio, donec e MSS verior eruatur. Oliv. — Rescripserat Bosius κινδυνωδῶς. Maluit Ernest. κινδυνώδη, ex epist. ad Div. XVI, 1. J. V. L.— Κινδυνώδη, periculose ægrotantem. Ed.

EPISTOLA XVIII.

Exponit sermones cum Cæsare habitos. (Arpini, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Utrumque ex tuo consilio: nam et oratio[1] fuit ea nostra, ut bene potius ille de nobis existimaret[2], quam gratias ageret; et in eo mansimus, ne ad Urbem. Illa fefellerunt, facilem quod putaramus: nihil vidi minus. Damnari se nostro judicio, tardiores fore reliquos, si nos non venerimus, dicere. Ego, dissimilem illorum esse causam. Quum multa : Veni igitur, et age de pace. Meone, inquam, arbitratu? An tibi, inquit, ego præscribam? Sic, inquam, agam, senatui non placere in Hispanias iri, nec exercitus in Græciam transportari; multaque, inquam, de Cnæo deplorabo. Tum ille, Ego vero ista dici nolo. Ita putabam, inquam : sed ego eo nolo adesse, quod aut

1. *Oratio*. Cum Cæsare. Man.

2. *Existimaret*. Quum nihil, quod esset alienum a dignitate mea dixissem, gratumque animum erga Pompeium ostendissem. Ed.—*Si nos non venerimus*. Al. « si in his non ven. » J. V. L.

sic mihi dicendum est, multaque, quæ nullo modo possem silere, si adessem; aut non veniendum.

Summa fuit, ut ille, quasi exitum quærens [3], ut deliberarem [4]. Non fuit negandum. Ita discessimus. Credo igitur, hunc me non amare. At ego me amavi; quod mihi jam pridem usu non venit [5].

Reliqua, o dii, qui comitatus! quæ, ut tu soles dicere, νεκυία [6]! in qua erat area scelerum [7]. O rem perditam [8]! o copias desperatas! Quid, quod Servii filius? quod Titinii? Quot in his castris fuerunt [9], quibus Pompeius circumsideretur? sex legiones. Multum [10] vigilat, audet: nullum video finem mali. Nunc certe promenda tibi sunt consilia: hoc fuerat extremum [11]. Illa tamen κατακλεὶς [12] illius est odiosa, quam pæne præterii: si sibi consiliis nostris uti non lice-

3. *Exitum.* Sermonis Man.

4. *Ut deliberarem.* Subaudi, diceret. Idem.

5. *Ita discessimus*, etc. *Laharpe*, *Cours de littérat.* t. III, de hac epistola agens, hoc de Cicerone fert judicium : « Que ceux qui le taxent de faiblesse se supposent eux-mêmes dans une pareille conférence avec César, et qu'ils n'oublient pas son cortége qui, au rapport de Cicéron et des historiens, faisait frémir. Il était tel que peut-être on eût excusé celui qui en aurait eu quelque effroi. Cicéron en eut horreur, et conclut qu'il valait encore mieux d'être vaincu avec Pompée que de vaincre avec ces gens-là ». Monet tamen J. V. L. *Laharpe* non recte hanc epist. retulisse, in his præsertim : « César répliqua aigrement, et même avec menaces »; nihil tale in hac epistola occurrit. Ed.

6. Νεκυία. Funus. Vide ep. 12, huj. libri.

7. *Area scelerum.* Male Victor. *Eros Celeri.* Ut Davus Chremetis. Hic enim subintelligitur, libertus, aut servus. Fuerat enim Eros quidam L. Metelli Celeris libertus. Lamb. — Forte Cicero scripsit, in quo erat ἔρος *scelerum*, desiderium, cupiditas turpiter faciendi. J. F. Gronov. — Tunstall. pag. 151, τέρας *sceleris.* Textum edd. pr. revocavi. Ed.

8. *Rem perditam.* Et perdita Cæsaris causa, et copiæ ejusmodi, ut sperare nihil possis. Man.

9. *Fuerunt.* Qui a Brundisio redibant. Et cum admiratione protulit: quasi vix credibile videatur, tot homines convenisse ad Cn. Pompeium circumsidendum. Idem.

10. *Multum.* Hoc est, acerrimus est Cæsar et audacissimus. Græv.

11. *Extremum.* Extremum vocat, postrema verba quæ Cæsar ipsi dixerat, ut scilicet deliberaret. Bos.

12. Κατακλείς. Clausula, conclusio.

ret, usurum, quorum posset, ad omniaque esse descensurum.

Vidisti[13] igitur virum, ut scripseras? ingemuisti? Certe. Cedo reliqua. Quid? Continuo ipse in Pedanum, ego Arpinum. Inde exspecto quidem λαλαγεῦσαν[14] illam tuam. Tu (malum), inquies, actum[15] ne agas. Etiam illum ipsum[16], quem sequimur, multa fefellerunt. Sed ego tuas literas exspecto. Nihil est enim jam, ut antea, «Videamus[17], hoc quorsum evadat». Extremum fuit de congressu nostro: quo quidem non dubito quin istum offenderim. Eo maturius agendum est. Amabo te, epistolam, et πολιτικήν[18]. Valde tuas literas nunc exspecto.

13. *Vidisti.* Sermocinatio brevis. Quærit Atticus, «vidisti igitur virum?» respondet Cicero, «ut scripseras», puta cum auctoritate, quasi dominum se gerentem. Rursus Atticus, *ingemuisti?* Cicero affirmat, *Certe.* Demum Atticus, *Cedo reliqua:* Cicero, *Quid?* continuo ipse in Pedanum, scilicet agrum vel prædium in regione Pedana, quæ erat inter Tibur et Præneste. Popma.

14. Λαλαγεῦσαν. Garrientem, supple hirundinem. Suaserat Atticus Ciceroni ne præmature mari se committeret, sed ὄρνιθα λαλαγεῦσαν, id est, χελιδόνα exspectaret: quibus verbis indicabat ante ver adultum navigandum non esse ad Pompeium. Bosius. — Cf. inf. X, 2: «λαλαγεῦσα jam adest». Ed.

15. *Actum ne agas.* Actum agere apud hunc auctorem est ea de re facienda cogitare, quam antea factam oportuit, et cujus gerendæ tempus jam præteriit. Idem Noster in Lælio, c. 22: «Præposteris enim utimur consiliis, et acta agimus, quod vetamur proverbio». Et supra hoc ipso libro, ep. 4: «Acta ne agamus». Sensus ergo horum verborum est: Ne amplius cogites de navigatione ad Pompeium, cujus instituendæ tempus elapsum est. Oportuit enim cum ipso Pompeio navigare. Bosius. — *Malum,* ut vidit J. V. L. interjectio familiaris, qua ipsi utimur, vel Itali, *che diavol è?* Ed.

16. *Illum ipsum.* Respondens Attici verbis: Quid inde? inquit Cicero: Si lapsus sum, quod non ante navigarim, lapsus quoque sæpe est et quidem gravissime ipse Pompeius, Urbem scilicet et Italiam relinquens. Græv.

17. *Videamus.* Verba ex quadam Attici epistola. Ed.

18. Πολιτικήν. Quæ sit viri reipublicæ periti. Supple, scribas.

EPISTOLA XIX.

Scribit se filio Arpini togam puram dedisse, sibique jam certum esse ad Pompeium pergere. (Arpini, anno U. C. 704, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi; idque municipibus nostris fuit gratum. Etsi omnes, et illos, et qua iter feci, mœstos afflictosque vidi: tam tristis, et tam atrox est ἀναθεώρησις [1] hujus ingentis mali. Delectus habentur [2]; in hiberna deducuntur. Ea, quæ, etiam quum a bonis viris, quum justo in bello, quum modeste fiunt, tamen ipsa per se molesta sunt; quam censes acerba nunc esse, quum a perditis, in civili nefario bello, petulantissime fiant? Cave autem putes, quemquam hominem in Italia turpem esse, qui hinc absit. Vidi ipse Formiis universos: neque mehercule umquam homines putavi; et noram omnes; sed numquam uno loco videram. Pergamus igitur, quo placet, et nostra omnia relinquamus. Proficiscamur ad eum, cui gratior noster adventus erit, quam si una fuissemus [3]. Tum enim eramus in maxima spe; nunc, ego quidem, in nulla; nec, præter me, quisquam Italia cessit, nisi qui hunc [4] inimicum sibi putaret. Nec mehercule hoc facio reipublicæ causa, quam funditus

1. Ἀναθεώρησις. Conspectus, spectaculum.

2. Al. *habetur*. J. V. L.

3. *Quam si una fuissemus*. Scribendum, « quam si una fugissemus ». Qui libentius me visurus est nunc ad se venientem, quam si semper a primo ei adhæsissem, simulque ab Urbe et ex Italia aufugissem. J. F. Gronov.

4. *Hunc*. Cæsarem.

deletam puto; sed ne quis me putet ingratum in eum, qui me levavit iis incommodis, quibus idem affecerat; et simul, quod ea, quæ fiunt, aut quæ certe futura sunt, videre non possum. Etiam equidem senatusconsulta facta quædam jam puto; utinam in Volcatii[5] sententiam! Sed quid refert? Est enim una sententia omnium. Sed erit injustissimus[6] Servius, qui filium misit ad effligendum[7] Cn. Pompeium, aut certe capiendum, cum Pontio Titiniano[8]: etsi hic quidem timoris causa; ille vero[9]? Sed stomachari desinamus, et aliquando sententiam[10], ut nihil novi, nisi id, quod minimum vellem, spiritum reliquum

5. *Volcatii*. Fortassis L. Vulcatius Tullus Consularis sententiam dixerat, Ut de pace legati mitterentur. Sed quid refert, inquit, an de pace agatur? quum sit una sententia omnium, ut Pompeium et rempublicam opprimant, Cæsarem defendant et extollant. Popma.

6. *Injustissimus*. Idem est ac infensissimus. Pacem, inquit, in senatu Ser. Sulpicius dissuadebit, quia scit Pompeium amicum sibi numquam fore, quoniam filium Brundisium misit ad eum effligendum. Ed. — *Filium misit*. Nempe ad exercitum Cæsaris. Ed.

7. *Effligendum*. Victoriana editio anni 1571 sic habet: sic et Malaspina libros suos testatur habere ad unum omnes. Quare non erat cur vocem, quæ Plauto familiaris est, hic non reciperent nonnulli. *Effligere*, inquit Grævius, est perdere. Verbum istud Ernestius monuit non esse apud Nizolium. Oliv.

8. *Pontio Titiniano*. Filio Titinii, qui a Pontiis fuerat adoptatus. Ed.

9. *Ille vero*. Ἀποσιώπησις, quasi dicat, Servius vero cupiditatis, certe mali alicujus causa. Corr.

10. *Sententiam*. Subintellige, dicamus. — *Ut nihil novi:* dicamus. — *Quod minimum:* hoc est vellem me minimum mihi spiritum reliquum esse. Nam, ne quis, *quod*, inusitate dictum hoc modo putet; exempla aliquot afferam ejusdem Ciceronis, ut dubitatio tollatur. Epistola 4, lib. X: « Quum scripsisset, inquit, quod me cuperet ad Urbem venire ». Et lib. II, de Off. cap. 20: « Videndum illud item, quod si opulentum, fortunatumque defenderit, in illo uno, aut forte in liberis ejus maneat gratia ». Man. — Pulchre hunc locum videtur restituisse Gronovius ὁ πάνυ, quem legendum esse suadet: « Stomachari desinamus, et aliquando sentiamus nihil nobis nisi (id quod minime vellem) spiritum reliquum esse ». Hoc est, intelligamus tandem et profiteamur, nihil nobis superesse præter vitam, qua ipsa etiam ut careamus optandum erat. Omnia alia et ornamenta et instrumenta amisimus; quid igitur stomachamur? Vana est sine viribus ira. Græv. — Gronovii restitutionem in textum recepit Seb. et laudat J. V. L. in notis. Ed.

esse. Nos, quoniam superum mare obsidetur, infero navigabimus; et, si Puteolis erit difficile, Crotonem petemus, aut Thurios[11]; et boni cives, amantes patriæ, mare infestum habebimus[12]: aliam rationem hujus belli gerendi nullam video. In Ægyptum nos abdimus. Exercitu pares esse non possumus. Pacis fides nulla est.

Sed hæc satis deplorata sunt. Tu velim literas Cephalioni des de omnibus rebus actis, denique etiam de sermonibus hominum, nisi plane obmutuerunt. Ego tuis consiliis usus sum, maximeque, quod gravitatem in congressu nostro tenui, quam debui; et, ad Urbem ut non accederem, perseveravi. Quod superest, scribe, quæso, quam accuratissime (jam enim extrema sunt), quid placeat, quid censeas: etsi jam nulla dubitatio est. Tamen, si quid, vel potius quidquid veniet in mentem, scribas velim.

11. *Thurios. Thurii*, vel *Thurium.* Idem ac Sybaris; in sinu Tarentino ad meridiem. Dictæ quoque Copiæ. Ed.

12. *Infestum habebimus.* Non intellige, nobis infestum erit, sed infestum reddemus, quod et vidit Ernestius. Est autem sententia, Pompeium classem parare ad intercludendos Italiæ commeatus, id est, ad patriam fame necandam: ad hunc se iturum. Ep. 8. Et cum iracunda ironia, Boni cives, amantes patriæ, dixit.

ARGUMENTUM

LIBRI DECIMI.

Argumentum idem fere est libri hujus et superioris. Querimonia de perditis Cæsaris et Pompeii consiliis : Curionis congressus, proprætoris, in Siciliam proficiscentis, largeque et liberaliter de sua Cæsarisque in Ciceronem voluntate pollicentis : Quinti filii scelus, Romam profecti, Hirtioque, tum patris, tum patrui excedendi consilia indicantis : deliberatio, an, quæ in Hispania gerantur, exspectandum sit, ad quod et sui, et multi alii hortabantur : Cæsaris literæ, ne quo progrediatur, monentis : Cœlii, ut aliquod oppidum eligat, vacuum a bello, rogantis; Antonii id ipsum, et mandatum sibi significantis, ne quem Italia excedere permittat : congressus cum Servio Sulpicio : fuga Catonis ex Sicilia in Africam transmittentis : firmum propositum proficiscendi, primum occulte, postea palam. Scriptæ sunt epistolæ ex ante diem III non. aprilis, ad XIII kalendas junias plus minus : iisdem L. Cornelio Lentulo, C. Claudio Marcello coss.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD ATTICUM
LIBER DECIMUS.

EPISTOLA I.

Lætatur firmitudinem suam in congressu cum Cæsare Attico et Sexto Peducæo probari; ceterum incertum esse, an Cæsar se ad consilia de pace attracturus sit; omnino autem se in magna sollicitudine esse fatetur. (In Laterio, anno U. C. 704, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Tertio nonas quum in Laterium[1] fratris venissem, accepi literas, et paullulum[2] respiravi; quod post has ruinas mihi non acciderat. Per enim magni æstimo, tibi firmitudinem animi nostri et factum nostrum probari. Sexto[3] enim nostro quod scribis probari, ita lætor, ut me quasi patris ejus, cui semper uni plurimum tribui, judicio comprobari putem: qui mihi, quod sæpe soleo recordari, dixit olim, nonis[4] illis

1. *Laterium.* Fundum in Arpinati. Vid. ad Attic. IV, 7; ad Q. fr. II, 7; III, 1, 3. Ed.

2. Olim, *paullum lectis resp.* Addidit *lectis* Bosius ex aliquot MSS. Sed Cicero dixisset, *quibus lectis.* J.V. L. — *Firmitudinem.* Nempe quod in congressu cum Cæsare constanter Romam venire recusaverit, nisi libere sententiam dicere posset. Sch.

3. *Sexto.* Peducæo. Man.

4. *Nonis dec.* Anno U. C. 600, quo die in conjuratos animadvertit. Ed.— Al. *illis illis.* J. V. L.

decembribus, quum ego, «Sexte, quidnam ergo?»

> Μὴ μὰν[5], inquit ille, ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
> Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Ejus igitur mihi vivit auctoritas; et simillimus ejus filius eodem est apud me pondere, quo fuit ille: quem salvere velim jubeas plurimum. Tu tuum consilium etsi non in longinquum tempus differs: jam enim illum emptum[6] pacificatorem perorasse puto, jam actum aliquid esse in consessu senatorum (senatum[7] enim non puto); tamen suspensum me tenes[8], sed eo minus[9], quod non dubito, quid nobis agendum putes. Quid enim Flavio[10] legionem et Siciliam dari scribas, et id jam fieri? Quæ tu scelera partim parari, et jam cogitari, partim ex tempore futura censes? Ego vero Solonis, popularis tui, ut puto, etiam mei[11], legem[12]

5. Μὴ μὰν ἀσπουδεί. Ne ignaviter et inglorie peream: sed magno aliquo facinore edito, quod audiatur a posteris. Iliad. XXII, 304.

6. *Illum emptum pacificatorem.* A Cæsare corruptum. *Pacificatorem*, agentem de pace Volcatium, epist. 22, lib. IX, vel potius Serv. Sulpicium, epist. 1, lib. IV ad Div. et epist. 6, lib. XVI. Corr. — Curionem, ut opinor, indicat, «qui primo, inquit Paterculus, II, 48, pro Pompeii partibus», id est, «ut tunc habebatur, pro republica: mox simulatione contra Pompeium et Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit; id gratis, an accepto centies H-S fecerit, ut accepimus, in medio relinquimus». Bosius. — Mongaltius mallet intelligere de Paullo Æmilio, si modo eo tempore Romæ fuerit. Ed.

7. *Senatum.* Negat Cicero consessum illum senatorum senatum esse, vel quod legitimus non aderat senatorum numerus, vel quod ibi libere loqui nemo poterat. Bosius.

8. Alii, *me inde tenes.* J. V. L.

9. *Sed eo minus.* Sed propterea minus suspensus sum. Sch.

10. *Flavio.* Quorsum enim tu scribas Flavio legionem et Siciliam dari? nisi ut indices interclusum iri exitus Italiæ, ideo maturandum esse discessum nostrum. Bosius. — Rumor autem tunc fuit Siciliam L. Flavio destinari. Sed Cæsar C. Curionem in Siciliam misit, ut ipse narrat, de Bell. Civ. I, 30. Alii autem, e quibus Appian. (Ἐμφυλ. II, pag. 452, ed. Steph.) et Plutarch. in Catone, missum primo Asinium Pollionem scribunt; et eo demum proprætore advento, Catonem e Sicilia ad Pompeium exiisse. Ed.

11. *Mei.* Quia migrare Athenas cogito. Manut. — Lege, *jamjam mei.* J. F. Gronov. Quem Sch. sequitur.

12. *Legem.* Vide Gell. Noct. Att. II, 12.

negligam, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterius utrius partis fuisset; nisi tu aliter censes; et hinc abero, et filii. Sed alterum mihi est certius: nec præripiam tamen; exspectabo tuum consilium, et eas literas, nisi alias jam dedisti, quas, scripsi, ut Cephalioni dares.

Quod scribis, non quo alicunde audieris, sed te ipsum putare, me attractum [13] iri, si de pace agatur: mihi omnino non venit in mentem, quæ possit actio esse de pace, quum illi certissimum sit, si possit, exspoliare exercitu et provincia Pompeium: nisi forte iste summarius [14] ei potest persuadere, ut, dum oratores eant et redeant, quiescat. Nihil video, quod sperem, aut quod [15] jam putem fieri posse; sed tamen hominis hoc ipsum probi, et magnum [16] τῶν πολιτικωτάτων [17] σκεμμάτων, veniendumne sit in consilium ty-

13. *Attractum.* Romam, ut in senatum veniam, quod jam Cæsar sibi placere significaverat. Ed.

14. *Summarius.* Emptus pacificator. Mallem enim, *nummarius.* Ut *nummarii judices*, pretio corrupti, epist. 14, lib. I. Et placet εἰρωνικῶς dictum esse, *nisi forte*: quia scit Cæsari persuaderi non posse, ut quiescat. Manut. — Nos, *summœrius.* Summœrium vocat, quem modo appellarat emptum pacificatorem, diversa tamen ratione. Hoc enim nomine notavit Curionis impudicitiam, et turpe corporis obsequium, ut illo altero sordes, et avaritiam. Significat ergo summœrius publicum prostibulum, cujusmodi erant meretrices, quæ sub murorum fornicibus prostabant, unde et summœnianæ dicebantur. Martialis, lib. III, «Summœnianas cœnet inter uxores». Itaque summœrius est summœnianus. Nam muri, sive, ut veteres loquebantur, mœri, sunt mœnia. Bosius.—Placebat J. F. Gronovio *submarius.* Hæc illius verba sunt in lect. Plaut. ad Pseudolum, § x, *Subballio*, quasi minor Ballio, inferior, vel alter Ballio. Compositio ideo notanda, quia in ea eleganter ludunt veteres. Nam ita Cicero *submarium* dixit, qui est alter Marius crudelitate et imperii cupidine, ad Attic. X, 1. Ita *Subneronem* vocat Domitianum Tertullianus. Jac. Fr. Gronovius emendavit *Submanus*, scilicet Jupiter seu Pluto, quod Ernest. recepit, qui tamen h. v. in Clave male de Cicerone accipit. Sed Mongaltius et J. V. L. in versione probant *nummarius*, et Sch. recepit. Ed.

15. *Quod.* Alii, *quid.* J. V. L.

16. Alii: *sed m. sit.* J. V. L.

17. Τῶν πολιτικωτάτων. *Propositorum, quæ ad rempublicam pertinent.* Locum hunc totum emendabat Muretus, Var. Lect. X, 12: *sed tamen hoc ipsum unum τῶν*: quod Oliv. recepit. Sch. *et unum τῶν πολιτικῶν*. Ed.

ranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit. Quare, si quid ejusmodi evenerit, ut arcessamur (quod equidem non curo: quid enim essem de pace dicturus, dixi [18]; ipse valde repudiavit): sed tamen, si quid acciderit, quid censeas mihi faciendum, utique scribito. Nihil enim mihi adhuc accidit, quod majoris consilii esset. Trebatii, boni viri et civis, verbis te gaudeo delectatum; tuaque ista crebra ἐκφώνησις [19], ὑπέρευ, me sola adhuc delectavit. Literas tuas vehementer exspecto, quas quidem credo jam datas esse.

Tu cum Sexto [20] servasti gravitatem eamdem, quam mihi præcipis. Celer [21] tuus disertus magis est, quam sapiens. De juvenibus [22], quæ ex Tullia audisti, vera sunt. M. Antonii istud [23], quod scribis, non mihi videtur tam re esse triste, quam verbo. Hæc est ἄλη [24], in qua nunc sumus, mortis instar. Aut enim mihi libere inter malos πολιτευτέον [25] fuit, aut vel periculose

18. *Dixi.* Nempe in congressu cum Cæsare. Vid. IX, 18. — *Ipse.* Cæsar scilicet. Ed.

19. Ἐκφώνησις. Tua exclamatio ὑπέρευ, *perbene*, ut meum consilium tibi placere significares, unice me delectavit. Sch.

20. *Tu cum Sexto.* Tu et Sextus Peducæus servastis, etc. Corrad. — Animadvertit Mongaltius, quod alii prætermisere, ea quæ consequuntur, scripta fuisse post acceptas Attici literas, quas Cicero *vehementer* exspectabat, et credebat *jam datas esse.* Et sane quum hactenus timuerit ne attraheretur Romam, et amici consilium exposceret, quo uteretur, si quid eveniret ejusmodi: deinceps ita scribit, ut qui intellexerit se accitum non iri, neque « habeat necesse scribere, aut etiam cogitare quid sit facturus ». Itaque ex duabus epistolis unam librarii fecisse videntur. Olivetus.

21. *Celer.* Q. Celer, de quo alias.

22. *De juvenibus.* De Ciceronibus. Manut.

23. *Istud.* Istud quid sit, nesciunt interpretes, et mendum in *M. Antonii* voce suspicantur. Popma corrigit Μακρὸν *illud*, i. e. longum tempus abesse a patria et rep. non tam re, quam verbo triste est. Tunstall. epist. ad Middlet. pag. 80, corrigit de conjectura ἄκρον *istud*, ultimum istud epistolæ tuæ. Si verum est « M. Antonii », non ad triumvirum, ut fecit Mongaltius, sed ad oratorem ejusque tristem vitæ exitum referendum. De Orat. III, 3; Tuscul. V, 19. Si id sit, mallet J. V. L. legere « de M. Antonio ». Ed.

24. Ἄλη. *Anxietas.* Et hoc restituit Muretus, quem vide iterum Var. Lect. X, 12.

25. Πολιτευτέον. In rep. versandum.

cum bonis : aut nos temeritatem bonorum sequamur; aut audaciam improborum insectemur. Utrumque periculosum est. At hoc, quod agimus, nec[26] turpe, nec tamen tutum. Istum[27], qui filium Brundisium de pace misit (de pace idem sentio, quod tu; simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrime), legatum[28] iri non arbitror; cujus adhuc, ut optavi, mentio facta nulla sit. Eo minus habeo necesse scribere, aut etiam cogitare, quid sim facturus, si acciderit, ut legarer[29].

26. *Nec turpe*. Quippe quum probetur etiam Sexto. Epist. 6, lib. IX. CORRAD. — Rectius legitur *et turpe*. Dicis, Attice, utrumque superiorum periculosum esse? At hoc quod ago, nempe, ut absim a bonis, et hic maneam non liber, sed servus malorum, id est revera turpe, nec tamen tutum ob duas causas, nec enim diu servitutem illam ferre potero, et sic eos irritabo in cædem mei, et nescimus an reipublicæ fortuna respiciat olim bonos, et sic victis malis ego quoque pro hoste habear. J. F. GRONOV.

27. *Istum*. Forte L. Cornelium Balbum, qui filium Brundisium miserat. MANUT. — Volunt Corradus et Popma designari Serv. Sulpitium. Quod non improbat Mongaltius. ED.

28. Victor. addit *me*, quem Mongalt. sequitur. J. V. L. — Manut. vero non *me*, sed « istum legatum iri arbitror ». ED.

29. Rectius, *leger*, quam in opinionem Manut. proclivius descendit, quod antiqui libri habent, « ut legerer ». Acciderit enim, præteritum futuri postulat *leger*. J. V. L.

EPISTOLA II.

Rogat Atticum, ut se consiliis juvet; Dionysiumque se videre nolle significat. (In Arcano Q. fratris, anno U. C. 704, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Ego quum accepissem tuas literas nonis april., quas Cephalio attulerat, essemque Minturnis postridie mansurus, et inde protinus[1]; sustinui me in Arcano fratris, ut, dum aliquid certius afferretur, occultiore

1. *Inde protinus*. Ad mare, ut abirem Italia. ED.

in loco essemus, agerenturque nihilo minus, quæ sine nobis agi possunt. Λαλαγεῦσα[2] jam adest, et animus ardet[3]; nec est quidquam[4], quo, et qua. Sed hæc nostra erit cura, et peritorum[5]. Tu tamen, quod poteris, ut adhuc fecisti, nos consiliis juvabis. Res sunt inexplicabiles. Fortunæ sunt committenda omnia. Sine spe conamur ulla. Si melius quid acciderit, mirabimur. Dionysium nolim ad me profectum; de quo ad me Tullia mea scripsit. Sed et tempus alienum est; et homini non amico nostra incommoda, tanta præsertim, spectaculo esse nollem: cui te meo nomine inimicum esse nolo.

2. Λαλαγεῦσα. Garrula, hirundo. Veris nuntia. J. V. L.

3. *Ardet.* Navigandi cupiditate. Sch.

4. *Nec est quidquam.* Nec videmus, aut quæ loca petamus, aut qua via. Man.

5. *Peritorum.* Rei maritimæ, ut nautarum. Corr.

EPISTOLA III.

Petit, ut sibi quid Cæsar egerit, nuntiet. Literas Attici exspectat, et quid sibi Cæsar scripserit, refert. (In Arcano, anno U. C. 704, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Quum, quod scriberem, plane nihil haberem, hæc autem reliqua essent, quæ scire cuperem; profectusne[1] esset; quo in statu Urbem reliquisset; in ipsa Italia quem cuique[2] regioni aut negotio præfecisset; ecqui essent ad Pompeium et ad consules ex senatusconsulto de pace legati[3]: quum igitur hæc

1. *Profectusne.* Cæsar in Hispanias, ut constituerat. Ep. 18, lib. IX. Corr.

2. *Quem cuique.* Lepido res urbanas, Antonio Italiam regendam reliquit Cæsar. Ed.

3. *Legati.* Nemo hanc suscepit le-

scire[4], dedita opera has ad te literas misi. Feçeris igitur commode, mihique gratum, si me de his rebus, et si quid erit aliud, quod scire opus sit, feceris certiorem. Ego in Arcano opperior, dum ista cognosco.

A. d. VII[5] id. alteram tibi eodem die hanc epistolam dictavi; et pridie dederam mea manu longiorem[6]. Visum te aiunt in regia[7]; nec reprehendo: quippe quum ipse istam reprehensionem non fugerim. Sed exspecto tuas literas: neque jam sane video, quid exspectem; sed tamen, etiamsi nihil erit, id ipsum ad me velim scribas. Cæsar mihi ignoscit per literas, quod non venerim[8]; seseque in optimam partem id accipere dicit. Facile patior, quod scribit, secum Tullum[9] et Servium questos esse, quia non idem sibi, quod mihi, remisisset. Homines ridiculos! qui quum filios[10] misissent ad Cn. Pompeium circumsidendum, ipsi in senatum venire dubitarent. Sed tamen exemplum misi ad te Cæsaris literarum.

gationem : Cæsari enim pacem non placere sciebant omnes. Ed.

4. *Quum igitur hæc scire.* Repetendum est verbum, *cuperem*, e superioribus. Bosius. — Muretus malebat, « ut igitur hæc scirem ».

5. *A. d.* VII. Sch. aliam hic orditur epistolam. « Hoc facile patet, ait, si utriusque argumentum diligenter comparaveris. Principio enim epistolæ diserte enumerarat, quæ sibi ab Attico scribi vellet; hic autem ait : si nihil erit, id ipsum ad me velim scribas, quod profecto in eadem illa epistola scribere non potuit ». Ed.

6. *Longiorem.* Quæ intercidit. Nam ep. 1 h. l. non est pridie, sed III non. apr. scripta. Ed.

7. *In regia.* Visus es in regia, publico loco, quum Cæsar Urbem teneret. Nec reprehendo : quoniam ipse non veritus istam reprehensionem in publicum quoque prodivi. Reprehensio autem ista erat, quod qui in illo tumultu armorum se in publico conspiciendos præbebant, hi non dolere rempublicam et libertatem oppressam viderentur,* id quod Pompeiani calumniabantur. Regia fuit fanum in quo sacerdotes et pontifices convocati conveniebant, et rex sacrificulus solitus sacra facere. Varro, Festus, etc. Porma. — Scb. putat Cæsaris domum, quasi jam rex esset, invidiose hic regiam vocari. Non mihi videtur. Ed.

8. *Non venerim.* In senatum.

9. *Tullum et Servium.* L. Volcatium Tullum, et Sulpitium.

10. *Filios misissent.* Servius certe quidem. Ep. 21 et ult. lib. IX. Corr.

EPISTOLA IV.

Scribit in tantis reip. calamitatibus se præclara conscientia sustentari, graviter autem tulisse literas a Quinto, fratris filio, ad Cæsarem scriptas : levatum tamen aliquantum esse colloquiis cum Curione habitis. (In Cumano, anno U. C. 704, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Multas a te accepi epistolas eodem die, omnes diligenter scriptas; eam vero, quæ voluminis instar erat, sæpe legendam, sicuti facio : in qua non frustra laborem suscepisti; mihi quidem pergratum fecisti. Quare, ut id, quoad licebit, id est, quoad scies ubi simus, quam sæpissime facias, te vehementer rogo. At deplorandi quidem, quod quotidie facimus, sit jam nobis aut finis omnino, si potest, aut moderatio quædam, quod profecto potest. Non enim jam, quam dignitatem, quos honores, quem vitæ statum amiserim, cogito, sed quid consequutus sim, quid præstiterim, qua in laude vixerim; his denique in malis, quid intersit inter me et istos, quos[1] propter omnia amisimus. Hi sunt, qui, nisi me civitate expulissent, obtinere se non posse putaverunt licentiam cupiditatum suarum : quorum societatis et sceleratæ consensionis fides quo eruperit, vides. Alter[2] ardet furore et scelere, nec remittit aliquid, sed in dies ingravescit : modo Italia expulit; nunc alia ex parte[3] persequi, ex alia[4] provincia exspoliare cona-

1. *Quos propter.* Ordo est, *propter quos.*

2. *Alter.* Cæsar. Ed.

3. *Alia ex parte.* Conatur et in Græciam persequi, et ei provinciam Hispaniam eripere. Man.

4. Ernest. *et alia*, ex ed. Rom. J. V. L.

tur; nec jam recusat, sed quodam modo postulat, ut, quemadmodum est, sic etiam appelletur, tyrannus. Alter, is, qui nos sibi quondam[5] ad pedes stratos ne sublevabat quidem, qui se nihil contra hujus[6] voluntatem aiebat facere posse, elapsus e soceri manibus ac ferro, bellum terra ac mari comparat, non injustum ille quidem, sed quum pium, tum etiam necessarium, suis tamen civibus exitiabile, nisi vicerit; calamitosum, etiamsi vicerit. Horum ego summorum imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima[7], nos duriore conflictati videmur. Quis enim potest, aut deserta per se patria, aut oppressa, beatus esse? et si, ut nos a te admonemur, recte in illis libris diximus, nihil esse bonum, nisi quod honestum; nihil malum, nisi quod turpe sit: certe uterque istorum est miserrimus, quorum utrique semper patriæ salus et dignitas posterior sua dominatione et domesticis commodis fuit. Præclara igitur conscientia sustentor, quum cogito, me de republica aut meruisse optime, quum potuerim; aut certe numquam, nisi divine[8], cogitasse; eaque ipsa tempestate eversam esse rempublicam, quam ego XIV annis[9] ante pro-

5. *Quondam.* Quum ab eo adversus Clodii impetus auxilium petebam. SCH.

6. *Hujus.* Cæsaris. ED.

7. *Florentissima.* Videtur nihil deesse: sed Ernestio videtur consulto conjungi *conflictati* cum *florentissima*, ut hoc illo debilitaretur. ED.

8. *Divine.* Hoc est, quidquid animo prospexi futurum, id accidisse. *Divini* sunt vates, futura prædicentes. Hinc *scire divinitus* est futura prædicere apud Plautum in Curculione. GRÆV. — Hoc Ernest. non placet. Suspicatur *digne.* Enimvero non meminerat *divine* præter istam significationem qua notatur divinatio, eam quoque vim habere, ut idem notet, quod præclare, optime. Sic Quintil. I, 10: « Quæ Cicero in Oratore divine omnia exsequitur ». Sic Cic. ad Q. Fr. II, 8: « Senatum ait divinum fuisse in supplicatione Gabinio deneganda ». SCH.

9. *Quam ego* XIV *annis.* Quot inter meum, et præsentem consulatum numerantur. GRÆV. — Vide de hac futura tempestate ep. 3, lib. IV, ad Div.

spexerim. Hac igitur conscientia comite proficiscar, magno equidem cum dolore, nec tam id propter me, aut propter fratrem meum, quorum jam acta ætas[10], quam propter pueros, quibus interdum videmur præstare etiam rempublicam debuisse : quorum quidem alter[11] non tam, quia[12] majore pietate est, me mirabiliter excruciat; alter (o rem miseram! nihil enim mihi accidit in omni vita acerbius), indulgentia videlicet nostra depravatus, eo progressus est[13], quo non audeo dicere; et exspecto tuas literas : scripsisti enim, te scripturum esse plurima, quum ipsum vidisses. Omne meum obsequium in illum fuit cum multa severitate; neque unum ejus, nec parvum, sed multa magna delicta compressi. Patris autem lenitas amanda potius ab illo, quam tam crudeliter negligenda. Nam literas ejus ad Cæsarem missas ita graviter tulimus, ut te quidem celaremus; sed ipsius[14] videmus vitam insuavem reddidisse. Hoc vero ejus iter, simulatioque pietatis[15] qualis fuerit, non audeo dicere. Tantum scio, post Hirtium conventum, arcessitum ab Cæsare : cum eo, de meo animo ab suis rationibus alienissimo, et consilio relinquendi Italiam; et hæc ipsa timide[16].

10. Al. « q. ntut jam a. æ. » J.V. L.

11. *Alter*. Q. filius. Corr.

12. Malaspina et Lambinus legendum putant, « non tam quia filius, quam quia majore pietate est ». Cicero certe scripsisse in hanc sententiam videtur, quod et Schützio placuit. J. V. L.

13. *Eo progressus est*. Q. enim Q. Ciceronis filius patre et patruo inscientibus ad Cæsarem literas miserat, quibus eum rogarat, ut quocumque modo posset, patruum et patrem a consilio Italiam relinquendi revocaret. Quumque ob id inceptum a patre et patruo increpitus esset, quasi expiaturus hanc temeritatem suam et imprudentiam, Romam profectus est. Inde Ciceroni nuntiatum est eum cum Hirtio colloquutum. Ed.

14. *Ipsius*. Q. fratris. Mongault. — Sch. autem legit *videmur*, et explicat : « Videmur severa objurgatione nostra hoc effecisse, ut Q. filium pæne vitæ pœniteret ». Quod alienum est. Ed.

15. *Pietatis*. Quia simulavit ideo se ire, ut Cæsari ostenderet, nos optimo in illum esse animo : quod contra fecit. Man.

16. *Timide*. Ad te scribo : quia scio

Sed nulla nostra culpa est[17]; natura metuenda est. Hæc Curionem, hæc Hortensii filium, non patrum culpa, corrupit. Jacet in mœrore meus frater, neque tam de sua vita, quam de mea metuit. Huic tu, huic tu malo affer consolationes, si ullas potes; maxime quidem illam velim : ea, quæ ad nos delata sint, aut falsa esse, aut minora. Quæ si vera sint; quid futurum sit in hac vita et fuga, nescio[18]. Nam si haberemus[19] rempublicam, consilium mihi non deesset nec ad severitatem, nec ad indulgentiam. Hæc, sive iracundia, sive dolore, sive metu permotus[20], gravius scripsi, quam aut tuus in illum amor, aut meus postulabat. Si vera sunt, ignosces[21]; si falsa, me libente eripies mihi hunc errorem : quoquo modo vero se res habebit[22], nihil assignabis nec patruo, nec patri.

Quum hæc scripsissem, a Curione mihi nuntiatum est, eum[23] ad me venire. Venerat enim is in Cumanum[24] vesperi pridie, id est, idibus. Si quid ejus

tibi dolorem allatura. Man. — Supra dixerat : « Eo progressus est quo non non audeo dicere ». Sch. intelligit, *timide* quasi hæc nondum plane certa sint. Ed.

17. *Nulla nostra culpa.* Non in educatione vitium fuit, sed in natura. Man.

18. *Nescio.* Vereor, ne Cæsar, quum nostrum consilium cognoverit, nos observari, et fugientes retrahi jubeat. Idem.

19. *Si haberemus, etc.* Jacente republica nihil audeo contra pravam hujus naturam; ne videar adversari, non quia depravatus pessime de nobis mereatur, sed quia pro Cæsare faciat. Quod si esset aliqua resp. aut illum severitate reprimerem : aut, abjecta de illo prorsus omni cura, permitterem, ut ageret et suo arbitratu, et suo periculo quod vellet. Idem.

20. *Permotus. Iracundia* quidem ob Q. filii scelus, *dolore* quo me afficit ejus, quem amavi et amo, ingratus animus, *metu*, quod vereor ne Cæsar, id quod Quintus ei prodidit, in malam partem accipiat. Sch.

21. *Ignosces.* Quia scripsi, quæ tibi scio fore acerbissima. Man.

22. Al. *habeat.* J. V. L.

23. *Eum.* Ipsum Curionem. Man.

24. *In Cumanum.* Non Ciceronis villam. Sch. intelligit de fundo, Ciceronis Cumano vicino, qui ipsius Curionis esset, vel amici cujusdam. Prior tamen conjectura verisimilior videtur. Ed.

igitur sermo ejusmodi attulerit, quod ad te scribendum sit; id in literis adjungam[25].

Præteriit villam meam[26] Curio, jussitque mihi nuntiari, mox se venturum; cucurritque Puteolos, ut ibi concionaretur. Concionatus est; rediit; fuit ad me sane diu. O rem fœdam! nosti hominem: nihil occultavit; in primis nihil esse certius, quam ut omnes, qui lege Pompeia[27] condemnati essent, restituerentur; itaque se in Sicilia eorum opera usurum. De Hispaniis, non dubitabat, quin Cæsaris essent; inde ipsum cum exercitu, ubicumque Pompeius esset ejus interitu finem illi[28] fore; propius factum esse nihil[29], et plane iracundia elatum voluisse Cæsarem occidi Metellum tribunum plebis; quod si esset factum, cædem magnam futuram fuisse[30]; permultos hortatores esse cædis; ipsum autem non voluntate, aut natura non esse crudelem, sed quod putaret popularem esse clementiam; quod si populi studium amisisset, crudelem fore; eumque perturbatum, quod intelligeret, se apud ipsam plebem offendisse de ærario[31]; itaque ei quum certissimum fuisset, antequam proficisceretur, concionem habere, ausum non esse, vehementerque animo perturbato profectum. Quum autem ex eo quærerem, quid videret? quod[32] exem-

25. *In literis.* Sch. velit *his literis.* Nempe reliquam huj. ep. partem tum demum adjecit, quum Curio Puteolis redux ad se venisset. Ed.

26. *Villam meam.* Cumanam. Sch.

27. *Lege Pompeia.* De ambitu et de vi, quam tertium consul tulerat. Ed.

28. Manut. conj. *belli;* Jac. Gronov. *Ilii*, ingeniose. J. V. L. — Vetus *illi* defendit Tunstall. p. 152. Ed.

29. *Propius factum esse nihil.* Quam ut L. Metellus occideretur, quum ærarii fores amplexus, Cæsarem ingredi vetaret. Ed. — Hæc quatuor verba Manut. post *tribunum plebis*, transponenda esse putat. J. V. L. — Muretus sic legebat: « Propius factum esse nihil, quam Cæsarem iracundia elatum jussisse occidi Metellum ».

30. Al. *esse.* J. V. L.

31. *De ærario.* Quia, quum ærarii claves non invenirentur, refractis foribus publicas pecunias abstulisset. Plut. in Cæs. Dio, XLI, 37; Lucan. III, 117. Ed.

32. *Quod exemplum.* Quod simile

plum? quam rempublicam? plane fatebatur nullam spem [33] reliquam: Pompeii classem timebat; quæ si esset, se de Sicilia abiturum. Quid isti, inquam, sex tui fasces [34]? si ab senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupivi, inquit, ex senatusconsulto surrepto [35]; nam aliter non poterat. At ille impendio nunc magis odit senatum: A me, inquit, omnia proficiscentur. Cur autem sex? quia duodecim [36] nolui; nam licebat. Tum ego, Quam vellem, inquam, petiisse [37] ab eo, quod audio Philippum [38] impetrasse! sed veritus sum, quia ille a me nihil impetrabat. Libenter, inquit, tibi concessisset. Verum puta te impetrasse: ego enim ad eum scribam, ut tu ipse voles, de ea re nos inter nos loquutos. Quid autem illius interest, quoniam in senatum non venis, ubi sis? Quin nunc ipsum minime offendisses ejus causam [39], si in Italia non fuisses. Ad quæ ego, me recessum et solitudinem quærere,

exemplum, quid tale umquam fuerit visum aut auditum in republica romana, quale modo Cæsar in se admisit, quum effregit ærarium solus sine auctoritate senatus, et populi jussu, contra intercessionem tribuni plebis. Græv.

33. *Nullam spem reliquam.* Tunstall. conj. *speciem.* J.V. L.

34. *Sex tui fasces.* Quos habebat, ut proprætor Siciliæ præfectus. Idem. — *Cupivi.* Egi cum Cæsare de senatusconsulto ab amicis et familiaribus occulte faciendo, quo mihi Siciliam provinciam cum imperio fascibusque datam constaret: at ille, qui nunc senatui maxima est infensus, ita respondit: « Senatum contemne; a me omnia proficiscentur ». Man.

35. *Surrepto.* De hac fraude jam vidimus Ciceronem querentem Epist. ad Div. IX, 15, et locum retulimus Viri Cl. *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains*, cap. 11. Ed.

36. *Duodecim.* Quibus proconsules utebantur. *Licebat,* per Cæsarem, qui mihi omnia concessisset. Man.

37. *Petiisse*, etc. Ut ubivis esse possem. Idem.

38. *Philippum.* Qui Atiam, Juliæ Cæsaris sorore natam, habebat in matrimonio, post Octavii priora viri obitum. Vitricus igitur Octavii, qui post Augustus. Idem.

39. *Ejus causam.* Olim, *causa si.* J. Fr. Gronovius solertissime perspexit scribendum esse, « quin nunc ipsum minime offendisses ejus causam », hoc est, hoc ipso tempore non visus fuisses male judicare de ejus causa et partibus. Sic *offendere existimationem* dixit pro Plancio, cap. 2. Græv.

maxime quod lictores haberem. Laudavit consilium. Quid ergo? inquam: nam mihi cursus in Græciam per tuam provinciam est; quoniam ad mare superum milites sunt. Quid mihi, inquit, optatius? Hoc loco multa perliberaliter. Ergo hoc quidem est profectum[40], ut non modo tuto, verum etiam palam navigaremus. Reliqua in posterum diem distulit: ex quibus scribam ad te, si quid erit epistola dignum. Sunt autem, quæ præterii: interregnumne esset exspectaturus; an[41], quomodo dixerim[42]? Ad se ille quidem deferri consulatum, sed se nolle in proximum annum. Et alia sunt, quæ exquiram. Jurabat[43] ad sum-

40. *Est profectum*, hoc quidem sermone, quem cum Curione habui. Olim *verum profecto*. Male. Primum enim ex *profectum* factum suspicor, *profecto*, deinde ad *profecto* additum ex ingenio *verum*. Man.

41. *An*..... Poterat addere: An jussurus consnlaria comitia a prætore haberi? An fieri augurum decretum, quo vel consules creare prætor possit, vel dictatorem dicere, qui deinde consules creet? Poterat, inquam, hæc addere et similia. Verum omisit, quæ scripserat jam ante IX, 9 et 15. Hunc locum difficilem sane, et in ceteris editionibus male distinctum, sic et Manutius et Mongaltius videntur explicare. Oliv. — Ernest. ex edd. primarum vestigiis, hæc ita constituit: « An, quo modo dixerit ille quidem, ad se deferri consulatum ». J. V. L.

42. *Dixerim*. Muretus et Grævius mallent *dixerit*. Equidem sic legi non mallem modo, sed prorsus necesse arbitror, adhibita ea, quam repræsento, interpunctione. Cras, inquit Cicero, exquiram hoc quoque: *quo modo*, quibus verbis, qua mente *dixerit* Cæsar, etc. Fortasse aliquem offendet pronominis trajectio, « quo modo dixerit ad se ille quidem ». At non abhorruisse ab ejusmodi constructione Tullium, pluribus exemplis demonstrat criticus primæ classis, Thomas Wopkensius, Lect. Tullian. I, 7 et 9; II, 2. Oliv. — Sed nihil mutandum si, post *dixerim*, distinguas. Ed.

43. *Jurabat*. Hæc est sententia hujus loci: Ut uno verbo dicam, jurabat, quod facile et sine ulla gravi causa solet facere, Cæsarem mihi, quantum certa conjectura assequi et animo possit providere, amicissimum esse. *Quid enim, inquit*, sic pergit Curio, *scripsit ad me Dolabella?* hoc est, quid aliud scripsit Dolabella ad me Curionem, quid aliud volunt Dolabellæ literæ ad me datæ, quam Cæsarem tibi debere esse amicissimum? *Dico*, scilicet ego Cicero, *quid? Affirmabat*, scil. Curio, *eum* nimirum Dolabellam, « scripsisse quod me cuperet ad Urbem venire, illum » (Cæsarem) gratias quidem maximas agere Dolabellæ, pro eo, quod me cuperet ad Urbem venire, quod me incitaret ad redeundum, et

mam, quod nullo negotio faceret, amicissimum mihi Cæsarem. Esse debet[44]. Quid enim, inquam, scripsit ad me Dolabella? Dico, quid? Affirmabat, quum scripsisset, quod me cuperet[45] ad Urbem venire, illum quidem gratias agere maximas, et non modo probare, sed etiam gaudere. Quid quæris? acquievi. Levata est enim suspicio illa domestici mali[46], et sermonis Hirtiani. Quam cupio illum[47] dignum esse nobis; et quam ipse me invito, qua pro illo sit supplicandum[48]! Sed opus fuit Hirtio convento? Est profecto nescio quid: sed velim quam minimo. Et tamen eum nondum redisse miramur. Sed hæc videbimus.

Tu Oppios Terentiæ dabis[49]. Jam enim Urbis

valde sibi hoc placere. Græv. — *Inquam* retinet J. V. L. quamvis Mongaltius in versione et notis retinet *inquit*. Ed.

44. Olim, *amiciss. mihi Cæsarem esse debere*. Id non solum Fulvii Ursini liber, sed et Helmstadiensis præ se fert. Ita omnino legendum. Est enim elegans loquendi genus, quod usurpabant, quum significaturi essent se judicare, quantum humano consilio et animo provideri aliquid possit, id de quo agebatur, certo eventurum. Cic. ad Div. VI, ep. 6: « Debet habere fidem nostra prædictio ». Hoc est, quantum certis conjecturis assequi possum, vera sunt quæ dico. Græv.

45. *Quod cuperet*. Non pendet a τῷ *affirmabat*, ut Manutius et Scioppius voluere, sed a *gratias agere*. Id.

46. *Domestici mali*. A Quinto filio: qui sermonem habuit cum Hirtio, mox cum Cæsare. Epist. 4. Man.

47. *Illum*. Quintum filium. Idem.

48. *Supplicandum*. Legit Popma cum Victorio, *suspicandum*. Hoc enim vult dicere: Quam cupio Quintum filium dignum nobis esse! quam ipse me invito et excito, si qua in parte aliquid sit recti atque honesti pro illo suspicandum! Volo levare suspicionem meam: sed cur Hirtium convenit? Est nescio quid ab illo actum contra nos apud Cæsarem, quod velim quam minimo nostro malo et incommodo abire. Lambinus recte vidit in primis editionibus, quamvis id in posterioribus repudiarit, legendum esse: « Metuo ne quid pro illo sit supplicandum ». Quam vereor, inquit, ne aliquid patraverit, ut nos quoque pro illo Cæsari supplices fieri oporteat, quo ejus stultitiæ ignoscat! J. F. Gronov. — Iste locus jacet adhuc in mendis et tenebris, quas sine codice emendatiore vis ingenii difficulter dispulerit. Græv. — Sch. tamen sic tentavit, « ne quid putem de illo suspicandum ». J. V. L.

49. *Oppios Terentiæ dabis*. Tu Oppios (de quibus ep. 7, lib. VIII) Terentiæ conciliabis; ut illi præsto sint, si quid ei opus erit. Man. — Legendum forte: « Tu hospitium Terentiæ dabis ». Muret.

unum [50] periculum est. Me tamen consilio juva, pedibusne Rhegium, an hinc statim in navem. Ceterum, quoniam commoror, ego ad te statim habebo, quod scribam, simul ut videro Curionem. De Tirone cura, quæso, quod facis, ut sciam, quid is agat.

50. *Unum.* Scribe : « Jam enim Urbis vanum », vel « nullum periculum est ». Putabant enim Cæsarem Urbem diripiendam militibus daturum : is metus nunc cessat. Itaque tuto ibi manere Terentiam putavi, modo habeat in sumptum. J. F. GRON.—Quæ conjectura Schützio placet. ED.

EPISTOLA V.

De die itineris nondum se constituisse; de altero cum Curione colloquio; de Q. F. regendo; de epistola ad Vestorium missa; de negotio empti diversorii a Vecteno curato; de Attici itinere. (In Cumano, anno U. C. 704, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

DE tota mea cogitatione scripsi ad te antea satis, ut mihi visus sum, diligenter. De die [1] nihil sane potest scribi certi, præter hoc; non ante lunam novam. Curionis sermo postridie eamdem habuit fere summam, nisi quod apertius significavit, se harum rerum exitum non videre. Quod mihi mandas de Quinto regendo, Ἀρκαδίαν [2]. Tamen nihil prætermittam. Atque utinam tu [3]! sed modestior [4] non ero. Epistolam ad

1. *Die.* Navigationis meæ. MAN.

2. Ἀρκαδίαν. Difficilem provinciam mihi mandas in Q. Cicerone filio regendo : atque utinam tu suscepisses eum regendum, etsi ego in illo regendo non ero modestior quam tu, nec minus severa disciplina utar. Alludit autem ad græcum proverbium Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς, Arcadiam me postulas, quod dicitur quum quis petit, quod fieri non potest, aut difficillimum est. Is versus editus est oraculo Pythiæ ad Lacedæmonios respondentis, consulentes de Arcadia subigenda; Herodot. I, 66, p. 26, ed. Steph. Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς· μέγα μ' αἰτεῖς, οὔτι τοι δώσω. Et vid. infr. ep. 12. ED.

3. *Utinam tu.* Suscepisses juvenem regendum. Epist. 6. MAN.

4. *Modestior.* In eo regendo, quam

Vestorium statim de Tullia; ac valde requirere[5] solebat.

Commodius tecum Vectenus est loquutus, quam ad me scripserat. Sed mirari satis hominis[6] negligentiam non queo. Quum enim mihi Philotimus dixisset, H-S L emere de Canuleio deversorium illud posse, minoris etiam empturum, si Vectenum rogassem; rogavi, ut, si quid posset, ex ea summa detraheret; promisit : ad me nuper, se H-S XXX emisse; ut scriberem, cui vellem addici; diem pecuniæ id. novembr. esse. Rescripsi ei stomachosius[7], cum joco tamen familiari. Nunc, quoniam agit liberaliter, nihil accuso hominem, scripsique ad eum, me a te certiorem esse factum. Tu, de tuo itinere quid et quando cogites, velim me certiorem facias. A. d. XV kal. mai.

tu, et patrui esse soleant. Corr.

5. *Requirere*. Ut sibi commendarem aliquem meorum. Man.

6. *Hominis*. Grævius, *nominis*. *Negligentiam*. Qui tam negligenter eum Canuleio de die solutionis egisset. Longiorem enim fuisse impetraturum si contendisset. J. V. L. vero in notis non intelligit de die solutionis breviori, sed quod præstituta fuisset. Id autem Ciceronem ægre ferre. Ed.

7. *Stomachosius*. Conf. inf. ep. 11.

EPISTOLA VI.

De itinere suo : de Q. fratre regendo; de nuntio, quem pro certo habeat, Pompeium in Galliam proficisci. (In Cumano, anno U. C. 704, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Me adhuc nihil, præter tempestatem, moratur. Astute[1] nihil sum acturus; fiat in Hispania quidlibet : et tamen retice[2]. Meas cogitationes omnes explicavi

1. *Astute*. Exspectans, quid in Hispania geratur, ut me Tullia monet ep. 8, et Cœlius ep. 10 hujus libri. Corr.

2. Al. *reticenter*. J. V. L.

tibi superioribus literis. Quocirca hæ sunt breves: et tamen, quia festinabam, eramque occupatior. De Quinto filio, fit [3] a me quidem sedulo; sed nosti reliqua. Quod dein me mones, et amice, et prudenter mones; sed erunt omnia facilia, si ab uno illo cavero. Magnum opus est; mirabilia multa [4]; nihil simplex, nihil sincerum. Vellem, suscepisses juvenem regendum. Pater enim nimis indulgens, quidquid ego abstrinxi, relaxat. Si sine illo possem, regerem; quod tu potes. Sed ignosco: magnum, inquam, opus est. Pompeium pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam. Ego nunc, qua et quo, videbo.

3. *Fit.* Videtur Cicero allusisse ad eum locum Terentii ex Adelphis, III, 3, 60: « Fit sedulo; nihil prætermitto; consuefacio: denique inspicere, tamquam in speculum, vitas omnium jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi ». Verba sunt Demeæ narrantis Syro, qua ratione Ctesiphoni moderetur, et eum ad bonam frugem perducat. Satis vero fuit Ciceroni locum primis verbis indicasse. Ideo subjicit, *nosti reliqua*. Bosius.

4. *Mirabilia multa.* De ejus minime simplici ingenio. Man.

EPISTOLA VII.

Attici consilium probat, suum defendit, suasque rationes cum illius causa comparat. Ser. Sulpicium se convenire velle, et Curionem secum vixisse nuntiat. Q. filium se objurgasse scribit. De Oppiis ut videat, rogat; prædiisque Attici usurum ut suis, si in Epirum venerit, ostendit. (In Cumano, anno U. C. 704, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Ego vero [1] Apuliam, et Sipontum, et tergiversationem istam probo; nec tuam rationem eamdem esse duco, quam meam: non quin in republica re-

1. *Ego vero.* Probo consilium tuum et rationem discessus tui ex Italia, quod quasi tergiversans proficiscaris ad exsequenda negotia tua in Apuliam, Sipontum et alia loca, ne suspicio sit te Cæsaris imperium fugere. Popma.

ctum idem sit utrique nostrum; sed ea non agitur. Regnandi contentio est; in qua pulsus est modestior rex[2], et probior, et integrior, et is, qui nisi vincit, nomen populi romani deleatur necesse est; sin autem vincit, Sullano more exemploque vincet. Ergo hac in contentione neutrum tibi palam sentiendum, et tempori serviendum est. Mea causa autem alia est, quod beneficio vinctus, ingratus esse non possum: nec tamen in acie, sed Melitæ, aut alio in [loco[3]] simili oppidulo, futurum puto. Nihil, inquies, juvas eum, in quem ingratus esse non vis? Immo minus fortasse voluisset. Sed de hoc videbimus. Exeamus modo : quod ut meliore tempore possimus, facit Adriano mari Dolabella, Fretensi[4] Curio.

Injecta autem mihi spes quædam est, velle mecum Serv. Sulpicium colloqui. Ad eum misi Philotimum libertum cum literis. Si vir esse volet, præclara συνοδία[5]; sin autem, erimus nos, qui solemus. Curio mecum vixit[6], jacere Cæsarem putans offensione populari, Siciliaque diffidens, si Pompeius navigare cœpisset. Quintum puerum accepi vehementer. Avaritiam video fuisse, et spem magni congiarii. Magnum hoc malum est : sed scelus illud, quod timueramus[7], spero nullum fuisse. Hoc autem vitium, puto te existimare non nostra indulgentia, sed a natura profectum : quem tamen nos disciplina regimus. De Oppiis

2. *Modestior rex*. Pompeius. J. F. Gronovius, quia in MSS nonnullis scriptum est *admodestior*, legendum conjecit *et modestior*. J. V. L.

3. *Simili oppidulo*. Non spernenda est scriptura codicis Balliol. et Helmst. « aut aliquo in loco sive oppidulo ». Vereor tamen ne alterutrum aut *loco*, aut *oppidulo* sit corruptum, et ex interpretatione inculcatum. GRÆVIUS.

4. *Fretensi*. Freto Siciliensi.

5. Συνοδία. Comitatus. Schütz. int. congressus.

6. An fuit, *me invisit?* Ernest. Frustra. J. V. L.

7. *Quod timueramus*. Ne cum Cæsare loquutus esset de nostro consilio Italiæ relinquendæ. Ep. 4. MAN.

Veliensibus quid placeat, cum Philotimo videbis. Epirum nostram[8] putabimus; sed alios cursus videbamur habituri.

8. *Nostram.* Epiro tua utar ut mea, si acciderit, ut inde transeam, quum ad Pompeium proficiscar. MAN. — Jocatus fuerat Cicero ep. 7 lib. sup. se subirasci, quod Atticus eum in Epirum non invitaret. Ille respondens Ciceronem invitaverat. — *Epirum.* Scil. Attici prædia. ED.

EPISTOLA VIII.

Causas exponit, cur sibi non videatur exspectandum, quem exitum res in Hispaniis agendæ habituræ sint. Addit alia quædam, subjungitque literarum ab Antonio et a Cæsare acceptarum exempla. (In Cumano, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

ET res ipsa monebat, et tu ostenderas, et ego videbam, de iis rebus, quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse. Sed, quum ad me sæpe mea Tullia scribat, orans, ut, quid in Hispania geratur, exspectem; et semper adscribat, idem videri tibi; idque ipse etiam ex tuis literis intellexerim: non puto esse alienum, me ad te, quid de ea re sentiam, scribere. Consilium istud tunc esset prudens, ut mihi videtur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum accommodaturi essemus; quod fieri dicitis oportere. Necesse est enim, aut, id quod maxime velim, pelli istum[1] ab Hispania; aut trahi id bellum; aut istum, ut confidere videtur, apprehendere Hispanias. Si pelletur[2], quam gratus, aut quam honestus[3] tum erit ad Pompeium noster adventus;

1. *Istum.* Cæsarem. Male de Pompeio intelligens Ernest. reponit *illum;* et hic, et post de Cæsare agitur. ED.

2. *Si pelletur.* Cæsar. SCH.

3. *Gratus..... honestus.* Ironice utrumque ED.

quum ipsum Curionem ad eum transiturum putem? Si trahitur bellum, quid exspectem, aut quam diu? Relinquitur, ut, si vincimur [4] in Hispania, quiescamus. Id ego contra puto: istum [5] enim victorem magis relinquendum puto, quam victum, et dubitantem magis, quam fidentem suis rebus. Nam cædem video, si vicerit, et impetum in privatorum pecunias, et exsulum reditum, et tabulas novas, et turpissimorum honores, et regnum non modo romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile. Tacita esse poterit indignitas nostra? pati poterunt oculi, me cum Gabinio sententiam dicere? et quidem illum rogari prius [6]? præsto esse clientem [7] tuum Clœlium [8]? C. Ateii Plaguleium [9]? ceteros? Sed cur inimicos colligo? qui meos necessarios, a me defensos [10], nec videre in curia sine dolore, nec versari inter eos sine

4. *Si vincimur.* Si Pompeii legati a Cæsare vincentur, et hic, ut antea dixit, Hispanias apprehendet. Ed.

5. *Istum.* Puto Cæsarem potius relinquendum quum vincet, quam quum victus erit, et in eo discrimine versabitur, ut magis incertus sit, quam certus, de rerum suarum exitu. Bosius. — *Turpissimorum honores.* Sueton. in Jul. cap. 6: « Nullos non honores ad libidinem cepit et dedit. . . civitate donatos, et quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam ». Ed.

6. *Prius.* Non quia antiquiorem Cicerone, sed quia Cæsari amiciorem. Dio, XXXIX. Ed.—*Præsto esse clientem.* Patroni clientibus dicebantur præsto esse, quum aderant in judiciis, ut eos defenderent. Nunc contra futurum scribit Cicero, ut clientes præsto sint patronis. Quod clientes gratia multum possent apud Cæsarem, cujus partes sequuti fuerant: patroni vero ei hostium loco forent. Bosius.

7. P. Manutius invenit *Clodium* in codd. Bessarionis et Alberti Ferri. Forte intelligendum de Sext. Clodio, tum exsule, et, ut olim fuerat P. Clodius, Attici familiari. Ed.

8. Conjectura Bosii. Vett. edd. habent vel *Catulli*, vel *Cateli*, vel *Cateii.* J. V. L. — Ex postremo incidit Bosius in nomen C. Ateii, quod si verum est, intelligendus est C. Ateius Capito, jurisconsultus, Servii Sulpicii discipulus, vel ejus pater. Hujus igitur cliens fuerit Plaguleius, homo ignobilis. Ed.

9. Corr. conj. *Patulcium.* J. V. L.

10. *A me defensos.* Non modo inimicos, sed necessarios meos, qui me defendente condemnati in exsilium abierunt, restitutos a Cæsare videre in senatu sine dolore potero, quia legibus condemnatos, armis restitutos eosdem videbo. Man.

dedecore potero. Quid? si ne id quidem est exploratum, fore, ut mihi liceat (scribunt enim ad me amici ejus, me illi nullo modo satisfecisse, quod in senatum non venerim); tamenne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo venditemus, quicum conjuncti ne cum præmio quidem voluimus esse? Deinde hoc vide, non esse judicium de tota contentione in Hispaniis: nisi forte, iis amissis, arma Pompeium abjecturum putas. Cujus omne consilium Themistocleum [11] est. Existimat enim, qui mare teneat, eum necesse rerum potiri. Itaque, qui numquam id egit, ut Hispaniæ per se tenerentur [12], navalis apparatus ei semper antiquissima cura fuit. Navigabit igitur, quum erit tempus, maximis classibus, et ad Italiam accedet: in qua nos sedentes quid erimus? nam medios esse jam non licebit. Classibus adversabimur igitur? quod malum [13] majus, seu tantum denique? quid turpius? Ain' tu, Attice [14], siccin' absentis solus tuli scelus? ejusdem,

11. *Themistocleum.* Cogitat quod olim Themistocles contra Persas, classe bellum gerere. Vid. lib. VII, epist. 11. Ed. — *Qui mare*, etc. Hoc feliciter exprimit celebratus ille versus: « Le trident de Neptune est le sceptre du monde ».

12. *Per se.* Ut ipse præsens eas teneret: sed quasi de iis non laborans, legatis negotium commisit. Man.

13. *Quod malum.* In Balliol. et Helmstad. « quod malum scilicet tantum? » Existimo Ciceronem scripsisse, « quod malum majus? denique quid turpius? » Quæ lectio optima Schütz. visa est. Sunt interpretationes magistellorum *scilicet tantum*, quæ irrepserunt in contextum. Videntur autem illæ natæ esse ex hac causa, quod in aliis libris exciderit τὸ *majus*, ut in Balliol. Helmst. in aliis vero τὸ *malum* propter literarum vicinitatem, ut sæpe hac labe veteres libri sunt aspersi. Interea maluimus veterum librorum et editionum meliorum scripturam hic legi, quam recentiorum acutas quidem, sed perquam dubias conjecturas. Græv.

14. *Ain' tu, Attice?* Magna dissensio est interpretum in perturbato loco. Schützius e vestigiis MSS: « Ain' tu, Attice? an qui invalidi et absentis solus tuli scelus, ejusdem, etc. » J.V.L. — Gronovio placuit, « an invalidi et absentis solus tuli scelus ». Muretus restituebat, « an qui ejus ». *Ejus*, hoc est, Cæsaris, qui in Gallia absens per Clodium Urbe me ejecit. Vulgata: « An invalide hinc in absentis solus, etc. » Malaspina, « Annis abhinc IX absens et solus, etc. » Alii aliter. Unum hoc equidem video, nos Tullii verba non habere, si forte sententiam habemus.

cum Pompeio et cum reliquis principibus non feram? Quod si jam, misso officio, periculi ratio habenda est; ab illis est periculum, si peccaro; ab hoc, si recte fecero; nec ullum in his malis consilium periculo vacuum inveniri potest : ut non sit dubium, quin turpiter facere cum periculo [15] fugiamus; quod fugeremus etiam cum salute.

Non simul cum Pompeio mare transierimus? Omnino non potuimus. Exstat ratio dierum. Sed tamen (fateamur enim, quod est; ne condamus [16] quidem, ut possumus) fefellit ea me res, quæ fortasse non debuit, sed fefellit : pacem putavi fore; quæ si esset, iratum mihi Cæsarem esse, quum idem amicus esset Pompeio, nolui. Senseram enim, quam iidem [17] essent. Hoc verens, in hanc tarditatem incidi. Sed assequor omnia, si propero; si cunctor, amitto. Et tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia, non hæc collegii nostri ab Appio [18], sed illa Platonis [19] de tyrannis. Nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se, etiam languentibus nobis, concidat; quippe qui florentissimus, ac

15. Manutius, *quin cum periculo.* Alii omnes, « Quin turpiter facere cum periculo fugiamus ». Quod religiosis auribus vix placere putat Oliv. Ed.

16. *Ne condamus.* His verbis, « ne condamus quidem », explicat illius prius, *fateamur.* Itaque *quod est*, hic vim habet ἐξηγητικήν. Bosius. — Muretus rescribebat, « ne abscondamus quidem, ut possumus ». Sed vulgatæ eadem est sententia. Græv.

17. *Quam iidem essent.* Eadem mente : in eadem opinione constantes. Corr.

18. *Ab Appio. Ab Attio :* sic bene e correctione Victorii. Tunstall. tamen pag. 31, defendit lectionem veterem *Attico*, quod ille Ciceroni sæpe futura prædixerit : sed *collegii nostri* necessario requirit nomen auguris. Manutius conjicit *ab Attio*; ut de Attio Navio intelligatur, qui, Tarquinio Prisco Romæ regnante, auguralem scientiam summum in honorem adduxit. Explano igitur, Non hæc collegii nostri ab Attio, non hæc auguralis collegii ab Attio derivata, sed illa a Platone sumpta, qui scripsit non diuturnam esse posse tyrannorum dominationem. Manut. — Sed et Appius libros ad Ciceronem de augurali disciplina scripserat. Vide ad Div. III, 4. Cur ergo nodus in scirpo quæratur? Oliv.

19. De Rep. lib. VIII. J. V. L.

novus, VI[20], VII diebus ipsi illi egenti ac perditæ multitudini in odium acerbissimum venerit; qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello[21], divitiarum in ærario[23]. Jam, quibus utatur vel sociis, vel ministris, si ii provincias, si rempublicam regent, quorum nemo duo menses[24] potuit patrimonium suum gubernare? Non sunt omnia colligenda; quæ tu acutissime perspicis : sed tamen ea pone ante oculos; jam intelliges, id regnum vix semestre esse posse. Quod si me fefellerit, feram, sicut multi clarissimi homines in republica excellentes tulerunt : nisi forte me, Sardanapali vice, in lectulo[24] mori malle censueris, quam exsilio Themistocleo : qui[25] quum fuisset, ut ait Thucydides, τῶν μὲν παρόντων[26] δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστὴς, tamen incidit in eos casus, quos vitasset, si eum

20. *Sex, septem.* Pro *sex, septemve.*

21. *Metello.* Cui tribuno plebis mortem est minatus, impedire volenti, quominus ærarium effringeret. Ed.

22. *In ærario.* Scilicet effracto, et pecunia inde ablata, quod opus non fuisset, si divitiis affluisset. Sch.

23. *Nemo duo menses.* Nam et Antonius, et Curio, et Dolabella, Cæsaris socii, magno omnes ære alieno oppressi. Manut.

24. *In lectulo.* Vulg. *in suo lectulo.* Pro *in meo.* Græcum loquendi genus. Nam ἑαυτοῦ valet, sui ipsius. Non igitur legendum, *meo*, quod video placuisse viris doctis : sed accipiendum *suo* pro *meo*, more græco, ut dixi. Manutius. — *Suo* delevit Ernestius. Recte. Ed.

25. *Qui.* Res interdum Cicero attendit potius, quam verba, ut hic. Nam, *qui*, conjungi non potest cum, *exsilio Themistocleo*, quum sint diversa genera : sed quia *Themistocleo*, nihil aliud quam *Themistoclis*, significat, propterea, ut dixi, rem spectans Cicero, non verbum, intulit *qui*. Man.

26. Τῶν μὲν παρόντων. Rerum præsentium, inito brevi et extemporali consilio, optimus judex, et futurarum magna ex parte ejus, quod eventurum erat, certissimus conjector. Τῶν μεν. Thucydid. I, 138, ubi legitur τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης... καὶ τῶν μελλόντων. Ceterum simili sensu; notandum autem servatum a Cicerone, τοῦ γενησομένου, quod interpretes quidem tollere voluut, ut superfluum; secus videtur putasse Cicero, qui memoriter exscribebat. Τῶν μελλόντων, ut vidit J. V. L. non vult secundo casu εἰκαστής, sed absolute capiendum est. Nepos quoque, in Themist. cap. 1, locum Thucydidis transtulit. Ed.

nihil fefellisset. Etsi is erat (ut ait idem), qui τὸ ἄμεινον [27] καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα: tamen non vidit, nec quo modo Lacedæmoniorum, nec quo modo suorum civium invidiam effugeret, nec quid Artaxerxi [28] polliceretur. Non fuisset et illa nox [29] tam acerba Africano, sapientissimo viro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo viro C. Mario, si nihil utrumque eorum fefellisset.

Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus; nec nos fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est, aut per adversarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore. Quamquam tempus est, nos de illa perpetua jam, non de hac exigua vita cogitare. Sin quid acciderit maturius, haud sane mea multum interfuerit, utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim. Quæ quum ita sint, non est committendum, ut iis pareamus, quos contra [30] me senatus, ne quid respublica detrimenti acciperet, armavit. Tibi sunt omnia commendata; quæ commendationis meæ, pro tuo in nos amore, non indigent. Ne hercule ego quidem reperio, quid [31] scribam.

27. Τὸ ἄμεινον. Quid melius aut deterius, in obscuro adhuc providebat maxime.

28. *Artaxerxi*. Cui de subigenda Græcia pollicitus, postea quum videret præstare non posse, voluntaria morte, veneno sumpto, vitam finivit. Plutarch. — Vide ad Attic. IX, 10. Vide quoque in Bruto, cap. 11, varias sententias historicorum de morte Themistoclis. Ed.

29. *Illa nox*. Africanus minor, mane in cubiculo suo mortuus repertus, putatur suorum scelere sublatus, maxime Semproniæ uxoris, cujus fratrem Ti. Gracchum, in concione interrogatus, dixerat, jure sibi cæsum videri. Quod profecto numquam dixisset, si talem exitum providisset. Ergo et eum sapientissimum virum aliquid fefellit: fefellit et C. Marium: qui cum L. Sulla numquam profecto contentionem suscepisset, si diem illum, quo Urbe pulsus est, mentis acie providisset. Manut.

30. *Quos contra*. Ordo est, « contra quos armavit me senatus ».

31. *Quid*. Al. *quod*. J. V. L.

Sedeo enim πλουδοκῶν [32]. Etsi nihil umquam tam fuit scribendum, quam nihil mihi umquam ex plurimis tuis jucunditatibus gratius accidisse, quam quod meam Tulliam suavissime diligentissimeque coluisti. Valde eo ipsa delectata est : ego autem non minus; cujus quidem virtus mirifica. Quo modo illa fert publicam cladem? quo modo domesticas tricas [33]? quantus autem animus in discessu nostro? Sit στοργὴ [34], sit summa σύντηξις : tamen nos recte facere, et bene audire vult. Sed hac super re nimis; ne meam ipse συμπάθειαν [35] jam evocem. Tu, si quid de Hispaniis certius, et si quid aliud, dum adsumus, scribes : et ego fortasse discedens dabo ad te aliquid; eo etiam magis, quod Tullia te non putabat hoc tempore ex Italia [36]. Cum Antonio [37] item est agendum, ut cum Curione Melitæ me velit esse, huic bello nolle interesse. Eo velim tam facili uti possem, et tam bono in me, quam Curione. Is ad Misenum [38] VI nonas venturus dicebatur, id est, hodie; sed præmisit mihi odiosas literas, hoc exemplo :

32. Πλουδοκῶν. Tempestatem et navigationem idoneam exspectans.

33. *Domesticas tricas.* Propter rem familiarem a viro suo Dolabella male gubernatam. Sch.

34. Στοργή. Pietas, amor. Σύντηξις. Arctissima animorum conjunctio. — *Sit* στοργή. Schütz. hæc mutat legendo, « Στοργὴ sit summa licet, summa σύντηξις ». H. e. etsi Tullia mea summa in me pietate est, et inter nos arctissima animorum conjunctio. Frustra. J. V. L.

35. Συμπάθειαν. Quam hic accommodata sit græca hæc vox, dici non potest. Quum enim de incredibili amore in se Tulliæ supra loquutus sit, cito ex eo sermone delabitur. Sentiebat enim se jam commoveri, affectusque suos excitari, quod nolebat. Verbum hoc notum est : quod si tam facile exprimi posset verbo latino, quam vis ejus intelligitur, nihil laboraremus. Victor.

36. *Ex Italia.* Supple, exiturum, profecturum.

37. *Antonio.* Quem Cæsar, in Hispaniam contra Pompeii legatos proficiscens, Italiæ præesse voluerat. Man.

38. *Misenum.* Promontorium Campaniæ, inter Cumas et Puteolos. Ed.

ANTONIUS TRIB. PLEB. PROPRÆT. CICERONI IMP. S.

Nisi te valde amarem, et multo quidem plus, quam tu putas, non extimuissem rumorem, qui de te prolatus est, quum præsertim falsum esse existimarem. Sed quia te nimio plus diligo, non possum dissimulare, mihi famam quoque, quamvis sit falsa, magni esse. Te iturum trans mare, credere non possum, quum tanti facias Dolabellam, et Tulliam tuam, feminam lectissimam, tantique ab omnibus nobis fias; quibus mehercule dignitas amplitudoque tua pæne carior est, quam tibi ipsi. Sed tamen non sum arbitratus esse amici, non commoveri etiam improborum sermone; atque eo feci studiosius, quod judicabam, duriores partes mihi impositas esse ab offensione nostra, quæ magis a ζηλοτυπίᾳ [1] mea, quam ab injuria [2] tua nata est. Sic enim volo te tibi persuadere, mihi neminem esse cariorem te, excepto Cæsare meo, meque illud una judicare, Cæsarem maxime in suis M. Ciceronem reponere. Quare, mi Cicero, te rogo, ut tibi omnia integra serves; ejus fidem improbes [3], qui tibi, ut beneficium daret, prius injuriam fecit; contra eum [4] ne profugias, qui te, etsi non amabit (quod accidere non potest), tamen salvum amplissimumque esse cupiet. Dedita opera ad te Calpurnium,

1. ζηλοτυπίᾳ. Dolor ex eo, quum quis consequitur id, quod ipsi cupiebamus.

2. *Injuria*. Quæ nulla fuit, quod augnratum peteres, quem ego petebam.

3. *Ejus fidem improbes*. Pompeio ne te credas; qui, temporibus Clodianis, Ciceronis exsilium juverat, Clodii adoptionem permittendo et reliqua; beneficium dederat, reditu juvando. Eodem sensu Cicero, VIII, 3: «Ille restituendi mei quam retinendi studiosior». Ed.

4. *Prius injuriam fecit contra eum*, etc. Victorius delevit *eum*, quem omnes sequuti sunt. Restituit Grævius. Iterum Ernest. deleverat. Restituimus. J.V. L.

familiarissimum meum, misi, ut mihi magnæ curæ tuam vitam ac dignitatem esse scires.

Eodem die a Cæsare Philotimus attulit, hoc exemplo :

CÆSAR IMP. CICERONI IMP. S.

Etsi te nihil temere, nihil imprudenter facturum judicaram, tamen permotus hominum fama, scribendum ad te existimavi, et pro nostra benivolentia petendum, ne quo progredereris, proclinata [1] jam re, quo [2], integra etiam, progrediendum tibi non existimasses. Namque et amicitiæ graviorem injuriam feceris, et tibi minus commode consulueris, si non fortunæ obsequutus videbere (omnia enim secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur), nec causam sequutus (eadem enim tum fuit, quum ab eorum consiliis abesse judicasti), sed meum aliquod factum condemnavisse; quo mihi gravius abs te nil accidere potest. Quod ne facias, pro jure nostræ amicitiæ a te peto. Postremo, quid viro bono et quieto, et bono civi magis convenit, quam abesse a civilibus controversiis? quod nonnulli quum probarent, periculi [3] causa sequi non potuerunt. Tu, explorato et vitæ meæ testimonio, et amicitiæ judicio, neque tutius, neque honestius reperies quidquam, quam ab omni contentione abesse. xv kal. mai. ex itinere.

1. *Proclinata.* Ed. Rom. *inclinata.* Edidit primum Jensonus *proclinata*, quod verius hoc loco videtur, et scriptum etiam fuit a Cæsare, Bell. Gall. VII, 42. J. V. L.

2. *Quo.* Vulgo *qua*, male; nam *progrediendum* absolute dici non potest.

3. *Periculi.* A Pompeio iis, qui remansissent, denuntiati. Vel in aliis bellis civilibus multi fecissent id, ad quod te hortor, si tuto id, ut tu, facere potuissent : sed quum alterum ex ducibus iratum haberent, coacti sunt bellis interesse. Corrad.

EPISTOLA IX.

Narrat nuntios a Philotimo allatos, omnes qui secum sint exanimasse; significatque se Melitam cogitare. (In Cumano, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Adventus Philotimi [1] (at cujus hominis, quam insulsi, et quam sæpe pro Pompeio mentientis!) exanimavit [2] omnes, qui mecum erant. Nam ipse obdurui. Dubitabat nostrum nemo, quin Cæsar itinera repressisset : volare dicitur; Petreius cum Afranio conjunxisset [3] se : nihil affert ejusmodi. Quid quæris? etiam illud erat persuasum; Pompeium cum magnis copiis iter in Germaniam [4] per Illyricum fecisse : id enim αὐθεντικῶς [5] nuntiabatur. Melitam igitur, opinor, capessamus, dum, quid [6] in Hispania : quod quidem propemodum videor ex Cæsaris literis ipsius voluntate facere posse; qui negat neque honestius, neque tutius mihi quidquam esse, quam ab omni contentione abesse. Dices, ubi ergo tuus ille animus, quem proximis literis? Adest, et idem est. Sed utinam meo solum capite decernerem! lacrymæ meorum me inter-

1. *Philotimi.* De quo lib. II, ep. 4. Manutius hanc totam epist. superioris partem esse putavit. Ed.

2. *Exanimavit.* Quia, quum pro certo haberemus, Cæsarem in Hispaniam proficiscentem itinera tardius facere cœpisse, Petreium cum Afranio copias conjunxisse, ipse nihil attulit ejusmodi. Quod eo credendum magis est, quia scimus eum solere sæpe pro Pompeio mentiri. Man.

3. *Conjunxisset.* Hoc ad illud refertur, *dubitavit nemo*, *quin.* Id autem verum esse compertum est. Ed.

4. *In Germaniam.* Habemus epist. 5 : « Pompeium pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam ». Non tamen mutandum. Nam per Germaniam ab Illyrico in Gallias eundum fuit. Ed.

5. Αὐθεντικῶς. Certo auctore.

6. *Dum quid in Hispania.* Alii, *quod.* J.V. L.

dum molliunt, precantium, ut de Hispaniis exspectemus. M. Cœlii quidem epistolam [7], scriptam miserabiliter, quum hoc idem obsecraret, ut exspectarem, ne fortunas meas, ne unicam filiam [8], ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri : etsi meus quidem est fortior, eoque ipso vehementius commovet; nec quidquam, nisi de dignatione [9], laborat. Melitam igitur; deinde, quo videbitur.

Tu tamen etiam nunc mihi aliquid literarum, et maxime si quid ab Afranio [10]. Ego, si cum Antonio loquutus ero, scribam ad te, quid actum sit. Ero tamen in credendo, ut mones, cautus. Nam occultandi ratio quum difficilis, tum etiam periculosa est. Servium exspecto ad nonas; et adigit ita Postumia [11], et Servius filius. Quartanam leviorem esse gaudeo. Misi ad te Cœlii etiam literarum exemplum.

7. *Epistolam.* Quæ proxime sequitur.

8. *Unicam filiam.* Monuit jam Manutius, « unicum filium » ex ipsa Cœlii epistola legendum videri. J. V. L.

9. *De dignatione.* De dignitate, de honesto. Bessarionis tamen liber, *de dignitate*, habet aperte, et potest sane suspecta vox esse *dignatio*, quum alibi nusquam, quod meminerim, in Cicerone reperiatur. Etsi, quod ad sententiam attinet, *dignatio* magis placet, quam *dignitas*, quæ non convenit, in puerum. Man. — Sch. nihilominus recepit *dignitate*. Ed.

10. *Si quid ab Afranio.* Sc. audieris ex Hispania. Ed.

11. *Postumia.* Uxor Servii Sulpicii. Vide ad Div. IV, 2, et hoc ipso libro, ep. 13.

COELIUS CICERONI S.

Exanimatus [1] tuis literis, quibus te nihil, nisi triste, cogitare ostendisti, neque, id quod esset, perscri-

1. *Exanimatus.* Quæ in Cœlii epistola videbantur interpretis opem desiderare, habes ad Div. VIII, 16, ubi alterum est hujus epistolæ exemplum. Differunt quum alia quædam, tum principium hoc, quod sic habet : « Exanimatus sum... Has illico ad te lit. scripsi ». J. V. L. — Hanc epist. ut plane ab epistolis ad Div. repetitam Schütz. hic omisit. Ed.

10.

psisti, neque non tamen, quale esset, quod cogitares, aperuisti, has ad te illico literas scripsi. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos te oro et obsecro, ne quid gravius de salute et incolumitate tua consulas. Nam deos hominesque, amicitiamque nostram testificor, me tibi prædixisse, neque temere monuisse; sed, postquam Cæsarem convenerim, sententiamque ejus, qualis futura esset parta victoria, cognorim, te certiorem fecisse. Si existimas, eamdem rationem fore Cæsaris in dimittendis adversariis, et conditionibus ferendis, erras. Nihil, nisi atrox et sævum, cogitat, atque etiam loquitur. Iratus senatui exiit; his intercessionibus plane incitatus est : non, mehercule, erit deprecationi locus. Quare, si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuæ reliquæ tibi caræ sunt; si aliquid apud te nos, si vir optimus, gener tuus, valemus : eorum fortunam non debes velle conturbare; ut eam causam, in cujus victoria salus nostra est, odisse aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. Denique illud cogita, quod offensæ fuerit, in ista cunctatione te subiisse. Nunc te contra victorem Cæsarem facere, quem dubiis rebus lædere noluisti, et ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summæ stultitiæ est. Vide, ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter, quod optimum sit, eligas. Quod si totum tibi persuadere non possum, saltem, dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, exspecta; quas tibi nuntio adventu Cæsaris fore nostras. Quam isti spem habeant, amissis Hispaniis, nescio. Quod porro tuum consilium sit ad desperatos accedere, non medius fidius reperio. Hoc, quod tu non dicendo mihi significasti, Cæsar audierat; ac simul atque, have, mihi dixit, statim, quid de te audisset, exposuit. Negavi, me scire;

tamen ab eo petivi, ut ad te literas mitteret, quibus maxime ad remanendum commoveri posses. Me secum in Hispaniam ducit. Nam, nisi ita faceret, ego prius, quam ad Urbem accederem, ubicumque esses, ad te percurrissem, et hoc a te præsens contendissem, atque omni vi te retinuissem. Etiam atque etiam, Cicero, cogita, ne te tuosque omnes funditus evertas; nec te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse. Quod si te aut voces optimatium commovent, aut nonnullorum hominum insolentiam et jactationem ferre non potes; eligas, censeo, aliquod oppidum vacuum a bello, dum hæc decernuntur, quæ jam erunt confecta. Id si feceris, et ego te sapienter fecisse judicabo, et Cæsarem non offendes.

EPISTOLA X.

Mittit epistolam Antonii, seque ex Italia evolare cupere significat; addit pauca de Q. filio regendo. (In Cumano, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Me cæcum, qui hæc[1] ante non viderim! Misi ad te epistolam Antonii. Ei quum ego sæpissime scripsissem, nihil me contra Cæsaris rationes cogitare; meminisse me generi mei[2], meminisse amicitiæ; potuisse, si aliter sentirem, esse cum Pompeio; me autem, quia cum lictoribus invitus cursarem, abesse velle, nec id ipsum certum etiam nunc habere : vide, quam ad hæc παροινικῶς[3].

1. *Hæc.* Sc. istos non permissuros me ex Italia meo arbitratu exire. Stulte sum cunctatus. Ed.

2. *Generi mei.* Dolabellæ. Ed.

3. Παροινικῶς. Id est, vinolente, petulanter, contumeliose, insolenter, « quasi ex temulentia ». — Victorius reposuit τυραννικῶς; sed illud eodem redit, et magis convenit in Antonium. J. V. L.

« Tuum consilium quam verum est? Nam qui se « medium esse vult, in patria manet; qui proficisci- « tur, aliquid de alterutra parte judicare videtur. Sed « ego is non sum, qui statuere debeam, jure quis pro- « ficiscatur, necne. Partes mihi Cæsar has imposuit, « ne quem omnino discedere ex Italia paterer. Quare « parvi refert, me probare cogitationem tuam, si nihil « tamen tibi remittere possum. Ad Cæsarem mittas, « censeo, et ab eo hoc petas. Non dubito, quin im- « petraturus sis, quum præsertim te amicitiæ nostræ « rationem habiturum esse pollicearis. »

Habes σκυτάλην Λακωνικήν[4]. Omnino excipiam[5] hominem. Erat autem v non. venturus vesperi, id est, hodie. Cras igitur ad me fortasse veniet. Tentabo[6], audeam, nihil properare; missurum ad Cæsarem, clamabo, me; cum paucissimis alicubi occultabor; certe hinc[7], istis invitissimis, evolabo, atque utinam ad Curionem[8]! Σὺν θεῷ[9] τοι λέγω[10]. Magnus dolor accessit[11]. Efficietur aliquid dignum nobis.

4. Σκυτάλην Λακωνικήν. Brevem epistolam, quales occultis, gravibusque de rebus Lacedæmonii ad imperatores suos, in loro scriptas, unde σκυτάλαι dictæ, mittebant. Vide Gellium lib. XVII, c. 9, et Suidam. MAN. — Conf. scholiast. in Thucyd. I, 131; Corn. Nepos; Pausan. c. 3; Auson. epist. XXIII, v. 23.

5. *Excipiam.* I. e. decipiam, fallam. Male Manut. intelligit, exspectabó. Non meminit Æn. III, 332: « Excipit incautum, etc. » unde *excipulum*; quem sensum juvat τὸ *tentabo*. ED.

6. *Tentabo.* Corruptus locus. Olivetus habet e Grævio, « ac dicam »; Schütz. « ut persuadeam me nihil prop. » J. V. L.

7. Hæc est lectio antiqua et bona. Bosius e vitiosa scriptura librorum suorum dedit *carris*, i. e. *impedimentis*: quod omnes sequuti sunt. Non placet Ernestio, qui dedit *certe hinc*. Reponit Sch. *clam hinc*. ED.

8. *Ad Curionem.* In Siciliam. Is enim Ciceronem admodum diligebat. MAN.

9. Σὺν θεῷ. Favente deo. Man. hoc non separatim legit, sed cum superioribus conjungit, et a sequentibus disjungit. Sic enim se evolaturum confirmat, si modo adjuvet deus. IDEM. — J. V. L. vertit σὺν θεῷ efficietur, etc. Melius: nam præcedit *utinam*. ED.

10. Τοὶ λέγω. Τοὶ pro σοὶ, dorice. *Tibi*, inquit, *dico*: evolabo hinc. MAN.

11. *Accessit.* Ex literis Antonii. ID.

Δυσουρία [12] tua mihi valde molesta. Medere, amabo, dum est ἀρχή [13]. De Massiliensibus [14] gratæ tuæ mihi literæ. Quæso, ut sciam, quidquid audieris. Siciliam cuperem, si possem palam; quod a Curione effeceram [15]. Hic ego Servium exspecto. Rogor enim ab ejus uxore et filio: et puto opus esse. Hic [16] tamen Cytheridem secum lectica aperta portat, altera uxorem; septem præterea conjunctæ lecticæ amicarum sunt, an amicorum [17]? Vide, quam turpi letho pereamus, et dubita, si potes, quin ille, seu victus, seu victor redierit, cædem facturus sit. Ego vero vel lintriculo [18], si navis non erit, eripiam me ex istorum parricidio. Sed plura scribam, quum illum [19] convenero. Juvenem [20] nostrum non possum non amare; sed ab eo nos non amari, plane intelligo. Nihil ego vidi tam ἀνηθοποίητον [21], tam aversum a suis, tam nescio quid cogitans. Vim incredibilem molestiarum! sed erit curæ, et est, ut regatur. Mirum est enim ingenium. Ἤθους ἐπιμελητέον [22].

12. Δυσουρία. Urinæ difficultas.

13. Ἀρχή. Principium.

14. *Massiliensibus.* Ausis Cæsari portas claudere. Cæs. lib. I, de Bell. Civ. Corr.

15. *Effeceram.* Obtinueram. Supr. epistola 4. Man.

16. *Hic.* M. Antonius. *Cytheridem*, mimam, quam amabat. Vid. Philipp. II, cap. 24. De hac Virgil. in Eclogis, sub nomine Lycoridis.

17. *Amicorum.* Mollitiem exprobrat. Sic apud Dionem: πόρνους καὶ πόρνας ἐπαγόμενος. Ed.

18. Aliis placet *utriculo*. J. V. L.

19. *Illum.* Antonium.

20. *Juvenem.* Quintum filium. Ed.

21. Ἀνηθοποίητον. Alienum a recta morum conformatione.

22. Ἤθους ἐπιμελητέον. Moribus ejus regendis adhibenda est a nobis diligentia.

EPISTOLA XI.

Fratrem suum Attico excusat; ejus filii vitia quædam a natura, non a patris indulgentia repetenda esse; Antonium venisse, seque de navigatione sollicitum esse. Vectenum a se diligi scribit. (In Cumano, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Obsignata jam epistola superiore, non placuit ei dari, cui constitueram, quod erat alienus. Itaque eo die data non est. Interim venit Philotimus, et mihi a te literas reddidit: quibus quæ de fratre meo scribis, sunt ea quidem parum firma, sed habent nihil ὕπουλον [1], nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil, quod non, quo velis, uno sermone possis perducere. Ne multa; omnes suos, etiam quibus irascitur crebrius, tamen caros habet, me quidem se ipso cariorem. Quod de puero aliter [2] ad te scripsit, et ad matrem de filio, non reprehendo. De itinere [3] et de sorore, quæ scribis, molesta sunt, eoque magis, quod ea tempora nostra sunt, ut ego his mederi non possim. Nam certe mederer. Sed quibus in malis, et qua in desperatione rerum simus, vides. Illa de ratione nummaria non sunt ejusmodi (sæpe enim audio ex ipso), ut non cupiat tibi præstare [4], et in eo laboret [5]. Sed

1. Ὕπουλον. Subdolum.

2. *Aliter.* Patruus es; mater est: aliter scribitur ad patruum, aliter ad matrem: dolorem enim illi dedisses, commemorandis filii vitiis. Ed.

3. *De itinere et de sorore.* De itinere Quinti filii, et de sorore tua a viro suo, fratre meo, dissentiente. Neque sane umquam inter eos convenit. Conf. IV, ep. 2. Man.—Multa hic conjiciunt vett. editores propter corruptelam MSS. Nimis arguta Junius et Bosius. Al. *De juvene.* J. V. L.

4. *Præstare.* Satisfacere, solvere.

5. *Laboret.* Vulgo, *laborat.* Hinc Schütz. edidit, « sed in eo laborat »; quia præcedit: « non sunt ejusmodi ». Bosium et Ernest. sequimur. Ed.

si mihi Q. Axius, in hac mea fuga, H-S XIII non reddit, quæ dedi ejus filio mutua, et utitur excusatione temporis; si Lepta; si ceteri : soleo mirari, de nescio quis [6] H-S XX quum audio ex illo se urgeri. Vides enim profecto angustias. Curari tamen ea tibi utique jubet. An existimas illum in isto genere lentulum [7], aut restrictum? Nemo est minus.

De fratre satis. De ejus filio, indulsit illi quidem suus pater semper; sed non facit indulgentia mendacem, aut avarum, aut non amantem suorum; ferocem fortasse, atque arrogantem et infestum facit. Itaque habet hæc quoque, quæ nascuntur ex indulgentia; sed ea sunt tolerabilia. Quid enim dicam, hac juventute? Ea vero, quæ mihi quidem, qui illum amo, sunt his ipsis malis, in quis sumus, miseriora, non sunt ab obsequio nostro; non : suas radices habent; quas tamen evellerem profecto, si liceret. Sed ea tempora sunt, ut omnia mihi sint patienda. Ego meum facile teneo. Nihil est enim eo tractabilius : cujus quidem misericordia languidiora adhuc consilia cepi; et, quo ille me certiorem [8] vult esse, eo magis timeo, ne in eum exsistam crudelior.

Sed Antonius venit heri vesperi. Jam fortasse ad me veniet, aut ne id quidem; quoniam scripsit, quid fieri vellet. Sed scies continuo, quid actum sit. Nos jam nihil, nisi occulte. De pueris quid agam? Parvone navigio committam? Quid mihi animi in navigando censes fore? Recordor enim, æstate cum illo Rhodiorum ἀφράκτῳ [9] navigans, quam fuerim sollicitus. Quid,

6. *Quis*. Hic, et paullo post, pro *quibus*, ut Æneid. I, 99 : « Queis ante ora patrum ».

7. *Lentulum*. Sæpe Cicero utitur τῷ *lentus* et *lente* in solvendo. Vid. I, 9, et passim. Sic Lucilius : « Solvere nulli lentus ». Ed.

8. Ernest. post alios, *fortiorem*. J. V. L.

9. Ἀφράκτῳ. Vide lib. V, 11 et 12.

duro tempore anni, actuariolo [10] fore censes? Rem undique miseram! Trebatius erat mecum, vir plane et civis bonus. Quæ ille monstra [11], dii immortales! Etiamne Balbus in senatum venire cogitet? Sed ei ipsi cras ad te literas dabo.

Vectenum mihi amicum, ut scribis, ita puto esse: cum eo, quod ἀποτόμως [12] ad me scripserat de nummis curandis, θυμικώτερον [13] eram jocatus. Id tu, si ille aliter acceperit, ac debuit, lenies. Monetali autem adscripsi [14], quod ille ad me, PROCONSULI. Sed quoniam est homo [15], et nos diligit, ipse quoque a nobis diligatur. Vale [16].

10. *Actuariolo. Actuariæ* erant naves minores oblongæ, quæ remis impellebantur, et funibus trahebantur, nonnumquam et velis propellebantur. Vide Scheffer. de Milit. nav. 11, c. 2.

11. *Monstra.* Sc. narrabat. Ed.

12. Ἀποτόμως. Acerbe, aspere ductum a medicis, qui secant et urunt, et ἀποτόμοι dicuntur. Ernest. — Ciceroni certum ac nimis propinquum diem solutionis præfinierat. Ed.

13. Θυμικώτερον. Stomachosius.

14. *Adscripsi.* Titulum hunc appinxi ejus nomini, *Monetali*, non III-viro A. A. A. F. F. (Triumviro auro argento ære flando feriundo) quod ille ad me *Ciceroni Procos.* non, *Ciceroni Imp.* J. F. Gronov. — Sed mavult J. V. L. credere Ciceronem voluisse inscriptione VECTENO MONETALI, eo quasi honoris titulo nimiam ejus in exigenda solutione curam et severitatem exprobrare: quod Monetam, inquit Manutius, nimis amaret. Ed.

15. *Est homo.* Humanius nobiscum agit, quam putabam. Sch.

16. Cicero ad Atticum non solet scribere *Vale.* J. V. L.

EPISTOLA XII.

Dolet sibi nihil eorum, quæ cogitaverit de itinere, procedere, tamen aut vi aut clam agendum, ut exire Italia possit. Præterea de periculis Cæsari impendentibus, et de Q. filii regendi cura a se suscepta scribit. (In Cumano, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Quidnam mihi futurum est? aut quis me non solum

infelicior, sed jam etiam turpior? Nominatim de me sibi imperatum [1] dicit Antonius; nec me tamen ipse adhuc viderat, sed hoc Trebatio narravit. Quid agam nunc, cui nihil procedit, caduntque ea, quæ diligentissime sunt cogitata, teterrime? Ego enim Curionem nactus[2], omnia me consequutum putavi. Is de me ad Hortensium [3] scripserat. Reginus [4] erat totus noster. Huic [5] nihil suspicabamur cum hoc mari negotii fore. Quo me nunc vertam? Undique custodior. Sed satis lacrymis. Πάρωρα πλευτέον [6] igitur, et occulte in aliquam onerariam corrependum. Non committendum, ut etiam compacto [7] prohibiti videamur. Sicilia petenda; quam si erimus nacti, majora quædam consequemur. Sit modo recte in Hispaniis : quamquam de ipsa Sicilia [8] utinam sit verum! sed adhuc nihil secundi. Concursus Siculorum ad Catonem dicitur factus; orasse, ut resisteret [9]; omnia pollicitos; commotum illum, delectum habere cœpisse. Non credo, ut est luculentus auctor[10]: potuisse certe tenere illam pro-

1. *Sibi imperatum.* Ne scil. Italia me exire patiatur. Sch.

2. *Curionem nactus.* Qui cursum liberum per Siciliam promiserat. Ed.

3. *Ad Hortensium.* Q. filium infero mari a Cæsare præfectum; ne meam navigationem impediret. Ed.

4. *Reginus.* L. Minutius Basilus, qui etiam præerat infero mari. Oros. lib. VI, c. 15. Corradus hunc dictum putat latine *Reginum.* Sed tunc oportuisset *Regius.* Ergo Mongaltius mallet *Rheginus* a Rhegio Julii. Denique, probante J. V. L. *M. de Chambors* (*Acad. des Inscr. et Belles-Lettres*, *Histoire*, *ann.* 1734), nihil mutandum putat, et agi de C. Antistio Regino, Cæsaris legato, de quo Bell. Gall. VI, 1; VII, 83, 90. Ed.

5. *Huic.* Scilicet M. Antonio.

6. Πάρωρα πλευτέον. Præter tempus, nondum aperto mari navigandum.

7. *Compacto.* Convento, pactione. Sic Plaut. « Compacto rem agunt ». — Olim, *cum pacto.* Emendatio est a Manutio, quam tamen sibi adscripsit Sch. Ed. — Occulte hinc cogito discedere : nam si resciverint Cæsariani suspicari posset Pompeius hoc accidisse me volente, qui palam professus essem ut impedirer. Ed.

8. *De ipsa Sicilia.* Quamquam fortasse Curio Siciliam amiserit. Quod utinam ita sit! Man.

9. *Resisteret.* Curioni nempe advenienti.

10. *Luculentus auctor.* Is, qui hæc dixit. Εἰρωνικῶς. Man.

vinciam scio. Ab Hispaniis autem jam audietur. Hic nos C. Marcellum habemus, eadem de re[11] cogitantem, aut bene simulantem : quamquam ipsum non videram, sed ex familiarissimo ejus audiebam. Tu quæso, si quid habebis novi : ego, si quid moliti erimus, ad te statim scribam. Quintum filium severius adhibebo[12]. Utinam proficere possim! Tu tamen eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito, ne quando quid emanet : ego item tuas. Servium exspecto, nec ab eo quidquam ὑγιές[13]. Scies, quidquid erit. Sine dubio errasse nos, confitendum est. At semel? at una in re? immo omnia, quo diligentius cogitata, eo facta sunt imprudentius.

Ἀλλὰ[14] τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ,

in reliquis modo ne ruamus. Jubes enim de profectione mea providere. Quid provideam? ita patent omnia, quæ accidere possunt, ut, ea si vitem, sedendum[15] sit cum dedecore et dolore; si negligam, periculum est, ne in manus incidam perditorum[16]. Sed vide, quantis in miseriis simus. Optandum interdum videtur, ut aliquam accipiamus ab istis[17] quamvis acerbam injuriam, ut tyranno[18] in odio fuisse videamur. Quod si nobis is cursus, quem speraram, pateret, effecissem aliquid profecto, ut tu

11. *Eadem de re*. De profectione ad Pompeium. Idem.

12. *Adhibebo*. Manutius exponit, severo vultu eum accipiam, sed quis *adhibere* pro accipere dixit? Mendosum esse locum existimo, et sic restituendum : *severius cohibebo*. Græv.

13. Ὑγιές. *Sani*, et supple, exspecto nihil.

14. Ἀλλά. Vide lib. VII, epist. 1. Homeri versus est, Iliad. XVIII, 112; XIX, 65. J. V. L.

15. *Sedendum*. Manendum in Italia. Man.

16. *Perditorum*. Vaticinari videtur. Nam, post Pharsalicam pugnam, filius Pompeii eum occidi jubere cogitavit. Ed.

17. *Istis*. Cæsarianis.

18. *Tyranno*. Cæsari. Ed.

optas et hortaris, dignum nostra mora. Sed mirificæ sunt custodiæ; et quidem ille ipse Curio suspectus. Quare vi [19], aut clam agendum est: et, si vi, forte et cum tempestate; clam autem istis. In quo si quod σφάλμα [20], vides, quam turpe sit [21]. Trahimur [22]; nec fugiendum, si quid violentius. De Cœlio [23], sæpe mecum agito [24]; nec, si quid habuero tale, dimittam.

Hispanias spero firmas esse. Massiliensium [25] factum quum ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est, recte esse in Hispaniis. Minus enim auderent, si aliter esset, et scirent: nam et juncti [26], et diligentes sunt. Odium autem recte animadvertis significatum theatro. Legiones etiam has, quas in Italia assumpsit, alienissimas esse video. Sed tamen nihil inimicius, quam sibi ipse. Illud recte times, ne ruat [27]. Si desperarit, certe ruet. Quo magis efficiendum aliquid est, fortuna velim meliore [28], animo Cœliano. Sed primum quidque; quod, qualecumque

19. *Quare vi.* Quam vim poterat facere inermis Cicero? nisi forte spem habebat trium cohortium, de quibus infra, epist. 16. Conjicit Gronov. *via* pro *vi*, id est, arte, stratagemate. Non feliciter. Ed.

20. Σφάλμα. *Lapsus, error.* Si nostra culpa evenit, ut a Cæsarianis retineamur.

21. *Sit.* Al. *est.* J. V. L.

22. *Trahimur.* Honestum nos trahit ad Pompeium, nec si quid nobis ob hanc causam accidere possit acerbius, recusandum. Man. — Schützius cum Gronov. *sed trahimur;* sed omnis officii ratio vocat nos et cogit ad navigandum. Sch.

23. *De Cœlio.* C. Cœlio Calvo, consulari, qui, ut Sullæ tyrannidem impediret, olim in Italia bellum excitavit. Vide epist. 15; Plut. in Pompeio.

24. *Agito.* Ut illum imiter. — *Tale.* Talem occasionem, qualem habuit ille. Corrad.

25. *Massiliensium.* Quod Cæsari portas clauserunt. Man.

26. *Juncti.* Juncti scilicet Hispanis, hoc est, *vicini:* nam interest magna pars Galliæ Narbonensis. Hæc locutio cur quemquam potuerit offendere mirum est, quum sit multorum usu trita. Scirent, inquit, quia vicini sunt Hispanis, et rerum suarum semper satagentes, si in Hispaniis recte non esset. Græv. — Manut. malit *vicini.* J. V. L.

27. *Ruat.* In fortunas vitamque civium. Epist. 8. Man.

28. *Meliore.* Quam fuit fortuna Cœlii, qui cum Bruto et Carinate a Pompeio fuit oppressus: si modo is est, de quo scribit Plutarchus in Pompeio. Corrad.

erit, continuo scies. Nos juveni, ut rogas, suppeditabimus, et Peloponnesum ipsam [29] sustinebimus. Est enim indoles: modo aliquod hoc sit ἦθος [30] διδακτὸν. Quod si adhuc nullum est, esse tamen potest, aut ἀρετὴ [31] non est διδακτὸν: quod mihi persuaderi non potest.

29. *Peloponnesum ipsam.* Qui difficilem provinciam ceperunt, eos, ut sustineant quod susceperunt, hortamur his verbis, quæ I, 20; IV, 6, etc. Σπάρταν ἔλαχες · ταύταν κόσμει. «Spartam nactus es, hanc orna»: quod ii, quibus, ut Spartæ nascerentur, contigisset, eniti vehementer deberent, ne tam nobili patria minus digni viderentur. Sed Cicero, qui regendum Quintum filium susceperat, non contentus, si Spartam diceret, Peloponnesum dixit, ut plus significaret: quoniam pars est Sparta Peloponnesi. Sustinebimus, inquit, quam suscepimus, non Spartam, sed Peloponnesum ipsam. Manut. — Fortasse etiam respexit versiculum illum, Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς, etc. supr. ep. 5, quasi dicat, «non Arcadiam solum, sed Peloponnesum ipsam sustinebimus»; i. e, negotium illud Quinti filii regendi, etiamsi id multo majus ac difficilius, quam antea experti sumus, tamen diligentia nostra exantlabimus. Sch.

30. Ἦθος. Ingenium, quod disciplina subigi et domari possit.

31. Ἀρετὴ *non est* διδακτὸν. Virtus, non est id, quod «tradi doctrina possit».

EPISTOLA XIII.

Narrat quid Antonius egerit; Servium Sulpicium cras ad se venturum ostendit, petitque ut sibi, si quid de Hispaniis audiverit, nuntiet; alia breviter tangit. (Cumis, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Epistola tua gratissima fuit meæ Tulliæ, et mehercule mihi. Semper secum aliquid afferunt tuæ literæ. Scribes igitur: ac, si quid ad spem poteris, ne [1] di-

1. *Ne dimiseris.* Ut hujuscemodi sententiam innuat: Si igitur aliquid ad spem poteris, ne dimiseris. Nec enim in vulgata lectione, *me de miseriis*, mihi satis probatur hic sensus: Scribes aliquid mihi ad spem, quod si diligenter feceris, poteris me de miseriis eripere: nec enim spes sola alicujus boni eventus satis est ad extrahendum aliquem ex miseriis.

miseris. Tu Antonii[2] leones pertimescas cave. Næ[3], nihil est illo homine jucundius. Attende πρᾶξιν πολιτικοῦ[4]. Evocavit literis e municipiis denos[5]: et III viri venerunt ad villam ejus mane. Primum dormit ad h. III[6]. Deinde, quum esset nuntiatum, venisse Neapolitanos et Cumanos (his enim est Cæsar iratus[7]), postridie redire jussit; lavari se velle, et περὶ κοιλιολυσίαν[8] γίνεσθαι. Hoc here effecit. Hodie autem in Ænariam[9] transire constituit. Exsulibus reditum pollicetur. Sed hæc omittamus, de nobis aliquid agamus.

Ab Axio accepi literas. De Tirone gratum. Vecte-

Quare nisi veterem scripturam contemnis, et nova mendosiorem putas, suspicaudum est, in antecedentibus dictiouibus vitiom esse: quod tamen ubi sit, uoo perspicio. VICT.

2. *Antonii leones.* Antonius impense delectabatur leouibus, adeo ot post Pharsalicam Cæsaris victoriam, jugo primus subderet, ad currumque et rhedam juugeret, ut referunt Plinius lib. VIII, cap. 16; Plutarchus in vita. Hoc autem Atticus putabat esse argumeutum feri et crudelis animi, et ideo illum pertimescebat. Quem timorem Cicero jubet eum pouere, signis quibusdam doceus Aotonium, quamvis leouibus delectetur, nihil præter voluptariam jucundamque vitam agitare. POPMA. — J. V. L. putat jam illo tempore Autoniom leones cursu junxisse. Quod quidem jovaret upiniouem oonnullorum, Philipp. II, cap 16, legeutium *leonibus*, non *lenouibus;* et tunc frustra esset objectio Heusingeri: « sed id ad seriora tempora pertinet ». ED.

3. Abest *Næ*. J. V L.

4. Πρᾶξιν πολιτικοῦ. Factum cive dignum rempublicam administrante. Εἰρωνικῶς.

5. *Denos.* Hoc est: totum senatum. Venerunt soli cousules loco senatus; quod sæpe fit sumptuum minuendorum, aliorumque ioeummodorum declinaudorum causa, quæ si totus senatus, omnesque abesseut domo magistratus, facile posseut oriri. GRÆV. — Pro *denos*, Maootius legeudum existimat *decuriones*, quem probat Mougaltius, et sic coustituit: « Evocavit literis e muuicipiis decuriones et III-viros; veneruut, etc. » Nec ejos versiouem mutat J. V L. etsi textum vulgatum sequator. ED.

6. *Ad horam tertiam.* Prima solebaut surgere senatores, et statim clientes admittere. Mart. IV, 8: « Prima salutautes atque altera continet hora ». ED.

7. *Iratus.* Quod hi præter ceteros benivolentiam iu Pompeium ostendisseot, votis olim pro ægrotautis salute factis. Epist. ult. lib. VIII; Tuscul. I, 35. MAN.

8. Περὶ κοιλιολυσίαν. *In alvo solvenda occupatum esse.*

9. *Hodie autem in Ænariam transire constituit.* In insulam Campaniæ litoribus objacentem. Plin. III, 6. Nunc *Ischia.*

num diligo[10]. Vestorio reddidi[11]. Servius pridie nonas maii Minturnis mansisse dicitur, hodie in Liternino[12] mansurus apud C. Marcellum. Cras igitur nos mature videbit, mihique dabit argumentum ad te epistolæ. Jam enim non reperio, quod[13] tibi scribam. Illud admiror, quod Antonius ad me ne nuntium quidem, quum præsertim me valde observarit. Videlicet aliquid[14] atrocius de me imperatum est[15]: coram negare mihi non vult. Quod ego nec rogaturus eram; nec, si impetrassem, crediturus. Nos tamen aliquid excogitabimus. Tu, quæso, si quid in Hispaniis: jam enim poterit audiri; et omnes ita exspectant, ut, si recte fuerit, nihil negotii futurum putent. Ego autem nec, retentis his, confectam rem puto; neque, amissis, desperatam. Silium et Ocellam, et ceteros credo retardatos[16]. Te quoque a Curtio[17] impediri video. Etsi, ut opinor, habes κέλητα ἄοκνον[18].

10. *Diligo*. Hoc est, Vectenus se suamque mihi operam probavit. Mong.

11. *Reddidi*. Literas a te missas. Man. — Nummos. Corr.

12. *Liternino*. Inter Cumas et Minturnas in ora maris; secessu voluntario Scipionis Africani locus est celeber. Ed.

13. Al. *quid*. J. V. L.

14. Al. *aut al*. J. V. L.

15. *Imperatum*. Miror, inquit, nullum nuntium ad me mitti ab Antonio, qui me antea colebat. Sed jam mihi subolet hujus rei causa. Nimirum illi imperatum est a Cæsare, ne me dimittat, sed vi retineat. Mihi vero facultatem discedendi petituro non vult coram negare propter amicitiam, quam semper præ se tulit. Græv.

16. *Et ceteros credo retardatos*. Cæsarianis nempe custodiis, ne discedere quisquam posset ex Italia. Manut.

17. *A Curtio*. Opinor, quia debitam Attico pecuniam non solveret. Cogitabat autem Atticus in Epirum. Idem.

18. Κέλητα ἄοκνον. *Veredum impigrum*, quique ocissimo cursu sessorem ferat, quales erant equi illi publici, quorum usus olim non patebat nisi ex diplomatibus. Qua de causa quum Cicero significaret Atticum diploma obtinuisse, quo ipsi liceret curso publico ex Italia exire, scribit eum habere κέλητα ἄοκνον. Hunc enim locum de diplomate intelligendum esse declarant hæc verba ex epistola penultima hujus libri, *de diplomate admiraris*. Bosius. — Sed est in optimis libris veteribus ἐκιτέονον, quod ad veram lectionem proxime accedit; εὖ ἰτέον ὄν, id est, ad verbum, « Bene eundum aliquod », quo Diploma satis aperte significatur. Popma. — Mongaltius putat equos publicos nondum dispositos per vices fuisse, et id demum ab imperatoribus factum. Et quidem recte intelligit de commeatu. Ed.

EPISTOLA XIV.

Inopiam consilii queritur, petitque, ut sibi quidquid habeat ad consolandum perscribat; colloquium cum Servio Sulpicio exponit. (Cumis, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

O vitam miseram! majusque malum, tamdiu timere, quam est illud ipsum, quod timetur! Servius, ut antea scripsi, quum venisset nonis maii, postridie ad me venit. Ne diutius te teneam, nullius consilii exitum invenimus. Numquam vidi hominem perturbatiorem metu; neque hercule quidquam timebat, quod non esset timendum : illum sibi iratum [1], hunc [2] non amicum; horribilem utriusque victoriam, quum propter alterius [3] crudelitatem, alterius audaciam, tum propter utriusque difficultatem pecuniarum, qua erui nusquam, nisi ex privatorum bonis posset. Atque hæc ita multis cum lacrymis loquebatur, ut ego mirarer, eas tam diuturna miseria non exaruisse. Mihi quidem etiam lippitudo hæc, propter quam non ipse ad te scribo, sine ulla lacryma est, sed sæpius odiosa est propter vigilias [4]. Quamobrem quidquid habes ad consolandum, collige, et illa scribe, non ex doctrina, neque ex libris : nam id quidem domi est; sed nescio quo modo imbecillior est medicina, quam morbus :

1. *Sibi iratum*. Pompeium, ut omnibus qui remanserant in Italia; Servio magis, qui filium cum Cæsare Brundisium miserat. Ad Att. IX, 18. Ed.

2. *Hunc*. Cæsarem. *Non amicum*, quia Servius in senatu dixerat, non placere eum in Hispaniam ire contra Pompeii legatos. Ad Div. IV, 1. Ed.

3. *Alterius*. Pompeii.

4. *Propter vigilias*. Nam sæpe tantum est mali, ut somnum diu prohibeat. Vel, quia somnum ego capere non possum, quum quies nocturna in lippitudine maxime requiratur. Corr.

hæc potius conquire, de Hispaniis, de Massilia : quæ quidem satis bella Servius affert; qui etiam de duabus legionibus[5] luculentos auctores esse dicebat. Hæc igitur si habebis, et talia. Et quidem paucis diebus aliquid audiri necesse est. Sed redeo ad Servium. Distulimus omnino sermonem in posterum : sed tardus ad exeundum; multo se in suo lectulo malle[6], quidquid foret. Odiosus scrupulus de filii[7] militia Brundisina. Unum illud firmissime asseverabat, si damnati restituerentur, in exsilium se iturum. Nos autem ad hæc : et id[8] ipsum certo fore, et, quæ[9] jam fiant, non esse leviora; multaque colligebamus. Verum ea non animum ejus augebant, sed timorem, ut jam celandus magis de nostro consilio, quam ad[10] idem videretur. Quare in hoc non multum est. Nos a te admoniti de Cœlio[11] cogitabimus.

5. *Duabus legionibus.* A Cæsare, ut ferebatur, alienissimis. SCH.
6. *Malle.* Supple, mori dicebat. CORR.
7. *Filii.* Vide lib. IX, 18; X, 3.
8. Al. *et ipsum.* J. V. L.
9. *Quæ jam fiant.* Al. *fiebant.* J. V. L.
10. *Ad idem.* Alii *ad diem* volunt; celandus fuit Servius quem ad diem videretur discedendum. CORRAD. — Excidit sine dubio verbum *cohortandus*, aut simile quid; nam ellipsis nimis dura foret. ERN.
11. *De Cœlio.* Conf. ep. 12. ED.

EPISTOLA XV.

De Funisulani negotio, de Antonii nuntio, ac de pluribus rebus aliis. (In Cumano, anno U.C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

SERVIUS quum esset apud me, Cephalio cum tuis literis VI id. venit : quæ nobis magnam spem attulerunt meliorum rerum de octo cohortibus[1] (etenim

1. *Cohortibus.* Quæ videntur defectionem a Cæsare cogitare. MAN.

hæ quoque, quæ in his locis sunt, labare dicuntur) : eodem die Funisulanus a te attulit literas, in quibus erat confirmatius idem illud. Ei de suo negotio respondi cumulate, cum omni tua gratia. Adhuc non satisfaciebat : debet autem mihi multos nummos; nec habetur locuples. Nunc ait se daturum; cui expensum tulerit, morari; tabellariis [2], si apud te esset, quum satisfecisset, dares. Quantum sit, Eros Philotimi tibi dicet. Sed ad majora redeamus. Quod optas, Cœlianum illud [3] maturescit. Itaque torqueor, utrum ventum exspectem. Vexillo opus est [4]; convolabunt. Quod suades, ut palam [5]; prorsus assentior : itaque me profecturum puto. Tuas tamen interim literas exspecto. Servii consilio nihil expeditur. Omnes captiones [6] in omni sententia occurrunt. Unum C. Mar-

2. *Tabellariis.* Concise loquitur, paucis multa complexus, ut sæpe in his epistolis. Ait se nunc soluturum : sed qui sibi debeat, non solvere : scripsisse tamen, ut tibi is solvat. Si solvit, et jam illa pecunia penes te est, petit ut eam per tabellarios ad me perferendam cures. *Quum satisfecisset*, scilicet tibi is, cui expensum tulerat argentum, et qui nunc tricabatur : si tibi numerasset pecuniam. Ad eum enim literas dederat Funisulanus, ut Attico numeraret, quod sibi debeat. Hinc subnectit *quantum sit*, quod a Funisulano debeatur, « Eros Philotimi tibi dicet ». Græv. — Hæc fere constituta e sententia Grævii. Alii aliter conjiciunt. Locum Ernest. ita vitiosum putabat, ut sanari non posset, aut explicari; neque se et lectores frustra in eo torserat. Emendationem tamen Bosii admiserat, nimis forte perplexam : « cui expensos tulerit; moram in tabellariis; si apud te esset, qua satisfecisses, dares ». J. V. L.

3. *Cœlianum illud.* Tale quid, quale fecit Cœlius. Seditio militum et conspiratio contra Cæsarianos. Ep. 12 hujus libri. Corr.

4. *Vexillo opus est.* Tantum opus est duce qui signum det. Ed.

5. *Palam.* Ut palam vel gemmam annuli cum Gyge Lydio ad palmam convertam, et me non videndum reddam, hoc est, occulte discedam. De Gygis annulo, vide Cicer. de Off. III, 9. J. F. Gronov. — Videtur J. V. L. somniare Gronovius, etsi Schütz. probaverit. Ed. — Aliter ceteri omnes interpretantur. *Palam* adverbialiter positum volunt. Præcedit enim, *Vexillo opus est*. Quis autem signum tollat, nisi *palam*? Hoc vult : quod suades, ut palam proficiscar, assentior. Ed.

6. *Captiones.* Ubi quid deliberatum est Servio, statim aliquid, atque adeo multa contra occurrunt. Et, *captiones*, proprie dixit, quum loqueretur de jurisconsulto, nam a captionibus cavere, jurisconsultorum est. Man.

cello [7] cognovi timidiorem; quem consulem fuisse pœnitet [8]. Ὦ πολλῆς ἀγεννείας [9]! qui etiam Antonium confirmasse dicitur, ut me impediret; quo ipse, credo, honestius [10]. Antonius autem VI id. Capuam profectus est : ad me misit, se, pudore deterritum, ad me non venisse, quod me sibi succensere putaret. Ibitur [11] igitur, et ita quidem, ut censes; nisi cujus gravioris personæ suscipiendæ spes erit ante oblata. Sed vix erit tam cito. Allienus autem prætor putabat aliquem [12], si ego non, ex collegis suis. Quivis licet, dummodo aliquis. De sorore, laudo. De Quinto puero, datur opera. Spero esse meliora. De Quinto fratre, scito eum non mediocriter laborare de usura [13]; sed adhuc nihil a L. Egnatio expressit. Axius de XII millibus pudens [14]. Sæpe enim adscripsit [15], ut Gallio, quantum is vellet, darem. Quod si non scripsisset, possemne aliter? et quidem sæpe sum pollicitus; sed tantum voluit cito. Me vero [16] adjuvarent his in angu-

7. Schotz. e conjectura, *C. Marcellum*. Male. J. V. L.

8. *Pœnitet*. Quia scit in consulatu se injuriam Cæsari fecisse, ultionem timet. Man.

9. Ὦ πολλῆς ἀγεννείας. Abjectum, humilemque animum, propter timorem pœnitere summæ dignitatis, qua gloriari etiam deberet. Idem.

10. *Honestius*. Remanere videatur, si me socium habeat. Corr.

12. *Ibitur*. Ad Pompeium. *Ut censes*, palam. *Nisi spes*, de pace agendi. Man. — Mongalt. tamen de imperio mavult accipere, Ciceroni a cohortibus, quæ a Cæsare descivissent, deferendo. Ne sic quidem male. Sch.

11. *Aliquem*. Huic rei præfici oportere.

13. *De usura*. Ut tibi solvat. Ep. 9. Man. — Ern. putat Corradum recte conjecisse *de versura* : nam vix est credibile in usura tantopere laborari potuisse. Ergo de versura laborabat Quintus, i. e. de solvendo debito per versuram, aitque Cicero Egnatium fœneratorem nondum adduci potuisse, ut Quinti nomine Attico pecuniam solveret. Sch.

14. *Pudens*. Qui præter eam pecuniæ summam, quam Gallio credidi, me dare jubeat eidem XII millia H-S. Bosius.

15. *Gallio*. Fortasse Axii filio, a Gallio adoptato. Queritur Cicero Axium non modo non dare quod debet, nempe XII H-S, sed etiam plus petere. *Adscripsit*, si verum est, intellige « scribit insuper ». Man. mallet *scripsit*. Ed.

16. *Me vero*, etc. Scilicet cum ironia. Man.

stiis. Sed dii [17] istos! verum alias. Te a quartana liberatum gaudeo, itemque Piliam. Ego, dum panes et cetera in navem parantur, excurro in Pompeianum. Vecteno velim gratias, quod studiosus [18] sit [19]. Si quemquam nactus fueris, qui perferat; literas des ante, quam discedimus.

17. *Sed dii istos.* Perdant scilicet, qui quum me adjuvare deberent, magis etiam premant. Ed.

18. *Studiosus.* Rerum mearum. Ern.

19. Aberat *sit.* Addidit Grævius e MSS suis. J. V. L.

EPISTOLA XVI.

Narrat Dionysium ad se venisse, nec secum in Græciam ire voluisse : se sperare ait, consilium profectionis vacuum periculo fore. Catonem Siciliam, quam tenere potuisset, reliquisse. Se centuriones trium cohortium, qui se convenire voluerint, ut se et oppidum traderent, discessu e Pompeiana villa evitasse. Deinde Hortensium venisse refert, Atticoque ut se vegetum in Græcia sistat, optat. (In Cumano*, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Commodum ad te dederam literas de pluribus rebus, quum ad me bene mane Dionysius fuit : cui quidem ego non modo placabilem me præbuissem, sed totum remisissem, si advenisset, qua mente tu ad me scripseras. Erat enim sic in tuis literis, quas Arpini acceperam, eum venturum, facturumque, quod ego vellem. Ego volebam autem, vel cupiebam potius, esse eum nobiscum. Quod quia plane, quum in Formianum venisset, præciderat, asperius ad te de eo scribere solebam. At ille perpauca loquutus, hanc summam habuit orationis : ut sibi ignoscerem; se rebus

* *In Cumano.* Sequimur J. V. L. Sed vid. not. 8. Ed.

suis impeditum nobiscum ire non posse. Pauca respondi; magnum accepi dolorem : intellexi fortunam ab eo nostram despectam esse. Quid quæris? fortasse miraberis : in maximis horum temporum doloribus hunc mihi scito esse. Velim, ut tibi amicus sit : hoc quum tibi opto, opto ut beatus [1] sis: erit enim tamdiu.

Consilium nostrum spero vacuum periculo fore. Nam et dissimulabimus [2], et, ut opinor, acerrime adservabimus. Navigatio modo sit, qualem opto. Cetera, quæ quidem consilio provideri poterunt, cavebuntur. Tu, dum adsumus, non modo quæ scieris audierisve, sed etiam quæ futura providebis, scribas velim. Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, et, si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent, Syracusis profectus est ante diem VIII kal. mai. ut ad me Curio [3] scripsit. Utinam, quod aiunt, Cotta [4] Sardiniam teneat! est enim rumor. O, si id fuerit, turpem Catonem! Ego, ut minuerem suspicionem profectionis aut cogitationis meæ, profectus sum in Pompeianum a. d. IIII id. ut ibi essem, dum, quæ ad navigandum opus essent, pararentur. Quum ad villam venissem, ventum est ad me; centuriones trium cohortium, quæ Pompeiis sunt, me velle [5] postridie (hæc mecum Ninnius noster); velle eos mihi se et oppidum tradere. At ego tibi postridie a villa ante lu-

1. *Beatus.* Beatum hic divitem, et fortunatum significat, ut sæpe apud auctores latinos. Ideo quum optabat Cicero ut is amicus esset Attico, simul id optabat, ut Atticus beatus esset. Bosius.

2. *Dissimulabimus.* Tacitum habebimus et occultum. Recte in sequentibus Malaspina, *adservabimus*, ad omnia erimus intenti. Terent. Heaut. III, 3, 34: « Atqui nunc, here, hic tibi adservandus est ». J. F. Gronov. —Sch. velit : « dissimulabimus, etsi, ut opinor, acerrime adservabimur ». Quod confirmari putat his epistolæ 18 infr. verbis : « custodiæ, quibus adservor ». Ed.

3. *Curio.* A Cæsare missus, ut Siciliam Pompeianis eriperet. Ep. 4. Man.

4. *Cotta.* M. Aurelius. Pulsus est paullo post. De Bell. Civ. I, 30.

5. *Velle.* Supple, convenire.

cem, ut me omnino illi ne viderent. Quid enim erat in tribus cohortibus? quid, si plures? quo apparatu? Cogitavi eadem illa Cœliana[6], quæ legi in epistola tua, quam accepi, simul et in Cumanum veni, eodem die; et simul fieri poterat, ut tentaremur[7]. Omnem igitur suspicionem sustuli. Sed quum redeo[8], Hortensius venerat, et ad Terentiam salutatum deverterat; sermone erat usus honorifico erga me. Tamen eum, ut puto, videbo. Misit enim puerum, se ad me venire. Hoc quidem melius, quam collega noster Antonius; cujus inter lictores lectica mima[9] portatur. Tu, quoniam quartana cares, et nedum morbum removisti, sed etiam gravedinem, te vegetum nobis in Græcia siste; et literarum aliquid interea.

6. *Eadem illa Cœliana.* Quem exitum habuerit illa Cœlii Caldi adversus Sullam expeditio. Merito hic Ciceronis imbellem animum notat Mongaltius, qui quum ep. 12 professus esset se de illo Cœlii conatu sæpe cogitare; idem ep. 14 iterasset, et ep. 15, Cœlianum illud maturescere significasset, nunc quum ejus rei gerendæ occasio offerretur cautionis et prudentiæ causam prætexens, refugiat, ut manifesto proderet sibi non esse data πολεμήϊα ἔργα, Iliad. XIV, 13. Ed.

7. *Ut tentaremur.* Ut commentum hoc esset Cæsarianorum, centurionibus astute missis ad tentandum animum meum. Man.

8. *Quum redeo.* In Pompeianum, non in Cumanum, ut Manut. putabat. Mane enim ut centuriones istos vitaret, Pompeiano discesserat in Cumanum. Interim dum e Cumano in Pompeianum redibat, Hortensius ad Terentiam venerat. Omnino in hoc Schütz. adsentimur. Ed.

9. *Mima.* Cytheris. Ed.

EPISTOLA XVII.

Hortensium et Serapionem venisse significat. Lippitudinem crebro refricare. Æquinoctium se morari. Denique se purgat ob id, quod de Attici diplomate scripserat. (In Cumano, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Prid. idus Hortensius ad me venit, scripta epistola.

Vellem cetera ejus [1]. Quàm in me incredibilem ἐκτένειαν [2]! qua quidem cogito uti. Deinde Serapion [3] cum epistola tua : quam priusquam aperuissem, dixi ei, te ad me de eo scripsisse antea, ut feceras. Deinde, epistola lecta, cumulatissime cetera [4] : et hercule hominem [5] bonum, et doctum, et probum existimo. Quin etiam navi ejus me, et ipso convectore usurum puto. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quæ impediat scriptionem meam. Valitudinem tuam jam confirmatam esse et a vetere morbo, et a novis tentationibus, gaudeo. Ocellam vellem haberemus [6]. Videntur enim esse hæc paullo faciliora. Nunc quidem æquinoctium [7] nós moratur, quod valde perturbatum erat. Id si ἀκραὲς [8] erit, utinam idem maneat Hortensius! siquidem, ut [9] adhuc erat, liberalius esse nihil potest. De diplomate admiraris, quasi nescio cujus te flagitii [10] insimularem. Negas enim te reperire, qui mihi id in mentem vene-

1. *Vellem cetera ejus.* Similia essent his, quæ nunc facit, quum in ceteris male audiat, ep. 4 hujus libri : vel essent firma, et non infantia, ep. seq. Corr.

2. Ἐκτένειαν. Propensionem, propensam voluntatem, liberalitatem.

3. *Serapion.* Forte acceitus in locum Dionysii, ut juvenes Cicerones erudiret. Ed.

4. *Cetera.* Ei sum pollicitus. Man.

5. Al. « hominem probo ; nam et doctum, etc. » Grævius simpliciter, « et hercule hominem et doctum, et probum existimo ». J. V. L.

6. *Haberemus.* Ut nobiscum posset discedere. Ep. 11. Man.

7. *Æquinoctium.* Quod tum incidit in maium propter turbatam anni rationem ante fastorum emendationem a Julio Cæsare institutam. Tum enim intercalandi licentia tempora non conveniebant suis mensibus. Sueton. Jul. Græv. — Valde ridicule Corradus putat per æquinoctium designari Antonium, « quia noctes dormiendo cum diebus æquabat ». Sed mirum est Man. hanc perturbationem anni non vidisse, et delere tentavisse « junias » post « xiv kal. » in ep. sequenti. Nempe illo anno æquinoctium vernum incidit in xvi kal. jun. Cujus perturbationis causas diligenter exposuit Pontedera in Antiquitatum Rom. et Græcarum enarrationibus ep. xl, p. 346. Ed.

8. Ἀκραές. Non perturbatum.

9. Abest *ut.* J. V. L.

10. *Flagitii.* Si diploma a Cæsarianis accepisset, visus esset ejus imperium agnoscere. Ed.

rit. Ego autem, quia scripseras, te proficisci cogitare (etenim audieram, nemini aliter licere); eo te habere censebam, et quia pueris diploma sumpseras. Habes causam opinionis meæ : et tamen velim scire, quid cogites, in primisque, si quid etiam nunc novi est. XVII kal. jun.

EPISTOLA XVIII.

De Tulliæ partu; de itinere suo; de Balbi sermone cum Attico habito. (Cumis, anno U. C. 704, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Tullia mea peperit XIIII kal. jun. puerum ἑπταμηνιαῖον [1]. Quod ηὐτόκησεν [2], gaudebam [3] : quod quidem est natum, perimbecillum est. Me mirifice tranquillitates [4] adhuc tenuerunt, atque majore impedimento fuerunt, quam custodiæ, quibus asservor. Nam illa Hortensiana omnia fuere infantia. Ita fiet homo nequissimus. A Salvio liberto depravatus est. Itaque posthac non scribam ad te, quid facturus sim, sed quid fecerim : omnes enim Κωρυκαῖοι [5] videntur subauscultare, quæ loquor. Tu tamen, si quid de Hispaniis,

1. Ἑπταμηνιαῖον. Septimestrem.

2. Ηὐτόκησεν. Salva peperit.

3. Cod. Ursini, *gaudeo*. J. V. L.

4. *Tranquillitates*. Quum contra nobis vento sit opus. Corr.

5. Κωρυκαῖοι. *Corycæi*. Fuerunt populi Pamphyliæ, dicti a promontorio Ioniæ Coryco. Ad id quum appulissent piratæ, ne ab ipsis male tractarentur, in ceteras stationes navium portusque se mutatis vestibus contulerunt, et quæ ibi audierant, ad piratas retulerunt, ut nomina navigantium et quorsum navigare constituissent, scirent; hinc proverbium (τοῦ δ' ἂν ὁ Κωρυκαῖος ἠκροάζετο, et hoc Corycæus auscultaverit) in eos ductum, qui subauscultant, quæ dicuntur, ut ea ad alios deferant. Suidas in Κωρυκαῖος. Ernest. — Strabo, lib. XIV, paullo aliter originem hujus proverbii refert. Alii hoc promontorium accipiunt pro alio ejusdem nominis in Cilicia, ubi urbs, cujus incolæ dicti Κωρύκιοι, Corycii, vel Κωρυκιῶται, Coryciotæ. Ed.

sive quid aliud, perge, quæso, scribere; nec meas literas exspectaris, nisi quum, quo opto, pervenerimus, aut si quid ex cursu. Sed hoc quoque timide scribo : ita omnia tarda adhuc et spissa. Ut male posuimus initia, sic cetera sequuntur. Formias [6] nunc sequimur; eadem [7] nos fortasse furiæ persequentur. Ex Balbi autem sermone, quem tecum habuit, non probamus de Melita [8]. Dubitas igitur, quin nos in hostium numero habeat? Scripsi equidem Balbo, te ad me de benivolentia [9] scripsisse, et de suspicione. Egi gratias. De altero ei me purga. Ecquem tu hominem infeliciorem? non loquor plura, ne te quoque excruciem. Ipse conficior, venisse tempus, quum jam nec fortiter, nec prudenter quidquam facere possim.

6. *Formias.* Nunc petimus; inde quamprimum navigaturi : quo fortasse Cæsariani custodes et Corycæi quasi furiæ nos persequentur. Solvisse autem Ciceronem Formiis quum in Græciam ad Pompeium proficisceretur, indicat Cœlius lib. VIII, ep. ult. Pop.

7. *Eadem.* Scilicet via. Græv. — Sed Vict. Man. *eædem*, et sic vertit J. V. L. Lamb. *eodem.*

8. *Non probamus de Melita.* I. e. consilium nostrum in Melitam abeundi Cæsari non probatur. Ed.

9. *Benivolentia.* Ipsius Balbi. — *Suspicione*, me ad Pompeium navigaturum. Man.

ARGUMENTUM

LIBRI UNDECIMI.

Silentur menses fere novem. Conscendit enim, ut ad Pompeium navigaret, IV id. junii, Lentulo et Marcello coss. ut ex epistola 7 ad Terentiam cognosci potest: et ex eo tempore scriptæ literæ, ad mensem februarium, præter primas libri hujus, nullæ inveniuntur. Nam quum Cæsar, a colloquio illo Ciceronis, de quo in penultima epistola proximi libri agitur, Romam se contulisset, pecuniamque ex sanctiore ærario, nequidquam repugnante L. Metello tribuno plebis, abstulisset; rebus nonnullis ad suum arbitrium constitutis, Italiaque Antonio tradita et commendata, ipse in Hispaniam, contra Pompeii legatos exercitum duxit: quo tempore Cicero in Macedoniam VII id. junii, ut diximus, transmisit, unde priores quatuor datæ sunt; sed C. Cæsare II et Servilio Isaurico coss. ante pugnam Pharsalicam, partim ex castris Pompeii, partim Dyrrachio; nam Cæsar, devictis legatis illis, Hispaniæque rebus compositis, Romam reversus, consulque cum Isaurico declaratus, exeunte anno, ut ait Dio, ut Plutarchus prid. non. jan. jam exercitum in Epirum deportaverat. Reliquæ autem epistolæ Brundisio, quo jam acie devicto et fugato Pompeio, Cicero se contulerat, datæ sunt, nisi fallor, mense octobr. Nam ad Terentiam scribens, libro epistolarum ad ipsam, pridie non. nov. « Quod nos (inquit) in Italiam salvos venisse gaudes, etc. » ut ante eas Brundisio aliæ datæ fuerint. Fuit autem Brundisii menses minimum undecim: ab exitu, inquam, octobris, ad VI kal. octobris, anni sequentis: ut recte subducenti menses fluxerint plus minus XXI, quo toto tempore Cæsar et cum Pompeio pugnavit, ipsumque in Ægyptum persequutus est: et ibidem contra Ptolemæum bellum gessit, in quo menses novem consumpsit, ut Appianus ait: et Romam rediens in itinere Pharnacem recepit. Quæ vero datæ sunt ex kal. jan. usque kal. septemb. C. Cæsare Dictatore III, et M. Antonio mag. eq. scriptæ sunt. Nam, ut Dio scribit, populus rom. audita cæde Pompeii, consulatum absenti Cæsari, in annos quinque,

dictaturam in annum, tribunitiam potestatem in æternum mandavit. Qui dictaturam statim iniit, quamvis anni exitu, Calenum et Vatinium, eodem auctore, subrogaverit in ternos novissimos menses. Datæ ante pugnam Pharsalicam res fere domesticas continent: quæ post pugnam, querelam sui consilii, vel, ut ipse vocat, amentiæ et temeritatis, quod statim ab ipso conflictu, Pompeianorum causa nondum plane desperata, et postea in Africa prope revirescente, non exspectato exitu, in Italiam venerit: quum neque id tutum, neque honorificum esset. Quædam insunt etiam de remittendo nuntio uxori Terentiæ; de inopia Tulliæ; de scelere Dolabellæ, qui tribunus pl. leges perniciosissimas de novis tabulis ferret, omniaque misceret. Quædam etiam de Q. Q.* contra se scelerate loquentibus.

* *De Q. Q.* Hoc est, de Quinto fratre, et Quinto ejus filio.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD ATTICUM
LIBER UNDECIMUS.

EPISTOLA I*.

In Epiro, fortasse in castris Pompeii, anno U. C. 705, mense februario ineunte.

CICERO ATTICO S.

Accepi a te signatum libellum [1], quem Anteros attulerat; ex quo nihil scire potui de nostris domesticis rebus : de quibus acerbissime afflictor, quod, qui eas dispensavit, neque adest istic; neque, ubi terrarum sit, scio. Omnem autem spem habeo existimationis [2] privatarumque rerum in tua erga me mihi perspectissima benivolentia : quam si his temporibus miseris et extremis præstiteris, hæc pericula, quæ mihi commu-

* Inter proximam superiorem ad Atticum, X, 18, et hanc multæ interciderint necesse est. Ab ista enim ad hanc novem mensium intervallum est. Cicero in Græciam profectus erat IV id. jun. rediit in Italiam mense demum octobri anni sequentis. Ed.

1. *Libellum.* Differt libellus ab epistola, ut apud nos, *billet* a *lettre.* In amatoriis præcipue hoc vocabulo utebantur : « In hoc libello obsignato attuli gaudia multa ». Plaut. et apud Petronium *libellus Venerius.* Ed. — *Qui eas dispensavit.* Philotimus. Sch.

2. *Existimationis.* Ut iis satisfiat, quibus debeo. Nam ob hanc causam de existimatione Ciceronis agebatur. Cæsar initio lib. III, de Bello Civili, « ad debitorum tuendam existimationem ». Man.

nia sunt cum ceteris, fortius feram; idque ut facias, te obtestor atque obsecro. Ego in cistophoro [3] in Asia habeo ad H-S bis et vicies. Hujus pecuniæ permutatione fidem nostram facile tuebere : quam quidem ego nisi expeditam relinquere putassem, credens [4] ei, cui tu scis jam pridem minime credere, commoratus essem paullisper, nec domesticas res impeditas reliquissem : ob eamque causam serius ad te scribo, quod sero intellexi, quid timendum esset. Te etiam atque etiam oro, ut me totum tuendum suscipias; ut, si ii salvi erunt, quibuscum sum, una cum iis possim incolumis esse, salutemque meam benivolentiæ tuæ acceptam referre.

3. *Cistophoro.* Nummi genus Asiatici. Hanc pecuniam Cicero, ex administratione Ciliciæ uno anno collectam, apud publicanos reliquit : deinde, quod ibi minus tuto fore videbatur, dimidiam fere partem exegit, et ad Egnatium argentarium transtulit. Man. — De cistophoro adi orat. pro Domo sua, cap. 20, et ad Att. II, 6, ubi vide notas. Ed.

4. *Credens ei.* Philotimo liberto Terentiæ, cui rerum domesticarum administrationem commiserat, ad Pompeium profecturus. Popma.

EPISTOLA II.

Rem familiarem Attici curæ commendat, miseriamque status sui deplorat. (In Epiro, anno U. C. 704, mense februario.)

CICERO ATTICO S.

Literas tuas accepi pridie nonas febr. eoque ipso die ex testamento crevi [1] hereditatem. Ex multis meis

1. *Crevi.* In testamento heres scriptus interdum rogabatur, jubebaturve hereditatem cernere intra certum dierum spatium, veluti « Titius heres esto cernitoque in centum diebus proximis, quibus scieris poterisque ». Nec intererat utrum quis præsens an per epistolam cerneret, dummodo solemnia ac legitima cretionis verba proferret in hunc modum : « Quum me Mævius heredem instituerit, eam hereditatem adeo cernoque », ut tradit Ulpianus in Instit. et Isidorus lib. V, Etymol. Popma. — Ergo quum Atticus Ciceroni nuntiasset hereditatem illi obtigisse, quam ipse creturus sit ejus

miserrimis curis est una levata[2], si, ut scribis, ista hereditas fidem et famam meam tueri potest, quam quidem te intelligo, etiam sine hereditate, tuis opibus defensurum fuisse. De dote[3] quod scribis, per omnes deos te obtestor, ut totam rem suscipias, et illam, miseram mea culpa et negligentia, tueare meis opibus, si quæ sunt; tuis, quibus tibi molestum non erit, facultatibus[4]: cui quidem deesse omnia, quod scribis, obsecro te, noli pati. In quos enim sumptus abeunt fructus prædiorum[5]? Jam illa[6] H-S LX, quæ

nomini prid. non. febr. accidit ut illas Cicero eo die acciperet, qui erat dies cretionis ab Attico designatus. Ed.

2. *Levata*. Vict. Man. Lamb. *enata*.

3. *De dote*. Soluto matrimonio Crassipedis et Tulliæ, quum Dolabellæ Tullia nupsisset, Cicero valde æstuabat in dote illi persolvenda. Non enim eam integram ipsi tempore nuptiarum numerarat, quum fortasse a Crassipede nondum eam exegisset, exspectandaque dies esset legibus præstituta ad dotem repetendam, quæ aut pondere, aut numero, aut mensura constabat. Hujusmodi enim dos citius exigi non poterat quam annua, bima, trima die. Itaque totidem pensionibus, hoc est, tribus se eam Dolabellæ soluturum promiserat. Ac prima soluta, quum adforet dies secundæ proximis kal. quintilibus, et interim Dolabella perditissimo nepotatu rem omnem familiarem absumpsisset, incerto animo Cicero fluctuabat, illine reliquum dotis numeraret, an id Tulliæ, facto divortio, conservaret. Nam et Tulliæ cautum volebat, et, dirempto matrimonio, verebatur, ne incerto adhuc rerum exitu Dolabellæ animum, qui gratia plurimum valebat apud Cæsarem, a se abalienaret; interim ergo dum certo constitueret quid facturus esset, cupiebat Tulliam sustentari suis opibus, et facultatibus Attici. Hunc locum hactenus ab interpretibus male explicatum, in eam partem, in quam interpretati sumus, accipi debere, hoc est, de solutione dotis Tulliæ intelligendum esse, declarat ipse Cicero proximis duabus epistolis, quarum altera, 4, ita scribit, « de pensione altera oro te, omni cura considera, quid faciendum sit, ut scripsi iis literis, quas Pollex tulit ». Altera, 3, hoc modo : « Quod ad kalendas quintiles attinet, quid vellem : utrumque grave est, et tam gravi tempore periculum tantæ pecuniæ, et, dubio rerum exitu, ista, quam scribis, abruptio ». Bosius. — Sch. intelligi vult de dote Tulliæ a Dolabella dissipata. Nondum agi posse de dote Tulliæ post divortium ei restituenda. Male. Ed.

4. Ernest. hoc verbum putat a glossatore esse, et *tuis* referendum ad *opibus*. J. V. L.

5. *Prædiorum*. Quærit Cicero, cui rei impendantur fructus suarum domuum et agrorum, quos elocaverat certa mercede colonis, ex quibus, si filia ejus egeat, possit sublevari, quum iis ipse non utatur. Græv.

6. *Illa*. Terentis ex prima dotis Tulliæ pensione H-S LX detraxerat, quæ

scribis, nemo mihi unquam dixit, ex dote esse detractâ: numquam enim essem passus. Sed hæc minima est ex iis injuriis, quas accepi; de quibus ad te dolore et lacrymis scribere prohibeor. Ex ea pecunia, quæ fuit in Asia, partem dimidiam fere exegi. Tutius videbatur fore ibi, ubi est, quam apud publicanos. Quod me hortaris, ut firmo sim animo: vellem posses aliquid afferre, quamobrem id facere possem. Sed si ad ceteras miserias accessit etiam id, quod mihi Chrysippus dixit parari (tu nihil significasti) de[7] domo; quis me miserior uno jam fuit? Oro, obsecro, ignosce: non possum plura scribere. Quanto mœrore urgear, profecto vides: quod si mihi commune cum ceteris esset, qui videntur in eadem causâ esse, minor mea culpa videretur, et eo tolerabilior esset. Nunc nihil est, quod consoletur; nisi quid tu efficis, si modo etiam nunc effici potest, ut ne qua singulari[8] afficiar calamitate et injuria.

Tardius ad te remisi tabellarium, quod potestas mittendi non fuit. A tuis[9], et nummorum accepi H-S LXX, et vestimentorum quod opus fuit. Quibus tibi videbitur, velim des literas meo nomine. Nosti meos familiares. Signum requirent, aut manum: dices[10], me propter custodias[11] ea vitasse.

Dolabella sibi solvi cum secunda pensione postulabat. Eam vero primæ pensionis imminutionem Cicero ægre ferebat. Ideo infra epist. 24 de alia quadam detractione loquens, «Quum hoc, inquit, tam parvum de parva re detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit». Bosius. — Schützius intelligit hæc LX H-S, detracta a Terentia vel a Philotimo, insciente Cicerone, quum Tullia Dolabellæ collocaretur. Perperam. Ed.

7. *De domo*. Id parari dixerat Chrysippus, ut domo sua Cicero, quam habebat in Palatio, privaretur, propterea quod esset cum Pompeio. Man.

8. *Singulari*. Qua ceteri Pompeiani affecti non sunt a Cæsarianis. Ed.

9. *Tuis*. Qui res tuas in Epiro curant. Nam eo transierat, ad Pompeium in Græciam proficiscens. Man.

10. Al. *dices iis*. J. V. L.

11. *Custodias*. Eos, qui in exercitu observare solent, ne literæ, aut nuntii imperatoris injussu quoquam mittantur. Ed.

EPISTOLA III.

Petit ab Attico, ut Tulliæ commodis consulat, suaque ipsius incommoda administratione ac diligentia sua levet. (In Castris Pompeii, anno U. C. 705, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Quid hic agatur, scire poteris ex eo, qui literas attulit: quem diutius tenui, quia quotidie aliquid novi exspectabamus; neque nunc mittendi tamen ulla causa fuit, præter eam, de qua tibi rescribi voluisti. Quod ad kal.[1] quint. pertinet, quid vellem; utrumque grave est, et[2] tam gravi tempore periculum tantæ pecuniæ, et, dubio rerum exitu, ista, quam scribis, abruptio[3]. Quare, ut alia, sic hoc vel maxime tuæ fidei benivolentiæque permitto, et illius[4] consilio et voluntati, cui miseræ consuluissem melius, si tecum olim coram potius, quam per literas, de salute nostra fortunisque deliberavissem. Quod negas præcipuum mihi ullum incommodum impendere; etsi ista res nihil[5] habet consolationis, tamen etiam præcipua

1. *Quod ad kal.* Quod pertinet ad secundam pensionem dotis Tulliæ quæ kal. qnintilib. numeranda est Dolabellæ, hoc magnam utraque ex parte habet difficultatem. Nam si solvo, periculum est amittendæ tantæ pecuniæ, quam Dolabella forte absumet: si retineo, et auctor sum Tulliæ divortii faciendi, verendum ne Dolabella, qui gratia plurimum valet apud Cæsarem, ista contumelia lacessitus, odium Cæsaris in me concitet. Popma.—De hoc consilio divortii cum Dolabella faciendi, alibi quoque Cicero, h. l. ep. 20, ad Div. XIV, 13; multaque eo tempore talium divortiorum exempla occurrunt. Vide quæ de Paulla Valeria scribebat Cœlius, paucis ante annis, ad Div. VIII, 7. Ed.

2. Abest *et*. Vestigium agnoscit Ernest. in lectione edd. pr. *etiam*, quod ex *et tam* factum est. J. V. L.

3. *Abruptio*. Subitum divortium. Popma.

4. *Illius*. Tulliæ.

5. *Nihil*. Legendum, libris omnibus invitis, «etsi ista res non nihil habet consolationis». Nam recepta, quamvis

multa sunt, quæ tu profecto vides, ut sunt, et gravissima esse, et me facillime vitare potuisse: ea tamen erunt minora, si, ut adhuc factum est, administratione diligentiaque tua levabuntur. Pecunia apud Egnatium est. Sit[6] a me, ut est. Neque enim hoc, quod agitur, videtur diuturnum esse posse; ut scire jam possim, quid maxime opus sit: etsi egeo rebus omnibus; quod is quoque[7] in angustiis est, quicum sumus; cui magnam dedimus pecuniam mutuam; opinantes[8], nobis, constitutis rebus, eam rem etiam honori fore. Tu, ut antea fecisti, velim, si qui erunt, ad quos aliquid scribendum a me existimes, ipse conficias. Tuis salutem dic. Cura, ut valeas. In primis id, quod scribis, omnibus rebus cura et provide, ne quid ei[9] desit, de qua scis me miserrimum esse. Idibus jun. ex castris.

eadem sit antiqua, ferri tamen non potest. Lamb. — Præiverant Corradus et Malaspina.

6. *Sit*. Relinquatur meo nomine, et quasi meo periculo, ut ep. 7, lib. IV.

7. *Is quoque*. Pompeius. Corr.

8. Al. *opinor*. J. V. L.

9. *Ei*. Tulliæ. Corr.

EPISTOLA IV.

Breviter respondet Attici literis ab Isidoro acceptis. (In Castris Pompeii, anno U. C. 705, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Accepi ab Isidoro literas, et postea datas binas. Ex proximis cognovi prædia non[1] venisse. Videbis ergo, ut sustentetur[2] per te. De Frusinati[3], si modo futuri

1. *Prædia non venisse*. Ut volebam, quo Tulliæ nihil deesset. Ep. 2 hujus libri. Corr.

2. *Sustentetur*. Scilicet Tullia. Vid. epist. sup. Ed.

3. *De Frusinati*. Fundum Frusinatem in via Latina Cicero vendiderat, hac lege, ut redimere posset. De ea redemptione quæsierat Atticus, quid cogitaret, utrum eam aliquando fieri

sumus[4], erit mihi res opportuna. Meas literas quod requiris, impedior inopia rerum, quas nullas habeo literis dignas; quippe cui nec, quæ accidunt, nec quæ aguntur, ullo modo probentur. Utinam coram tecum olim potius, quam per epistolas! Hic tua, ut possum, tueor[5] apud hos. Cetera Celer[6] ipse. Fugi adhuc omne munus, eo magis, quod ita nihil poterat agi, ut mihi et meis rebus aptum esset.

Quid sit gestum novi, quæris: ex Isidoro scire poteris; reliqua non videntur[7] esse difficiliora. Tu id velim, quod scis me maxime velle, cures, ut scribis, ut facis. Me conficit sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas[8] corporis: qua levata, ero una cum eo, qui negotium gerit, estque in spe magna. Brutus amicus in causa versatur acriter[9]. Hactenus fuit, quod caute a me scribi posset. Vale. De pensione altera[10], oro te, omni cura considera, quid faciendum sit, ut scripsi iis literis, quas Pollex tulit.

vellet, an prorsus abjecisset. Respondet redemptionem se probare, quoniam ille fundus sibi futurus esset opportunus. Redemptio tamen hoc tempore facta non est, ut patet ex epistola 14. Man. — Frusinum, olim urbs Volscorum, nunc *Frusinone*. Ed.

4. *Si modo futuri sumus.* Scil. salvi et incolumes. Ernest.

5. *Tueor. Hic*, in Epiro, ubi tum erant castra Pompeii, laboro, ne qui militum aut ducum vexet aut diripiat res hominesque tuos. J. F. Gron.

6. *Celer.* De quo, lib. X, epist. 1; XII, 7. Legebat Pantagathus, «Celer ipse. Fugi, etc.» Muretus vero, *ceterum ipse fugi*, omisso *Celeris* nomine. — *Cetera Celer.* Nempe tuetur, ut vidit Mongaltius, probante J. V. L. Ernest. supplet, «narrabit, quum ad te venerit»: sed has literas non Celeri, sed Isidoro perferendas dederat. Manutius affert lectionem, *cetera celo*. Ed.

7. *Non videntur.* Cur autem hoc? quia scilicet factum erat prælium illud ad Dyrrhachium, quo Pompeii fortuna superior fuit. Quo ex prælio tantum fiduciæ ac spiritus Pompeianis accessit, ut non de ratione belli cogitarent, sed «vicisse jam sibi viderentur». Cæsar, de Bello Civili, libro III. Man.

8. *Infirmitas.* Ideo Cicero Dyrrhachio se tenuit, neque ad Pharsaliam fuit. Ed.

9. *Versatur acriter.* Strenue militat in partibus Pompeii, quem olim oderat; nam in bello Sullano patrem ejus Pompeius trucidari jusserat: sed tunc Brutus privatas inimicias patriæ condonabat. Ed.

10. *Pensione altera.* Dotis Tulliæ Dolabellæ solvendæ. Ed.

12.

EPISTOLA V.

De causis reditus sui in Italiam : de propioris ad Urbem accessus impedimentis; de literis suo nomine scribendis; de Vatinii et Q. fratris in se animo. (Brundisii, anno U. C. 705, mense nov.)

CICERO ATTICO S.

Quæ me causæ moverint, quam acerbæ[1], quam graves, quam novæ, coegerintque impetu magis quodam animi uti, quam cogitatione, non possum ad te sine maximo dolore scribere : fuerunt quidem tantæ, ut id, quod vides[2], effecerint. Itaque nec quod ad te scribam de meis rebus, nec quod a te petam, reperio. Rem et summam negotii vides. Equidem ex tuis literis intellexi, et iis, quas communiter cum aliis scripsisti, et iis, quas tuo nomine, quod etiam mea sponte videbam, te subdebilitatum[3] novas rationes tuendi mei[4] quærere. Quod scribis placere, ut propius accedam, iterque per oppida noctu faciam; non sane video, quemadmodum id fieri possit. Neque enim ita apta habeo deversoria, ut tota tempora diurna in his possim consumere; neque ad id, quod

1. *Acerbæ*. Schützius intelligit de Quintorum patris et filii erga se odiis. Melius autem Mongaltius et J. V. L. de periculo in quo Cicero versatus est apud Dyrrhachium, quum eum Cnei filius et Pompeiani interficere voluerunt. Plutarchus in Cicerone et in Catone. Ed.

2. *Ut id, quod vides*. Ut ab armis discederem et huc venirem, non certus voluntatis Cæsaris. Ed.—Hanc scripsit Brundisii, quum in Italiam rediret, post Pompeium acie Pharsalica profligatum. Man.

3. *Te subdebilitatum*. Lambin. « te subita re quasi debilitatum ». Mongalt. intelligit « te non multum sperantem de his, quæ causa tuendi mei jam feceris ». Ed.

4. *Tuendi mei*. Excusandi et purgandi apud Cæsaris amicos, a quibus Ciceroni timendum erat : utpote qui in eorum potestate esset, postquam Brundisium se contulisset. Man.

quæris[5], multum interest, utrum me homines in oppido videant, an in via. Sed tamen hoc ipsum, sicut alia, considerabo, quemadmodum commodissime fieri posse videatur. Ego propter incredibilem et animi et corporis molestiam conficere plures literas non potui; iis tantum rescripsi, a quibus acceperam. Tu velim et Basilo[6], et quibus præterea videbitur, etiam Servilio conscribas, ut tibi videbitur, meo nomine. Quod tanto intervallo nihil omnino ad vos; profecto intelligis rem mihi deesse, de qua scribam, non voluntatem. Quod de Vatinio[7] quæris: neque illius, neque cujusquam mihi præterea officium deesset, si reperire possent, qua in re me juvarent. Quintus aversissimo[8] a me animo Patris fuit.

5. *Ad id quod quæris.* Ne de accessu meo ad Cæsarianos deferatur. Man.

6. *Basilo.* L. Minucio Basilo, qui ann. 708 prætor, dein unus de percussoribus Cæsaris fuit. Dio, XLIII; Appian. Bell. Civ. III; Oros. VI, 18. Ad hunc exstat epistola Ciceronis ad Div. VI, 15. Mox *Servilio*, P. Servilio Isaurico, hoc anno cum Cæsare consuli. Ed.

7. *De Vatinio.* Atticus scire volebat quo animo Vatinius erga illum esset, injuriæne an beneficii memor. Nam primum eum Cicero oppugnarat, deinde defenderat. Vide ad Div. I, 1 et V, 9. Ed. — Plurimum enim poterat apud Cæsarem victorem Vatinius, et erat designatus cos. cum Q. Fufio Caleno. Popma.

8. *Aversissimo.* Quoniam in sequentibus epistolis de Quinti maledictis in Marcum fratrem legetur, ejus rei causam non ab re est hoc loco pluribus explicare. Quum Cn. Pompeius Brundisio profectus, in Græciam navigasset, ut classe, quanta maxima fieri posset, comparata, Italiæ commeatus intercluderet, et Cæsarem fame affligeret: incertus M. Cicero quid ageret, in Italia resideret, an Pompeium sequeretur, suadentibus nonnullis, et maxime Quinto fratre, ut ad Pompeium iret, paruit, et profectus est, ut ostendit epistola 9 hujus libri, quum dicit: «Cessimus, vel potius parui. Ex quibus unus, qua mente fuerit, is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius literis, quas ad te et alios misit». Loquitur enim de Quinto fratre. Profligato deinde Pompeio, quum in Italiam M. Cicero rediisset, veritus est Quintus, ne frater, quo facilius a Cæsare veniam impetraret, suæ ad Pompeium profectionis causam in ipsum conferret. Itaque turpi et scelerato mendacio confinxit, sibi Marcum fratrem auctorem fuisse, ut ad Pompeium proficisceretur, et ubicumque fuit, maledicta in fratrem conferre non destitit. Man.

Eodem[9] Corcyra filius venit. Inde profectos[10] eos una cum ceteris arbitror.

9. *Eodem*. Patras: ut sit potius, ad eumdem locum Quinti filium fuisse, quam eodem animo. Max.

10. *Profectos*. Ad Cæsarem in Asiam ut deprecarentur. Hoc apparet ex epist. seq. Ed.

EPISTOLA VI.

Scribit se discessus ab armis non pœnitere, malle autem in oppido aliquo extra Italiam resedisse, petitque ut Atticus cum Balbo et Oppio agat. De Tulliæ morbo; de Pompeio, Fannio et Lentulo cæsis; de Q. fratre in Asiam profecto. Denique literas Attici exposcit. (Brundisii, anno U. C. 705, mense nov.)

CICERO ATTICO S.

Sollicitum esse te quum de tuis communibusque fortunis, tum maxime de me, ac de dolore meo, sentio: qui quidem dolor meus non modo non minuitur, quum socium sibi adjungit dolorem tuum, sed etiam augetur. Omnino pro tua prudentia sentis, qua consolatione levari maxime possim. Probas enim meum consilium, negasque mihi quidquam tali tempore potius faciendum fuisse. Addis etiam (quod etsi mihi levius est, quam tuum judicium, tamen non est leve), ceteris quoque, id est, qui pondus habeant, factum nostrum probari. Id si ita putarem, levius dolerem. Crede, inquis, mihi. Credo equidem; sed scio, quam cupias minui[1] dolorem meum. Me discessisse ab armis, numquam pœnituit: tanta erat in illis[2] crudelitas, tanta cum barbaris gentibus conjunctio, ut non nominatim, sed generatim proscri-

1. *Sed scio, quam cupias minui dolorem meum*. Ut fortasse pluribus nostris amicis meum consilium probari fingas, quam verum sit; modo ut me consoleris. Sch.

2. *In illis*. Pompeianis.

ptio[3] esset informata; ut jam omnium judicio constitutum esset, omnium vestrum bona prædam esse illius victoriæ; vestrum, plane dico: numquam enim de te ipso, nisi crudelissime, cogitatum est. Quare voluntatis me meæ numquam pœnitebit; consilii[4] pœnitet. In oppido[5] aliquo mallem resedisse, quoad arcesserer[6]. Minus sermonis subiissem; minus accepissem doloris; ipsum hoc me non angeret. Brundisii jacere, in omnes partes est molestum. Propius accedere, ut suades, quo modo sine lictoribus, quos populus dedit, possum, qui mihi incolumi adimi non possunt[7]? quos ego nunc[8] paullisper cum[9] bacillis in turbam conjeci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret. Reliquo[10] tempore me domo. Te nunc ad Oppium[11]: si iis placeret [12] modo, pro-

3. *Proscriptio.* Eorum qui a partibus Pompeii non stetissent. Sch.

4. *Consilii.* Quod in Italiam redierim.

5. *Oppido aliquo.* Vel Achaiæ, vel alicujus provinciæ, quæ esset a bello vacua : donec arcesserer a Cæsare in Italiam : quod et tutius, et magis honorificum fuisset. Manut.

6. Al. ut passim, *accerserer.* Minus recte. J. V. L.

7. *Adimi non possunt.* Sc. donec Romam intraverim. Ed. — Incredibile videretur, adeo vanum fuisse Ciceronem, ut se molesta hac lictorum pompa abdicare nollet, nisi id ipse ingenue fateretur. Sch.

8. Al. *non.* Græv. *modo.* J. V. L.

9. *Cum bacillis.* Id est, jussi sine securibus (quas habebant magistratus extra Urbem), tantum cum fascibus, non ire ordine, ut lictores solent ante magistratus, sed confuse incedere, quasi essent e turba occurrentium consectantiumque, ne milites Cæsariani, qui in præsidio oppidi sunt, in eos et me impetum facerent, utpote non agnoscentes imperium cujusquam Pompeiani. J. F. Gronov.

10. *Reliquo.* Vulgo, « recipio tempore me domo ». Quod esse corruptissimum omnes clamant : alii aliter emendare conati sunt. Placuit conjectura Gronoviana, ex qua sensus elicitur commodus. *Reliquo tempore*, ex quo Brundisium accessi, contineo *me domo* abditum. Et sic vertit J. V. L. Paullo post legitur, *recipiunt :* quod erroris ansas, ni fallor, scriptori librario dedit. Ed.

11. *Te nunc ad Balbum.* Supple, confer. *Balbum* omittunt Vict. et Man. — Vexata hæc multis conjecturis. Sequimur optimos MSS. Pessime Ernest. *Oppium et Antonium.* J. V. L. — Sed Schütz. velit *adi* Oppium et Balbum; nec hujus nomen omitti posse putat, quia uterque conjungitur ep. seq. Ed.

12. *Iis placeret.* Subintelligendum, *si.* Propert. *Illa velit, poterit*, etc. Id

pius accederem, ut hac de re considerarent. Credo, fore auctores (sic enim recipiunt), Cæsari non modo de conservanda, sed etiam de augenda mea dignitate[13] curæ fore: meque hortantur, ut magno animo sim; ut omnia summa sperem: ea spondent, confirmant, quæ quidem mihi exploratiora essent, si remansissem. Sed ingero præterita. Vide, quæso, igitur ea, quæ restant, et explora cum istis; et si putabis opus esse, et si istis placebit, quo magis factum nostrum Cæsar probet, quasi de suorum sententia factum, adhibeantur Trebonius[14], Pansa[15], si qui alii; scribantque ad Cæsarem, me, quidquid fecerim, de sua sententia fecisse. Tulliæ meæ morbus et imbecillitas corporis me exanimat, quam tibi intelligo magnæ curæ esse; quod est mihi gratissimum. De Pompeii exitu[16] mihi dubium numquam fuit. Tanta enim desperatio rerum ejus omnium regum et populorum animos occuparat, ut, quocumque venisset, hoc putarem futurum. Non possum ejus casum non dolere. Hominem enim integrum, et castum, et gravem cognovi[17]. De Fannio[18] consoler te? perniciosa loque-

est, ab his si posses impetrare, cuperem hinc movere, et propius accedere, nosque duos alicubi congredi, ut deliberaremus una, quid mihi faciendum sit. J. F. Gronov.

13. *Augenda mea dignitate.* Cicerone in patriciis adscito. Pro Marcello, cap. 11, « sed etiam ornato ». Ubi vetus scholiastes adnotat, quia dictator Cicero factus est Italiæ: quod jure J. V. L. castigat. Ed.

14. *Trebonius.* Tunc prætor. Ed.

15. *Pansa.* C. Vibius, qui consul, anno post Cæsaris mortem. Ed.

16. *De Pompeii exitu.* De Pompeii morte in Ægypto (Cæs. de Bell. Civ. III, c. 104), quod nuntiatum est, statim credidi. Adeo omnes et reges, et populi fortunæ ejus diffidere cœperant, ut quocumque se contulisset, credibile foret, idem eventurum fuisse, nempe ut in gratiam Cæsaris victoris occideretur. Exemplum est etiam in Rhodiis. Ad Div. XII, 14. J. F. Gron.

17. *Cognovi.* Quam breve et strictum Pompeii elogium! Videtur timuisse ne Cæsariani auscultarent. Ed.

18. *De Fannio.* In pugna Pharsalica cæsus est. Falso Ernest. in Clave Ciceroniana eumdem putat qui Philipp. XIII dicitur Pompeii M. filium convenisse. Sch.

batur de mansione tua. L. vero Lentulus[19] Hortensii domum sibi, et Cæsaris hortos[20], et Baias desponderat. Omnino hæc eodem modo ex hac parte[21] fiunt: nisi quod illud erat infinitum[22]. Omnes enim, qui in Italia manserant, hostium numero habebantur. Sed velim hæc aliquando solutiore animo. Quintum fratrem audio profectum in Asiam, ut deprecaretur[23]. De filio nihil audivi. Sed quære ex Diochare, Cæsaris liberto, quem ego non vidi, qui istas Alexandrinas[24] literas attulit. Is dicitur vidisse, euntem[25], an jam in Asia? Tuas literas, prout res postulat, exspecto: quas velim cures quam primum ad me perferendas. IIII kal. decembr.

19. *L. Lentulus.* Anno superiore consul in fuga post pugnam Pharsalicam a rege Ptolemæo comprehensus et in custodia necatus. Cæs. III, 102.

20. *Cæsaris hortos.* L. Julii Cæsaris, qui cum Caio dictatore communem proavum habuerat, avunculus autem erat M. Antonii, a quo tamen proscriptus est, Flor. IV, 6; pater autem ejus L. Cæsaris, qui occisus est post Africanam victoriam. Suet. Jul. 75. J. F. Gronov.

21. *Ex hac parte.* Cæsarianorum.

22. *Illud erat infinitum.* Quod Pompeiani, si victores fuissent, erant ausuri. Sch.

23. *Deprecaretur.* Pro se et filio Cæsarem contra Pharnacem ex Ægypto venturum. Vide epist. seq. et Hirtium, de Bello Alexandr. Corrad.

24. *Alexandrinas.* Alexandriæ datas, in qua Ægyptii Cæsarem inclusum obsidione premebant. Sch.

25. Al. *an euntem.* J. V. L.

EPISTOLA VII.

Exponit rationes consilii sui Brundisium veniendi, variasque ex eo offensiones et sollicitudinum causas affert, ob quas Atticum Romæ manere, quam ad se venire malit. Addit de literis suo nomine scriptis. De Quintis patre et filio. Epistolas creberrimas ab Attico expetit. (Brundisii, anno U. C. 705, mense decemb.)

CICERO ATTICO S.

Gratæ tuæ mihi literæ sunt[1], quibus accurate per-

1. In hac structura et forma orationis Ernest. putat Cic. scripsisse, *fuerunt.*

scripsisti omnia, quæ ad me pertinere arbitratus es. Factum igitur, ut scribis, istis placere, iisdem istis lictoribus me uti; quod concessum Sextio sit; cui non puto suos [2] esse concessos, sed ab ipso datos. Audio enim, eum[3] ea senatusconsulta improbare, quæ post discessum tribunorum facta sunt. Quare poterit, si volet sibi constare, nostros lictores comprobare. Quamquam quid ego de lictoribus, qui pæne ex Italia decedere sim jussus? nam ad me misit Antonius exemplum Cæsaris ad se literarum, in quibus erat, se audivisse, Catonem et L. Metellum in Italiam [4] venisse, Romæ ut essent palam; id sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent; prohiberique omnes Italia, nisi

2. *Suos.* Consulibus L. Lentulo, et C. Marcello, quum Q. Cassius et M. Antonius tribuni plebis SC. contra Cæsaris dignitatem fieri prohiberent; factum est per Cæsaris inimicos, ut intercedendi potestate privati, de sua salute cogitare die septimo cogerentur. Itaque ad Cæsarem, qui Ravennæ erat, profugerunt. Postea senatusconsulta quæ Pompeius vult, et ut vult, multa fiunt injuste: non enim recte senatusconsultum fieri potest, quum tribunis plebis intercedendi potestas erepta est. Sed Pompeius tamen iis senatusconsultis delectus habuit, pecunias exegit, provincias cum imperio tribuit, ut Scipioni, Domitio, Fannio, Sextio. Cæsar autem, devicto Pompeio, ea senatusconsulta improbavit, quæ post fugam tribunorum facta erant, quod, tribunitia potestate sublata, nihil legibus, nihil more majorum, nihil jure actum videretur. Quod quum ita esset, sequebatur, ut et provincias, et lictores amitterent ii, qui hæc a senatu post fugam tribunorum habuissent. Quod si qui ex his erant, quibus Cæsar lictores relinquere, et institutum tamen illud suum de senatusconsultis improbandis retinere vellet, hac utebatur via: lictores, quos a senatu habuerant, adimebat, alios deinde ipse dabat. Ita fiebat, ut et illi lictoribus uterentur; et ea, quæ senatus post fugam tribunorum decreverat, ne valerent. Itaque dicit Cicero, « Cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos: audio enim eum ea SC. improbare, quæ, etc. » Sextius enim erat ex iis qui lictores, id est, imperium illis senatusconsultis habuerat. Et dicit, *suos:* quos habuerat antea: *Ab ipso datos*, a Cæsare. Supra autem, *Iisdem istis*, id est, iis quos nunc habeo. Non enim ex iis erat Cicero, qui lictores habuerant post fugam tribunorum: sed eos ante illud tempus habuerat, quum Ciliciam provinciam non a senatu solum, sed etiam a populo accepit. Man.

3. *Eum.* Cæsarem.

4. *In Italiam venisse.* De Catone falsum, nam in Africam iverat. *L. Metellum* tribunum pl. de quo X, 4. Ed.

quorum ipse causam cognovisset: deque eo vehementius erat scriptum. Itaque Antonius petebat a me per literas, ut sibi ignoscerem; facere se non posse, quin iis literis pareret. Tum ad eum misi L. Lamiam [5], qui demonstraret, illum Dolabellæ dixisse, ut [6] ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem; ejus me literis venisse. Tum ille edixit ita, ut me exciperet, et Lælium [7] nominatim. Quod sane nollem. Poterat enim, sine nomine, re ipsa excipi [8]. O multas et graves offensiones! quas quidem, tu das operam ut lenias. Nec tamen nihil proficis: quin hoc ipso minuis dolorem meum, quod, ut minuas, tam valde laboras; idque velim ne gravere quam sæpissime facere. Maxime autem assequere quod vis, si me adduxeris, ut existimem, me bonorum judicium non funditus perdidisse. Quamquam quid tu in eo potes? nihil scilicet. Sed, si quid res dabit tibi facultatis, id me maxime consolari poterit: quod nunc quidem video non esse; sed si quid, ex eventis; ut hoc nunc accidit [9]. Dicebar debuisse cum Pompeio proficisci. Exitus illius minuit ejus officii prætermissi reprehen-

5. *L. Lamiam*. Equitem romanum, familiarem Ciceronis. Vide XIII, 45, et ad Div. XI, 16, 17. Ed.

6. Primum *ut* melius abesset, ut aliis locis similibus abest. Ernest.

7. *Lælium*. D. Lælium Balbum (trib. pl. ann. 699) Pompeianum, qui navibus Asiaticis præfuerat. Cæs. de Bell. Civ. lib. III, et Cic. ep. 14 hujus libri. Corr.

8. *Re ipsa excipi*. Quo modo poterat sine nomine re ipsa fieri Ciceronis exceptio? si sic videlicet Antonius edixisset: Ex omnibus Pompeianis ne cui liceat esse in Italia, nisi quorum causam Cæsar cognoverit, aut de quibus Cæsar scripserit. Quo edicto Cicero non nominatus, re ipsa tamen exceptus esset: siquidem Dolabellæ literis, Cæsaris jussu confectis, in Italiam venerat. Man. — Al. *res ipsa*. Minus recte. J. V. L.

9. *Ut hoc nunc accidit*. Hoc scilicet, in quo ex eventis defendimur. Nam, exitu Pompeii perspecto, minus reprehendor, quod cum eo post Pharsalicam pugnam fugiente profectus non sim. In quo sapiens fuisse nunc videor; quasi de illo, quocumque venisset, id, quod accidit, fore conjecerim. Exitu vero nondum cognito, dicebar debuisse cum eo proficisci. Man.

sionem. Sed ex omnibus nihil magis tamen desideratur, quam quod in Africam non ierim. Judicio hoc sum usus, non esse barbaris auxiliis fallacissimæ [10] gentis rempublicam defendendam, præsertim contra exercitum sæpe victorem. Non probant fortasse. Multos enim viros bonos in Africam venisse audio, et scio fuisse antea. Valde hoc loco [11] urgeor. Hic quoque opus est casu, aliqui sint ex iis, aut, si potest, omnes, qui salutem anteponant. Nam si perseverant et obtinent; quid nobis futurum sit, vides. Dices, quid illis, si victi erunt? Honestior est plaga. Hæc me excruciant. Sulpicii autem consilium [12], non scripsisti, cur meo non anteponeres: quod etsi non tam gloriosum est, quam Catonis [13], tamen et periculo vacuum est, et dolore. Extremum est [14] eorum, qui in Achaia sunt: ii tamen ipsi se hoc melius habent, quam nos, quod et multi sunt uno in loco; et quum in Italiam venerint, domum statim venerint [15]. Hæc

10. *Fallacissimæ gentis.* Loquitur de exercitu Jubæ Mauritaniæ regis. Ed. — *Urgeor.* Id est, vix habeo quod ad hoc respondeam: nisi fortuna comparabit aliquos, qui malint salutem a Cæsare accipere, quam bello cum eo periclitari: aut etiam omnium animos huc inclinabit. Hoc est, si facient et illi, ego videbor plus vidisse, qui citius feci. J. F. Gronov. —*Urgeor.* Abeundumne sit in Africam nunc, sed videtur inclinasse in illud. Ed.

11. Hoc Ernest. arbitratur non satis convenire sequentibus. Sed forte sine causa hæret ac dubitat. Lambin. post, *ut aliqui sint*. J. V. L. — Schützius, *si aliqui sint*, et explicat: Quum multi sint Pompeianorum, qui Ciceroni vitio vertant, quod non simul cum iis in Africam ierit, unam esse rationem eorum iram effugiendi, si casu aliqui ex iis sint, qui ipsi ab armis discedant, aut omnes hoc faciant, quod vix exspectari potest. Ed.

12. *Sulpicii consilium.* Sulpicius manserat in aliquo oppido neutrius partis, forte ad Achaiam, cui a Cæsare mox præfectus est. Ed.

13. *Catonis.* Qui in Africam se contulit. Ed.

14. *Extremum est.* Commemorat, quæ contra se faciunt, et quæ objici a bonis viris possent. Primum, inquit, reprehendi possum, quod in Africam non ierim: deinde, non idem fecerim, quod Sulpicius, qui sedem tutam et a bello vacuam elegit: postremo, quod non in Achaia remanserim. Hoc extremum est; sed hoc tamen facere melius fuit, quam in Italiam venire. Man.

15. *Venerint.* Schutz. *venient.* Ed.

tu perge, ut facis, mitigare[16], et probare quam plurimis.

Quod te excusas[17], ego vero et tuas causas[18] nosco; et mea interesse puto, te istic esse[19], vel ut cum iis, quibus oportebit, agas, quæ erunt agenda de nobis, ut ea quæ egisti; in primisque hoc velim animadvertas. Multos esse arbitror, qui ad Cæsarem detulerint, delaturive sint, me aut pœnitere consilii mei, aut non probare, quæ fiant: quorum etsi utrumque verum est; tamen ab illis dicitur animo a me alienato, non quo ita perspexerint. Sed totum ut hoc Balbus sustineat, et Oppius, et eorum crebris literis illius voluntas erga me confirmetur, et hoc plane ut fiat, diligentiam adhibebis. Alterum est, cur te nolim discedere; quod scribis Tulliam efflagitare. O[20] rem miseram! quid scribam? aut quid velim? Breve faciam. Lacrymæ enim se subito profuderunt. Tibi permitto: tu consule. Tantum vide, ne hoc[21] temporis tibi obesse aliquid possit. Ignosce, obsecro te: non possum præ fletu et dolore diutius in hoc loco commorari. Tantum dicam nihil mihi gratius esse, quam quod eam diligis. Quod literas[22], quibus putas opus esse, curas dandas; facis commode.

16. *Mitigare*. I. e. sermonibus extenuare ac minuere. Ed.

17. *Te excusas*. Scilicet, te hoc tempore ad me non venire. Male Ernest. intellexit de itinere Attici extra Italiam. Ed.

18. *Tuas causas nosco*. Hoc est, tuam excusationem accipio. Græv.

19. *Te istic esse*. Romæ. — *Vel ut cum iis*. Hic particula *vel*, non iteratur, sed refertur ad illud, quod infra dicet, «alterum est, cur te nolim discedere». Nam duæ causæ erant, cur Ciceronis interesset Atticum Romæ esse; vel ut cum Cæsarianis ageret, quæ agenda erant; vel, ipso absente, ne *Tullia* egeret; quam Atticus scripserat in sumptum flagitare. Man.

20. *Tulliam efflagitare*. Manutius *Terentiam* legebat, quod in nota superiore correximus. Ed.

21. *Ne hoc*, etc. Vult Atticum ita facultatibus suis Tulliam juvare, ut id beneficium ipsi damnosum non sit. Ed.

22. *Quod literas*. Nempe meo nomine scriptas. Ed.

Quintum filium vidi qui Sami vidisset, patrem Sicyone: quorum deprecatio est facilis. Utinam illi, qui prius illum viderint[23], me apud eum velint adjutum tantum, quantum ego illos vellem, si quid possem! Quod rogas, ut in bonam partem accipiam, si qua sint in tuis literis, quæ me mordeant: ego vero in optimam; teque rogo, ut aperte, quemadmodum facis, scribas ad me omnia, idque facias quam sæpissime. Vale. XIV kal. januar.

23. *Viderint.* Male alii *viderent*: nondum enim Cæsarem viderant. Corrad.— Malim ego, *videbunt.* Nam cur potentialis hic ponatur, causa nulla est. Græv. — Sed habent codd. reg. *viderint.* J. V. L.

EPISTOLA VIII.

Petit ut se adversus eos, qui se apud Cæsarem accusent, defendat. Q. fratris iniquam erga se acerbitatem queritur. (Brundisii, anno U. C. 705, mense dec.)

CICERO ATTICO S.

Quantis curis afficiar, etsi profecto vides, tamen cognosces ex Lepta et Trebatio[1]. Maximas pœnas pendo temeritatis meæ; quam tu prudentiam mihi videri vis: neque te deterreo, quo minus id disputes, scribasque ad me quam sæpissime. Nonnihil enim me levant tuæ literæ hoc tempore. Per eos, qui nostra causa volunt, valentque apud illum, diligentissime contendas opus est, per Balbum et Oppium maxime, ut de me scribant quam diligentissime. Oppugnamur enim[2], ut audio, et præsentibus quibusdam, et per

1. *Ex Lepta et Trebatio.* Qui eum Brundisii convenerant, ac deinde Romam profecti erant. Ed.

2. *Oppugnamur enim.* Sunt enim malevoli quidam, qui partim præsentem me apud Cæsarem calumnientur, partim literis eum mihi iratum reddant. Ed.

literas: iis ita occurrendum, ut rei magnitudo postulat. Furnius[3] est illic, mihi inimicissimus. Quintus misit filium non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei. Dictitat se a me apud Cæsarem oppugnari: quod refellit Cæsar ipse, omnesque ejus amici. Neque vero desistit, ubicumque est, omnia in me maledicta conferre. Nihil mihi umquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbum. Qui ex ipso audissent, quum Sicyone palam multis audientibus loqueretur, nefaria quædam ad me pertulerunt. Nosti genus[4], etiam expertus es fortasse: in me id est omne conversum. Sed augeo commemorando dolorem, et facio etiam tibi. Quare ad illud redeo; cura, ut hujus rei causa, dedita opera, mittat aliquem Balbus. Ad quos videbitur, velim cures literas meo nomine. Vale. VI kal. januar.

3. *Furnius.* Malunt Man. et Popma *Fufius*, ut de Caleno Ciceroni infensissimo intelligatur. Nam Caius Furnius, et ante civile bellum et post, amicissimus Ciceroni: nisi qua tunc de eo suspicio Ciceroni injecta fuerit. ED.

4. *Nosti genus.* Nosti quam maledicus, quam iracundus sit: non ignoras quantum in eo soleat esse acerbitatis et iracundiæ virus.

EPISTOLA IX.

Incaute se egisse, quod in Italia vel non manserit, vel celerius redierit, fatetur. Epistolas a Q. fratre ad complures scriptas omnium in se probrorum plenas queritur. Tulliæ fortunam deplorat. (Brundisii, anno U. C. 706, mense januario.)

CICERO ATTICO S.

Ego vero et incaute, ut scribis, et celerius, quam oportuit, feci[1], nec in ulla sum spe; quippe qui exceptionibus[2] edictorum retinear: quæ si non essent

1. *Feci.* Veni in Italiam. CORRAD.

2. *Exceptionibus.* Quibus M. Antonius me et Lælium nominatim excepit. Conf. sup. epist. 7. IDEM.

sedulitate effectæ, et benivolentia tua, liceret mihi abire in solitudines aliquas. Nunc ne id quidem licet [3]. Quid autem me juvat, quod ante initum tribunatum [4] veni, si ipsum, quod veni, nihil juvat? Jam, quid sperem ab eo, qui mihi amicus numquam [5] fuit; quum jam lege [6] etiam sim confectus et oppressus? Quotidie jam Balbi ad me literæ languidiores; multæque multorum ad illum [7], fortasse contra me. Meo vitio pereo. Nihil mihi mali casus attulit; omnia culpa contracta sunt. Ego enim, quum genus belli viderem, imparata et infirma omnia contra paratissimos, sciveram [8] (quid facerem?), ceperamque consilium non tam forte, quam mihi præter ceteros concedendum. Cessi meis, vel potius parui: ex quibus unus qua mente fuerit, is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius literis, quas ad te et ad alios misit; quas ego numquam aperuissem, nisi res acta sic esset. Delatus est ad me fasciculus: solvi, si quid ad me esset literarum. Nihil erat: epistola Vatinio et Ligurio [9] altera: jussi ad eos deferri. Illi ad me statim ardentes dolore venerunt, scelus hominis clamantes; epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. Hic Ligurius furere: se enim scire, summo [10] illum in

3. *Licet.* Ne se repudiari totum Cæsar existimet. Epist. 2. lib. IX. Corr.

4. *Initum tribunatum.* Novi tribuni plebis vetuerunt ne Pompeiani in Italiam venirent. Ed.

5. *Amicus numquam.* Ante cædem Cæsaris, Fulviam, Clodii viduam, Antonius duxerat. Immo ejus mater Lentulo illi, qui cum Catilina conjuraverat, secundum nupserat. Ed.

6. *Lege.* Fortasse a tribuno plebis Dolabella perlata; in qua scriptum esset idem quod in Antonii edicto. Man.

7. *Ad illum.* Ad Cæsarem. Sch.

8. *Quieveram.* Ita Lamb. et Bosius: quum antea legeretur, *iveram.* Sed mavult Grævius, *sciveram*, a *scisco.* *Sciveram*, inquit, est decreveram, constitueram a bello scilicet abstinere. Alii vero *siveram*, a *sino*, non impedieram. — Bessarionis liber, *sciveram;* Manut. *quieram.* Schütz. *sciveram, quod facerem.* J. V. L.

9. *Ligurio.* Cæsaris familiari, qui cum illo in Gallia militaverat. Ed.

10. *Summo.* Id est, Cæsari in Quinto, quum hic illius legatus esset, plurima displicuisse. J. F. Gronov.

odio fuisse Cæsari; illum tamen non modo favisse[11], sed et tantam illi pecuniam dedisse honoris mei causa. Hoc ego dolore accepto, volui scire, quid scripsisset ad ceteros. Ipsi enim illi putavi perniciosum fore, si ejus hoc tantum scelus percrebruisset. Cognovi ejusdem generis: ad te misi; quas si putabis illi ipsi utile esse reddi, reddes; nil me lædet. Nam quod resignatæ sunt, habet, opinor, ejus signum Pomponia. Hac ille acerbitate initio navigationis quum usus esset, tanto me dolore affecit, ut postea jacuerim: neque nunc tam pro se, quam contra me, laborare dicitur. Ita omnibus rebus urgeor: quas sustinere vix possum, vel plane nullo modo possum. Quibus in miseriis una est pro omnibus, quod istam miseram, patrimonio[12], fortuna omni spoliatam relinquam. Quare te, ut polliceris, videre plane velim. Alium enim, cui illam commendem, habeo neminem; quoniam matri quoque eadem intellexi esse parata, quæ mihi. Sed, si me non offendes, satis tamen habeto commendatam, patruumque in ea, quantum poteris, mitigato[13]. Hæc ad te

11. Al. *fovisse*. J.V. L. — *Favisse*, sc. legatus sibi ut esset, decernendo.

12. *Istam miseram patrimonio*. Balliol. «Istam miseram per te patrimonio». Helmst. «Istam miseram partu patrimonio». Latet aliquid. Ciceronem scripsisse censeo: «Quod istam miseram patre, patrimonio, fortuna, omni spoliatam relinquam». Primo raro duo sola verba sine copula a Cicerone junguntur ut hic in vulgatis, «patrimonio, fortuna omni», sed ad minimum tria. Dein ex *per te* levi transpositione literarum et unius literulæ mutatione fit *patre*. Cicero tunc propter accusationem et calumnias, quas frater et ejus filius in suum caput apud Cæsarem effundebant, metuebat bonorum proscriptionem et suorum, et uxoris. Hinc tristiora cogitavit de morte sibi consciscenda. Ideoque Tulliam, tamquam moriturus, commendat Pomponio, et si moriatur, hoc enim est, «si me non offendes», paulo post, antequam Atticus se convenerit, rogat ut commendatam habeat, et ei patruum reconciliet. Itaque hic dolet, quod illam moriens relinquat non solum patre, sed et omnibus bonis privatam, quia æque sua ac uxoris Terentiæ bona proscripturum Cæsarem esse credebat. Puto me vestigia veterum codicum sequutum recte hunc locum restituisse. GRÆV. — Optime hæc explicuit Grævius. SCH.

13. *Mitigato*. Quasi Quintus eodem

die natali[14] meo scripsi: quo utinam susceptus non essem, aut ne quid[15] ex eadem matre postea natum esset! Plura scribere fletu prohibeor.

odio quo fratrem, etiam ejus filiam, persequuturus esset. Ed.

14. *Die natali meo.* III non. jan.

15. *Ne quid.* Significat Q. fratrem.

EPISTOLA X.

De furiosis Quintorum patris et filii erga se odiis; de iis quæ sibi de Africanis rebus et Cæsaris statu nuntiata sint. Crebriores ab Attico literas exposcit. (Brundisii, anno U. C. 706, mense jan.)

CICERO ATTICO S.

Ad meas incredibiles ægritudines aliquid novi accedit ex iis, quæ de Q. Q.[1] ad me afferuntur. P. Terentius, meus necessarius, magnas[2] operas in portu et scriptura[3] Asiæ pro magistro[4] dedit. Is Quintum filium Ephesi vidit VI id. decembr. eumque studiose propter amicitiam nostram invitavit; quumque ex eo de me cunctaretur, eum sibi ita dixisse narrabat, se mihi esse inimicissimum; volumenque sibi ostendisse orationis, quam apud Cæsarem contra me esset habiturus; multa a se dicta contra ejus amentiam; multa postea Patris consimili scelere secum Quintum patrem loquutum: cujus furorem ex iis epistolis, quas

1. *De Q. Q.* Hoc est, de Q. fratre, et de Q. filio.

2. *Magnas.* Id est, qui magnam partem vectigalium conductam tenet, ut proximus sit magistro societatis. Grævius.

3. *In portu et scriptura.* Hoc est, in societate quæ portoria et vectigal agri pascui illius provinciæ conduxerat. Sch.

4. *Pro magistro.* Multi conducebant vectigalia alicujus provinciæ; qui maximam partem conduxerat, toti præficiebatur societati, et dicebatur *magister.* Vide lib. V, ep. 15. Qui vicem ejus gerebat, *pro magistro.* Græv.

ad te misi, perspicere potuisti. Hæc tibi dolori esse certo scio : me quidem excruciant, et eo magis, quod mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto [5]. De Africanis rebus longe alia nobis, ac tu scripseras, nuntiantur. Nihil enim firmius esse dicunt, nihil paratius [6]. Accedit Hispania [7], et alienata [8] Italia; legionum nec vis eadem, nec voluntas; urbanæ res perditæ [9]. Quid est, ubi acquiescam, nisi quam diu tuas literas lego? quæ essent profecto crebriores, si quid haberes, quo putares meam molestiam minui posse. Sed tamen te rogo, ne intermittas scribere ad me, quidquid erit, eosque [10], qui mihi tam crudeliter inimici sunt, si odisse non potes, accuses tamen; non ut aliquid proficias, sed ut me tibi carum esse sentiant. Plura ad te scribam, si mihi ad eas literas, quas proxime ad te dedi, rescripseris. Vale. XII kal. febr.

5. *Puto.* Siquidem alter frater est, alter fratris filius. Cum aliis, si res esset, ulciscerer : cum his ne queri quidem mihi arbitror licere. Man.

6. *Nihil paratius.* Pompeianis, Scipione et Catone, quibuscum rex Juba et Varus se conjunxerant. Ed.

7. *Hispania.* In qua Cn. Pompeius Magni filius bellum adversus Cæsarem instaurabat. Appianus lib. II; Dio lib. XLII et XLIII. Manut. — Sed bellum nondum cœperat. Ergo hic intelligendus Q. Cassius Longinus, qui Hispanos abalienaverat. Vid. de Bell. Alexandr. c. 48. Ed.

8. *Alienata.* Præsertim propter Antonii crudelitatem ac direptiones. Malasp.

9. *Urbanæ res perditæ.* Moribus tribunitiis et rogationibus maxime Dolabellæ, ferentis legem perniciosam de novis tabulis. Ep. 12, 15 et 24. Popma.

10. *Eosque.* Q. fratrem, et Q. filium.

EPISTOLA XI.

Se omnia mala et sustinere et exspectare scribit, petitque ab Attico ut sibi Romæ pecunias curet, et crebo scribere pergat. (Brundisii, anno U. C. 706, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Confectus jam cruciatu maximorum dolorum, ne, si sit quidem, quod ad te debeam scribere, facile id exsequi possim; hoc minus, quod res nulla est, quæ scribenda sit, quum præsertim ne spes quidem ulla ostendatur, fore melius. Ita jam ne tuas quidem literas exspecto: quamquam semper aliquid afferunt, quod velim. Quare tu quidem scribito, quum erit, cui des: ego tuis proximis, quas tamen jam pridem accepi, nihil habeo, quod rescribam. Longo enim intervallo video immutata esse omnia: illa esse firma, quæ debeant[1]; nos stultitiæ nostræ gravissimas pœnas pendere. P. Sallustio curanda sunt H-S xxx, quæ accepi a Cn. Sallustio: velim videas, ut sine mora curentur; de ea re scripsi ad Terentiam. Atque hoc ipsum jam prope consumptum est: quare id quoque velim, cum illa videas, ut sit, qui utamur[2]. Hic fortasse potero sumere, si sciam istic paratum[3] fore;

1. *Debeant.* Firma esse: partes scilicet Pompeianas in Africa se recollegisse et convaluisse. Ideo subnectit, « nos stultitiæ nostræ gravissimas pœnas pendere »: quod scilicet illis tam validis relictis me in Italiam receperim. Græv.

2. *Qui utamur. Qui* ablativi loco tam plurali quam singulari numero veteres ponebant. H. e. id quoque cum illa pecunia provideas, ut cures, ut habeamus argumentum ad ferendos sumptus quotidianos. Sic sæpius ponitur *qui utar*, vel *unde utar*. Plaut. Trinumm. II, 2; Terent. Adelph. V, 9. Vide Gronov. de Pec. Veter. II, 7. Ed.

3. *Paratum.* Quod reddatur. Corr.

sed prius, quam id scirem, nihil sum ausus sumere. Qui sit omnium rerum status noster, vides. Nihil est mali, quod non et sustineam, et exspectem. Quarum rerum eo gravior est dolor, quo culpa major. Ille [4] in Achaia non cessat de nobis detrahere. Nihil videlicet tuæ literæ profecerunt. Vale. VIII id. mart.

4. *Ille*. Q. frater, qui epistolas probrosas de Cicerone scribebat. Ed.

EPISTOLA XII.

De literis ad Cæsarem scriptis; de statu rerum in Africa; de literis suo nomini ad alios ab Attico scribendis; de Galeonis tarditate. (Brundisii, anno U. C. 706, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Cephalio mihi a te literas reddidit a. d. IIX id. mart. vespere. Eo autem die mane tabellarios miseram, quibus ad te dederam literas. Tuis tamen lectis literis, putavi aliquid rescribendum esse; maxime, quod ostendis, te pendere animi, quamnam rationem sim Cæsari allaturus profectionis meæ tum, quum ex Italia discesserim. Nihil opus est mihi nova ratione. Sæpe enim ad eum scripsi, multisque mandavi, non potuisse, quum cupissem [1], sermones hominum sustinere, multaque in eam sententiam. Nihil enim erat, quod minus eum vellem existimare, quam me tanta de re non meo consilio usum esse. Postea, quum mihi literæ a Balbo Cornelio minore missæ essent, illum existimare, Quintum fratrem lituum [2] meæ profectionis fuisse; ita enim scripsit: qui nondum co-

1. Al. *cupiissem*. J. V. L.

2. Fulv. Ursinus in vett. libris reperit *illicium*, quo verbo usus est Varro, de R. R. III, c. 16. Ed.

gnossem, quæ de me Quintus scripsisset ad multos; etsi multa præsens in præsentem acerbe dixerat et fecerat; tamen Nilo meo [3] his verbis ad Cæsarem scripsi:

« De Quinto fratre meo non minus laboro, quam « de me ipso; sed eum tibi commendare hoc meo « tempore non audeo. Illud duntaxat tamen audebo « petere abs te, quod te oro, ne quid existimes ab « illo factum esse, quo minus mea in te officia con- « starent, minusve te diligerem, potiusque semper « illum auctorem nostræ conjunctionis fuisse, meique « itineris comitem, non ducem. Quare ceteris in re- « bus tantum ei tribues, quantum humanitas tua, « amicitiaque vestra postulat. Ego ei ne quid apud te « obsim, id te vehementer etiam atque etiam rogo ».

Quare si quis congressus fuerit mihi cum Cæsare (etsi non dubito, quin is lenis in illum futurus sit, idque jam declaraverit), ego tamen is ero, qui semper fui. Sed, ut video, multo magis est nobis laborandum de Africa, quam quidem tu scribis confirmari [4] quotidie magis ad conditionis spem [5], quam victoriæ. Quod utinam ita esset! sed longe [6] aliter esse intelligo; teque ipsum ita existimare arbitror, aliter autem scribere, non fallendi, sed confirmandi mei causa, præsertim quum adjungatur ad Africam etiam Hispania. Quod me admones, ut scribam ad

3. *Nilo meo.* Reponit Jun. *stylo meo*, idem atque si dixeris, mea ipsius, non autem aliena manu. Muret. vult, « tamen de eo his verbis, ad Cæsarem, etc. » Eo. — Forte, « tamen ultro his verbis ». J. F. Gronov. — Ciceronem puto scripsisse: « tamen nihilo minus his verbis ad Cæsarem scripsi ». Græv. — Sed servandum *Nilo meo*, i. e. per Nilum meum. Hic Nilus libertus fuit Ciceronis, cujus mentio fit epist. 23 huj. lib. Bos.

4. Ernest. malit *converti*. Frustra. J. V. L.

5. *Ad conditionis spem.* Sc. multo magis sperandum esse, ut inter Cæsarem et Pompeianos de pace agatur, quam ut altera utra pars vincat. Sch.

6. *Longe aliter.* Putabat enim Cicero Pompeianos superiores fore.

Antonium, et ad ceteros: si quid videbitur tibi opus esse, velim facias id, quod sæpe fecisti. Nihil enim mihi venit in mentem, quod scribendum putem. Quod me audis fractiorem esse animo, quid putas, quum videas accessisse ad superiores ægritudines præclaras generi actiones[7]? Tu tamen velim ne intermittas, quoad ejus facere poteris, scribere ad me, etiamsi rem, de qua scribas, non habebis: semper enim afferunt aliquid mihi tuæ literæ. Galeonis hereditatem crevi[8]. Puto enim cretionem simplicem[9] fuisse, quoniam ad me nulla missa est. IIX id. mart.

7. *Præclaras generi actiones.* Εἰρωνικῶς. Nam actiones Dolabellæ, qui hoc tempore tribunatum plebis gerebat, turpissimæ erant. Auctor Dio lib. XLI. MAN. — Sc. novas tabulas proponebat in fraudem creditorum. Intercedebat Trebellius, alius rib. pl. unde turbæ. Plutarch. in Anton. Dio, XLII. ED.

8. *Crevi.* Professus sum me eam hereditatem aditurum. Cretio est, ut explicat Ulpian. tit. XXII, 27 seqq. certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi, ad deliberandum utrum expediat ei adire hereditatem necne. SCH.

9. *Simplicem.* Cretio simplex dicitur, quum e pluribus heredibus scriptis, unus cum cretione instituitur, reliqui sine cretione. Itaque quum nulla alia cretio ad Ciceronem perlata esset, ex eo conjiciebat, neminem alium cum cretione institutum fuisse, et cretionem simplicem, id est, sui unius exstitisse. BOSIUS. — De cretione vid. Ulpian. tit. XXII, 27, seqq. ED.

EPISTOLA XIII.

De Pompeianis aliquot Alexandriam profectis, suæque conditionis miseria; de Q. fratris literis ad se scriptis; de coheredibus Fufidianis; de fundo Frusinati redimendo, et suppeditandis sibi pecuniis ad sumptum necessariis; de literis suo nomine ad alios, et ad se ab Attico scribendis. (Brundisii, anno U. C. 706, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

A MURENÆ liberto nihil adhuc acceperam literarum. P. Siser reddiderat eas, quibus rescribo. De

Servii patris literis quod scribis, item, Quintum in Syriam venisse, quod ais, esse qui nuntient; ne id quidem verum est. Quod certiorem te vis fieri, quo quisque in me animo sit, aut fuerit eorum, qui huc venerunt; neminem alieno intellexi. Sed, quantum id mea intersit, existimare te posse [1] certo [2] scio. Mihi quum omnia sunt intolerabilia ad dolorem, tum maxime, quod in eam causam venisse me video, ut ea sola utilia mihi esse videantur, quæ semper [3] nolui. P. Lentulum patrem Rhodi esse aiunt, Alexandriæ filium; Rhodoque Alexandriam C. Cassium profectum esse constat. Quintus mihi per literas satisfacit, multo asperioribus verbis, quam quum gravissime accusabat. Ait enim, se ex literis tuis intelligere, tibi non placere, quod ad multos de me asperius scripserit; itaque se pœnitere, quod animum tuum offenderit; sed se jure fecisse. Deinde perscribit spurcissime, quas ob causas fecerit. Sed neque hoc tempore, nec antea patefecisset odium suum in me, nisi omnibus rebus me esse oppressum videret. Atque utinam vel nocturnis, quemadmodum tu scripseras, itineribus propius te accessissem! Nunc nec ubi, nec quando te sim visurus, possum suspicari. De coheredibus Fufidianis nihil fuit, quod ad me scriberes: nam et æquum postulant [4]; et, quidquid egisses, recte esse actum putarem. De fundo Frusinati redimendo jam pridem intellexisti voluntatem meam: etsi tum meliore loco res erant nostræ, neque desperaturi [5] mihi

1. *Existimare te posse*. Vides enim, nulla re levari posse dolorem meum. Man.

2. *Certo*. Al. *certe*. J. V. L.

3. *Quæ semper nolui*. Nempe Cæsarem rerum potiri: majora enim Cicero a Pompeianis timebat, quos deseruerat. Ed.

4. *Postulant*. Quid postularint, cognosce infra, ep. 14 et 16. Man.

5. *Neque desperaturi*. Sic Ern. *neque tam mihi desperatum iri videban-*

ita videbamur; tamen in eadem sum voluntate. Id quemadmodum fiat, tu videbis. Et velim, quoad poteris, consideres, ut sit, unde nobis suppeditentur sumptus necessarii. Si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, quum id videbamur sapienter facere, detulimus. Itaque tum et a tuo villico sumpsimus, et aliunde mutuati sumus, quum Quintus quereretur per literas, sibi nos nihil dedisse; qui neque ab illo rogati sumus, neque ipsi eam pecuniam adspeximus. Sed velim videas, quid sit, quod confici possit, quidque mihi de omnibus des consilii: et causam nosti[6]. Plura ne scribam, dolore impedior. Si quid erit, quod ad quos scribendum meo nomine putes, velim, ut soles, facias: quotiesque habebis, cui des ad me literas, nolim prætermittas. Vale.

tur Bos. ex MSS quem sequitur Seb. Nostræ lectionis sensus est: Neque mihi videbatur tum nos in eum statum venturos, ut de publicis privatisque rebus nostris sic desperaremus, quemadmodum nunc facimus. Ed.

6. *Causam nosti.* Tu nosti quomodo se res habeat mea familiaris, emendasne sit fundus Frusinas, necne: nosti quibus sumptibus opus habeam ad me meosque tuendos; quos fructus nunc ceperim ex meis prædiis, qui sint exspectandi. *Causa* hic est rerum status. Man.

EPISTOLA XIV.

Scribit se de salute sua gravius periclitari. Q. fratris in se animum nihilo meliorem esse: ad Minucium de pecuniis sibi solvendis scripsisse: Atticum se cupide exspectare. (Brundisii, anno U. C. 706, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Non me offendit veritas literarum tuarum, quod me, quum communibus, tum præcipuis malis oppressum, ne incipis[1] quidem, ut solebas, consolari,

1. *Incipis.* I. e. instituis, conaris. Ed.

faterisque id fieri jam non posse. Nec enim ea sunt, quæ erant antea, quum, ut nihil aliud, comites me et socios[2] habere putabam. Omnes enim Achaici deprecatores[3], item qui in Asia, quibus non erat ignotum[4], etiam quibus erat, in Africam dicuntur navigaturi. Ita præter Lælium, neminem habeo culpæ socium: qui tamen hoc meliore in causa est, quod jam est receptus[5]. De me autem, non dubito, quin ad Balbum et ad Oppium scripserit: a quibus, si quid esset lætius, certior factus essem; tecum etiam essent loquuti: quibuscum tu de hoc ipso colloquare velim, et ad me, quid tibi responderint, scribas: non quod ab isto salus data quidquam habitura sit firmitudinis; sed tamen aliquid consuli et prospici poterit. Etsi omnium conspectum horreo, præsertim hoc genero[6]; tamen, in tantis malis quid aliud velim, non reperio. Quintus pergit[7], ut ad me et Pansa scripsit, et Hirtius; isque item Africam petere cum ceteris dicitur. Ad Minucium Tarentum[8] scribam, tuas literas mittam[9]: ad te scribam, numquid egerit. H-S xxx potuisse mirarer, nisi multa de Fufidianis prædiis. Et id

2. *Comites et socios.* Nempe reditus in Italiam.

3. *Achaici deprecatores.* Pompeiani, qui in Achaia erant. Ern.

4. *Ignotum.* Participium ab *ignosco.* Ita alicubi apud Cæsarem. Id est, partim quibus dedit nondum veniam Cæsar, partim quibus jam dedit. J. F. Gronov. — Et hoc probat J. V. L. Mongaltius tamen intelligit de his qui non noverunt rerum statum, et de his qui noverunt: nempe Cæsarem in Ægypto se male habere, et Pompeianorum vires in Africa crescere. Ed.

5. *Receptus.* A Cæsarianis. Man.

6. *Hoc genero.* P. Cornelio Dolabella. Idem.

7. *Quintus pergit.* Sc. maledicta in me conferre. Ed.

8. *Tarentum.* Sic præclare locum restituit Gronovius, quum olim esset *parentem*, nullo sensu. Ed. — Cicero petebat sibi pecuniam curari qua uteretur Brundisii. Illam Atticus curavit per Minucium argentarium Tarentinum, qui in vicinia erat. Græv.

9. *Tuas literas mittam.* Quibus ad eum scribis, ut mihi usque ad H-S xxx curet, tantumdem te Minucio filio Romæ numeraturum. Minucius tamen xii sola curavit, ut ex epistola quæ proxime sequitur, apparet. Sch. — Mox « H-S xxx posuisse mirarer », sc. ex proventibus meis redigere. Ed.

video[10] tamen. Te exspecto[11]; quem videre, si ullo modo[12] potest[13] (poscit enim res), pervellem. Jam extremum[14] concluditur. Tibi facile est, quid, quale sit gravius, existimare. Vale.

10. *Et id video.* Mirarer tot millia e rerum mearum venditione cogi potuisse, nisi viderem potuisse multa confici de prædiis Fufidianis. Etsi id video, tuum tamen auxilium exspecto: ac te ipsum videre omnino vellem: eo enim loco res est, ut tua mihi prudentia et consilio valde sit opus. Oliv. — Al. « Te adhuc ideo tamen exspecto: q. v. » quod Schütz. ineptum visum est. J. V. L.

11. *Te exspecto.* Hoc est, ut modo interpretabar: Exspecto auxilium tuum. Et sane, si Atticum exspectat ipsum, quo sensu bono subjungit: Te, si *ullo* fieri *modo* posset, *videre pervellem*? An hominem exspectas eo ipso tempore, quo nescis an ullo modo possit venire? Exspectabat ergo Atticum fore tutorem ac defensorem fidei atque existimationis suæ; quod ut faceret, ab ipso petierat superioribus epistolis. Oliv.

12. Al. « si ullus modus ». J. V. L.

13. *Potes venire.* Ita Victorius ediderat, anno 1571. Ita Manutius deinde, ac Lambinus. Quod cur fuerit a Bosio mutatum in « si ullo modo pote (est enim res), » vel a Grævio in « si ullo modo potest, poscit enim res », viderint alii. Oliv.

14. *Jam extremum.* En illa causa, cur videre Atticum pervellet. Scipio, Cato, et ceteri jactabantur propediem cum immensis copiis adfuturi, et Italiam invasuri: hoc nuntio territus, Jam ultimum, inquit, adest discrimen; res moram non fert; statuendum denique est mihi, quid sequi, quale amplecti consilium velim: quapropter tecum colloqui vellem: quoniam *tibi* facilius est existimare, quid, quale sit magis consentaneum gravitati et constantiæ, magis cum dignitate conjunctum. Sententiam hanc inculcavit sæpe hactenus. Alii *gravius* intelligunt magis incommodum. Oliv. tamen malit *ibi*, sc. Romæ. Ed.

EPISTOLA XV.

Queritur, quum omnium aliorum, qui a Pompeii partibus steterint, ratio exitum habeat, suam nullum habere. Cur de Fufidianis prædiis nihil potuerit confici, quærit. (Brundisii, anno U. C. 706, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Quoniam justas causas affers, quod te hoc tempore videre non possim, quæso, quid sit mihi faciendum.

Ille enim[1] ita videtur Alexandriam tenere, ut eum scribere etiam pudeat[2] de illis rebus. Hi autem[3] ex Africa jam affuturi[4] videntur; Achæi[5] item ex Asia redituri ad eos, aut libero aliquo loco commoraturi. Quid mihi igitur putas agendum? video difficile esse consilium. Sum enim solus, aut cum altero[6], cui neque ad illos[7] reditus sit, neque ab his ipsis quidquam ad spem ostendatur. Sed tamen scire velim, quid censeas; idque erat cum aliis, cur te, si fieri posset, cuperem videre. Minucium XII[8] sola curasse, scripsi ad te antea: quod superest, velim videas, ut curetur. Quintus non modo non cum magna prece ad me, sed acerbissime scripsit; filius vero mirifico odio. Nihil fingi potest mali, quo non urgear. Omnia tamen sunt faciliora, quam peccati dolor, qui et maximus est, et æternus: cujus peccati si socios essem habiturus ego, quos putavi, tamen esset consolatio tenuis. Sed habet aliorum[9] omnium ratio exitum,

1. *Ille enim*. Cæsar. Sch. malit. « Illum... Alexandria ». Alludit ad Cleopatram, Ptolemæi sororem, pro qua Cæsar bellum gessit. J. V. L. — Ad hunc locum adducit *Montesquieu*, *Grand. et Décad.* cap. 11, « quoi que l'on ait dit de sa diligence après Pharsale, Cicéron l'accuse de lenteur avec raison. Il dit à Cassius qu'il n'aurait jamais cru que le parti de Pompée se fût ainsi relevé en Espagne et en Afrique..... un fol amour lui fit essuyer quatre guerres, etc. » Ipse *Montesquieu* conferri jubet epist. ad Cassium ad Div. XV, 15. Hoc confirmant hujus libri extremæ epp. Ed.

2. *Ut eum scribere etiam pudeat de illis rebus.* Nam si bellum Cæsar confecisset, non puderet illum scribere. Corr.

3. *Hi autem.* Pompeiani. Idem.

4. *Affuturi.* In Italiam venturi. Idem.

5. *Achæi.* Achæos vocat obscurius et rectius, qui in Achaiam fugerant post prælium Pharsalicum. Hæc vero loquendi genera Ciceroni ad Atticum scribendi frequentia esse nemo potest ignorare, nisi qui numquam hoc epistolarum volumen inspexit. Græv.

6. *Aut cum altero.* Hunc Manutius esse D. Lælium conjicit. Ed.

7. *Illos.* Pompeianos: *his ipsis*, Cæsarianis. Manut.

8. *XII.* H-S. de hoc, ep. superiore. Idem.

9. *Aliorum.* Ceteri Pompeiani, qui in Africam non iverunt, excusari omnes aliqua re possunt, ego nulla. Itaque illi reditum habent ad suos, quem

mea nullum. Alii capti, alii interclusi non veniunt in dubium de voluntate, eo minus scilicet, quum se expedierint, et una esse cœperint. Ii autem ipsi, qui sua voluntate ad Fufium [10] venerunt, nihil possunt, nisi timidi, existimari. Multi autem sunt, qui, quicumque sunt, modo [11] ad illos se recipere volent, recipientur. Quo minus debes mirari, non posse me tanto dolori resistere. Solius enim meum peccatum corrigi non potest, et fortasse Lælii. Sed quid me id levat? C. quidem [12] Cassium [13] aiunt consilium Alexandriam eundi mutavisse. Hæc ad te scribo, non ut queas tu demere sollicitudinem, sed ut cognoscam, ecquid tu ad ea afferas, quæ me conficiunt : ad quæ gener accedit, et cetera, quæ, fletu reprimor, ne scribam. Quin etiam Æsopi filius [14] me excruciat. Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Sed ad primum revertor: quid putes faciendum; occultene aliquo propius veniendum, an mare transeundum. Nam hic maneri

ego me habere non puto, qui publicam causam, quum in Italiam veni, quasi prodidisse videor. Man.

10. *Fufium*. Q. Fufium Calenum, quem Cæsar, victo in Pharsalia Pompeio, Achaiæ præfecerat : et est is, ut opinor, qui Ciceroni post Cæsaris obitum acerrime in senatu in M. Antonium invehenti, respondit. Idem.

11. Duo MSS regii, « quocumque sunt modo ». Unde Lallem. « quocumque modo ad illos se, etc. » J. V. L.

12. Idem, e MSS duobus, « Nam C. quidem ». J. V. L.

13. *Cassium*. Rumor fuerat, Cassium ad Cæsarem Alexandriam ire, ut deprecaretur. Quod omnino Ciceronis causam aliqua ex parte sublevasset : quum et alios esse constaret, qui victori se crederent. Hic quoque, inquit, consilium mutasse dicitur : ut præter Lælium, culpæ socium habeam neminem. Corr. — Plutarchus et Appianus tradunt Cassium obvium fuisse Cæsari Alexandriam eunti, et Pompeii cædem ignoranti; et quum Cæsarem vincere potuisset ejus veniam implorasse. Sed mavult Mongaltius Cassium Cæsari demum occurrisse, quum is Alexandria in Pontum profectus est ad Pharnacem oppugnandum. Ed.

14. *Filius*. Cui pater, Comœdus ille insignis, Ciceronis familiaris (ad Q. fr. I, 2; de Divin. I, 37) ducenties H-S reliquit. Macrob. Saturn. lib. III. Filius luxuria perditus, et paternorum bonorum decoctori; Horat. Sat. II, 3, 239; Plin. IX, 35. Dolabella socius in adulteriis pellicum, ut Metellæ, infra ep. 23.

diutius non potest. De Fufidianis quare nihil potuit confici [15]? genus enim conditionis ejusmodi fuit, in quo non solet esse controversia; quum ea pars, quæ videtur esse minor, licitatione expleri [16] posset. Hæc ego non sine causa quæro : suspicor enim, coheredes dubiam nostram causam [17] putare, et eo rem in integro esse. Vale. Pridie idus mai.

15. *Nihil.... confici.* Nempe Atticus scripserat Ciceronem errasse, quod putasset magnam partem illorum H-S xxx e Fufidianis prædiis rediisse. Sch.

16. *Expleri.* Quum hereditas dividi commode non potest, propter coheredum non æquas partes, ad licitationem confugitur; quæ certior est, quam æstimatio. Ita, omnium bonorum reperto pretio, expletur ea, quæ minor esse videtur, pars hereditatis. Man.

17. *Nostram causam.* Causam nostri reditus a Cæsare impetrandi. Corr. — Malim intelligere, vereri ne mea bona Cæsaris jussu publicentur, ideoque nondum communem hereditatem dividere voluisse. Ed.

EPISTOLA XVI.

De epistola Cæsaris, vel ad se ipsum, vel ad alium de se scripta; de literis ad Q. fratrem scribendis; de Terentiæ testamento ex fide ejus in suspicionem adducta. (Brundisii, anno U. C. 706, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Non meo vitio fit, hoc quidem tempore (ante enim est peccatum), ut me ista [1] epistola nihil consoletur. Nam et exigue [2] scripta est, et suspiciones magnas habet, non esse ab illo [3]; quas animadvertisse te existimo. De obviam itione ita faciam, ut suades. Neque

1. *Ista.* Mihi missa, tamquam a Cæsare scripta. Ed.

2. *Exigue.* Non de stylo agitur : sed quia nihil certum promittebatur. Ed.

3. *Ab illo.* A Cæsare. A qua epistolam illam scriptam non fuisse, ostendit ep. 17. « Intelligis : illud de literis ad v. idus februar. datis non verum esse ». Ac sane fieri potest, ut Oppius eam, aut aliquis alius scripserit; ne Cicero, desperatione adductus, rursus ex Italia discederet. Manut.

enim valde de adventu[4] ejus opinio est; neque, si qui ex Asia veniunt, quidquam auditum esse dicunt de pace: cujus ego spe in hanc fraudem incidi. Nihil video, quod sperandum putem, nunc præsertim, quum ea plaga in Asia[5] sit accepta, in Illyrico[6], in Cassiano negotio[7], in ipsa Alexandria[8], in Urbe[9], in Italia[10]. Ego vero, etiamsi rediturus ille est, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditum ejus negotium[11] confectum iri puto. Quod autem scribis, quamdam lætitiam bonorum esse commotam, ut sit auditum de literis[12]; tu quidem nihil prætermittis, in quo putes aliquid solatii esse: sed ego non adducor, quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterem ab illo[13], et eo minus, quod hujus consilii jam ne socium quidem habeo quem-

4. Lamb. «ulla de adventu», multis probantibus. J. V. L.

5. *In Asia*, etc. Enumerat, quot in locis parum secunda Cæsaris fortuna fuerit. *In Asia*: quum Pharnaces Mithridatis filius, pugna cum Cnæo Domitio Calvino Asiæ præfecto prospere facta, Pontum occupavit. Plutarch. in Cæsar. Appian. B. C. II. Ed.

6. *In Illyrico*. Ubi A. Gabinius, post pugnam Pharsalicam, frustra per Illyriam Cæsari se conjungere tentavit, et a M. Octavio victus, paulo post Salone mortuus. Hirt. de Bel. Alex. c. 43. Ed.

7. *In Cassiano negotio*. Quum Cassius, et Marcellus, Cæsaris in ulteriore Hispania præfecti, dissensione orta, et militum seditione facta, bellum aliquandiu inter se gesserunt. Dio, XLII. Ed.

8. *Alexandria*. Quum Cæsaris milites perturbati, et ab Alexandrinis loco pulsi, legionariis circiter quadringentis, et classiariis ac remigibus fere totidem amissis, in naves refugerunt; Cæsar autem ipse, magno in periculo versatus, natatione sibi consulere coactus est. Man.

9. *In Urbe*. Propter contentiones tribunorum plebis, et ambitionem tribunorum militum. Hirtius, lib. IV. Idem.

10. *Italia*. Seditione militum Cæsarianorum et per Antonium. Philip. II, 25. Ed.

11. *Negotium*. Illos, qui in Africa resuscitarunt partes, Italiam et Urbem occupaturos. Quod magnopere auctor erat Cato, et se ducem ejus expeditionis offerebat. Idque, quod optimum erat, Cicero futurum putabat. Sed derisit Catonis consilium Scipio. Plutarchus in Catone. J. F. Gronov.

12. *De literis*. Ad me a Cæsare missis, et meæ causæ faventibus: de quibus initio loquitur epistolæ. Ed.

13. Est a Manutio. Edd. pr. et MSS fere, *ullo*, quod Victorius et Lambin. servavere. J. V. L.

quam. Qui in Asia sunt, rerum exitum exspectant. Achaici etiam Fufio spem deprecationis afferunt [14]. Horum et timor idem fuit primo, qui meus, et constitutum [15]. Mora Alexandrina causam illorum correxit, meam evertit. Quamobrem idem a te nunc peto, quod superioribus literis, ut, si quid in perditis rebus dispiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres. Si recipior ab his, quod vides non fieri; tamen, quoad bellum erit, quid agam, aut ubi sim, non reperio : sin jactor, eo minus. Itaque tuas literas exspecto; easque ut ad me sine dubitatione scribas, rogo. Quod suades, ut ad Quintum scribam de his literis [16], facerem, si me quidquam istæ literæ delectarent. Etsi quidam scripsit ad me his verbis : « Ego, ut in his malis, Patris sum non invitus; essem libentius, si frater tuus ea de te loqueretur, quæ ego audire vellem ». Quod ais illum ad te scribere, me sibi nullas literas remittere; semel ab ipso accepi. Ad eas Cephalioni dedi, qui multos menses tempestatibus retentus est. Quintum filium ad me acerbissime scripsisse, jam ante ad te scripsi. Extremum est, quod te orem, si putas rectum esse, et a te suscipi posse, cum Camillo communices, ut Terentiam moneatis de testa-

14. *Afferunt.* Puto legendum esse *auferunt.* Puto tamen, non censeo. Videtur enim et *afferunt* posse retineri; ut sit : Etiam spem afferunt, spem quidem adhuc Fufio afferunt, ituros se ad Cæsarem, ut deprecentur; non tamen eunt. MAN. — Schütz. cum Gronov. legit *differunt.* Ovid. XI Metam. 306 : « Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo ». Sententia est, spem dederant Fufio Achaiæ præfecto deprecandi Cæsaris : non exsequuntur, sed morantur et se sustinent. J. F. GRONOV.

15. *Constitutum.* Deliberatio. Nam constituerunt, Cæsari se committere : sed, interposito Alexandrino bello, et Cæsaris rebus in discrimen adductis, integrum sibi reservarunt, belli exitum exspectantes. Itaque mora Alexandrina effectum est, ut eorum causa quasi corrigeretur, ut eorum culpa minueretur, siquidem nihil fecerunt quod Pompeianos qui in Africa bellum renovant, gravius offenderet. MAN.

16. *Quod suades, ut... scribam de his literis.* Quæ mihi a Cæsare redditæ sunt. MAN.

mento [17]. Tempora monent, ut videat, ut satisfaciat, quibus debeat. Auditum ex Philotimo est, eam scelerate quædam facere. Credibile vix est. Sed certe si quid est, quod fieri possit, providendum est. De omnibus rebus velim ad me scribas, et maxime quid scribas [18] de eo [19], in quo tuo consilio egeo, etiamsi nihil excogitas; id enim mihi erit pro [20] desperato. III nonas jun.

17. *De testamento.* Videtur tunc de ea re Cicero cum ea convenisse. Attic. XII, 18. Terentia autem quinquaginta annos post suum testamentum vixit. Val. Max. VIII, 13. Ed.

18. *Scribas.* Manutius conjiciebat, *sentias.* Corradus, *scias.* Nihil horum Faerni exemplar habuit. Sch. omittit *quid scribas.*

19. *De eo.* Ernest. et J. V. L. sic malunt. Vulgo, *de ea:* pertineret ad Terentiam, de qua hic non amplius agitur, sed potius de universo statu suo. Repetit enim quod supra bis verbis enuntiaverat: « a te peto, quod sup. etc. » Ed.

20. *Pro desperato.* Alii, *pro explorato*, fere eodem sensu. Ed.

EPISTOLA XVII.

Breviter Tulliam advenisse nuntiat, et quid de Cæsaris rebus audierit, refert. (Brundisii, anno U. C. 706, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Properantibus tabellariis alienis hanc epistolam dedi; eo brevior est, et, quod eram missurus meos. Tullia mea venit ad me pridie idus jun. deque tua erga se observantia benivolentiaque mihi plurima exposuit, literasque reddidit trinas. Ego autem ex ipsius virtute, humanitate, pietate non modo eam voluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui; sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in tam misera fortuna [1] versari, idque accidere

1. *In tam misera fortuna.* Scilicet inopia, quam Tulliæ timebat Cicero, propter dotem a Dolabella ejus marito dissipatam. Sch.

nullo ipsius delicto, summa culpa mea[2]. Itaque a te neque consolationem jam, qua cupere te uti video, nec consilium, quod capi nullum potest, exspecto; teque omnia quum superioribus sæpe literis, tum proximis tentasse intelligo. Ego cum Sallustio[3] Ciceronem ad Cæsarem mittere cogitabam. Tulliam autem, non videbam esse causam, cur diutius mecum tanto in communi mœrore retinerem. Itaque matri eam, quum primum per ipsam liceret, eram remissurus. Pro ea, quam ad modum consolantis scripsisti, ὦ τὰν[4], ea putato me scripsisse, quæ tu ipse intelligis responderi potuisse. Quod Oppium tecum scribis loquutum, non abhorret a mea suspicione ejus oratio: sed non dubito, quin istis persuaderi nullo modo possit, ea, quæ faciant, mihi probari posse, quoquo modo loquar. Ego tamen utar moderatione, qua potero. Quamquam, quid mea intersit, ut eorum odium subeam[5], non intelligo. Te justa causa impediri, quo minus ad nos venias, video; idque mihi valde molestum est. Illum[6] ab Alexandria discessisse, nemo

2. *Summa culpa mea.* Qui Dolabellæ ingenium et conditionem accuratius perscrutari debuissem, antequam ei filiam despondissem. Sch.

3. *Cum Sallustio.* Cn. Sallustio amico. Sch.

4. Ὦ τάν. Locus in codd. mire corruptus. Olivet. ex Bosio dat πραότατα, id est, *lenissime.* Ejus, inquit, epistolæ loco, quam instar consolantis ad me scripsisti *lenissime*, putato ea me tibi rescripsisse, quæ tu intelligis potuisse responderi. Quum Cicero gravi mœrore conficeretur qua de suis, qua de Tulliæ miseriis, Atticus eum lenissimis literis consolatus fuerat, quibus quum Cicero non rescriberet, mandavit Atticout, ipse sibi ita responsum putaret, ut in ea responsione desiderari nihil posset. Ceterum πραότατα attice dictum est pro πραοτάτως. Bos. — Sed, inquit Grævius, Ciceronem sic scripsisse quis præstabit? Nemo, inquam, sanus. Oliv. — Grævii expressimus lectionem, ad codicum vestigia conformatam. Trinas epistolas ab Attico acceperat Cicero. Pro ea quam « ad modum consolantis » scripserat, Cic. ait se nihil habere, quod respondeat: itaque rogat Atticum, ut, quæ ipse intelligat Ciceronem respondere potuisse, ea a se responsa esse putet. Ed.

5. *Subeam.* Lege, « ut eorum odium non subeam ». Quid proficiam illorum offensionem vitando. J. F. Gronov.

6. *Illum.* Cæsarem. Ed.

nuntiat; constatque, ne profectum quidem illinc[7] quemquam post idus mart. nec post idus decembr. ab illo datas ullas literas. Ex quo intelligis, illud[8], de literis a. d. v id. febr. datis (quod inane esset[9], etiamsi verum esset), non verum esse. L. Terentium discessisse ex Africa scimus, Pæstumque[10] venisse. Quid is afferat, aut quo modo exierit, aut quid in Africa fiat, scire velim. Dicitur enim per Nasidium emissus[11] esse. Id quale sit, velim, si inveneris, ad me scribas. De H-S x, ut scribis, faciam. Vale. XIIX kalend.[12] quint.

7. Al. *illim*. J. V. L.

8. Al. «Ex quo illud intelligis, illud». J. V. L.

9. *Inane esset*. Respicit ad literas de quibus initio proxime superioris epistolæ. Etiamsi verum esset Cæsarem eas scripsisse, tamen apud me non magni ponderis essent, quoniam exigue et, ut ita dicam, frigide scriptæ sunt. Ed.

10. *Pæstum*. Lucaniæ oppidum. Quondam dicta fuit Posidonia, donec Romanorum colonia fuit, ann. U. C. 380. Epit. Liv. XIV; Vell. Paterc. I, 14. Ed.

11. *Emissus*. Ex Africa; ex qua Pompeiani neminem exire patiebantur, ne de copiis eorum, aut de consiliis Cæsar scire posset. Nasidius autem fecerat, ut exire Terentio liceret. Man.

12. *XIIX kalend*. Legend. *XVII*, quod vidit Mougalt. Tunc enim junio novem et viginti dies fuerunt. Ed.

EPISTOLA XVIII.

Filium se jam non, ut constituerat, ad Cæsarem missurum, sibique molestissimum esse Brundisii diutius commorari significat. (Brundisii, anno U. C. 706, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

De illius[1] Alexandria discessu, nihil adhuc rumoris, contraque opinio, valde esse impeditum. Itaque nec mitto, ut constitueram, Ciceronem, et te rogo, ut

1. *Illius*. Cæsaris. Ed.

me hinc expedias : quodvis enim supplicium levius est hac permansione. Hac de re et ad Antonium scripsi, et ad Balbum, et ad Oppium. Sive enim bellum in Italia futurum est, sive classibus utetur[2]; hic esse me, minime convenit : quorum fortasse utrumque erit; alterum certe. Intellexi omnino ex Oppii sermone, quem tu mihi scripsisti, quæ istorum via esset[3] : sed, ut eam flectas, te rogo. Nihil omnino jam exspecto, nisi miserum. Sed hoc perditius, in quo nunc sum; fieri nihil potest. Quare, et cum Antonio loquare, velim, et cum istis; et rem, ut poteris, expedias; et mihi quam primum de omnibus rebus rescribas. Vale. XII kal. quint.

2. *Utetur.* Cæsar : non exspectans, ut in Italiam trajiciant. Ed.

3. *Quæ istorum via esset.* De me. Nam si ad copias referatur, videatur petere Cicero ab Attico, ut flectat viam, ne copiæ Brundisium veniant : quod nec Cicero petiisset, nec Atticus facere potuisset. Corr.

EPISTOLA XIX.

Petit, ut crebriores epistolas mittat, in primis si quid de pace agi possit. (Brundisii, anno U. C. 706, mense junio*.)

CICERO ATTICO S.

Quum tuis dare possem literas, non prætermisi; etsi quod[1] scriberem, non habebam. Tu ad nos et rarius scribis, quam solebas, et brevius : credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire posse. Verumtamen velim, si quid erit, qualecumque erit, scribas. Est autem unum, quod mihi sit

* *Junio.* Hujus libri extremæ septem epist. non recto ordine veniunt in edd. et MSS quos tamen sequimur, ne in iis citandis confusio enascatur. Mongalt. sic, quoad temporum seriem, disponendas putavit : 25, 23, 19, 24, 20, 21, 22. Ed.

1. Al. *quid.* J. V. L.

optandum, si quid agi de pace[2] possit : quod nulla equidem habeo in spe; sed, quia tu leviter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum vix est. Philotimus dicitur id ib. sext[3]. Nihil habeo de illo amplius. Tu, velim, ad ea mihi rescribas, quæ ad te antea scripsi : mihi tantum temporis satis est, dum, ut in pessimis rebus, aliquid caveam, qui nihil umquam cavi. Vale. XI kal. sext.

2. *De pace.* Inter Cæsarem et Pompeianos. Sch.

3. *Dicitur idibus sext.* Scil. affuturus, cum Cæsaris ad me literis. Affuit autem Philotimus pridie idus, ut ex duabus epistolis ad Terentiam, ad Divers. lib. XIV, 23 et 24, manifestum est. Manut.

EPISTOLA XX.

A Cæsare Quintum fratrem veniam impetrasse, eumque multis aliis ignovisse, nuntiat; deque ejus adventu mox exspectato scribit. (Brundisii, anno U C. 706, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Septimo decimo kal. sept. venerat die XXIIX Seleucia Pieria[1] C. Trebonius[2], is[3], qui se Antiochiæ diceret apud Cæsarem vidisse Quintum filium cum Hirtio; eos de Quinto, quæ voluissent, impetrasse nullo quidem negotio. Quod ego magis gauderem, si ista nobis impetrata quidquam ad spem explorati haberent. Sed et alia timenda sunt, ab aliisque, et ab hoc ipso. Quæ dantur, ut a domino, rursus in ejusdem sunt potestate. Etiam Sallustio[4] ignovit. Omnino dicitur ne-

1. *Seleucia Pieria.* Ptolemæus tres Seleucias facit, e quibus Seleucia Pieria cognominatur, quæ ad Euphratem est. De qua Strabo lib. XVI; Plinius lib. V, cap. 12. Popma.

2. *C. Trebonius.* Eques romanus, de quo sæpe Cæsar in Bell. Gallico; non is, qui anno superiore prætor, et tunc Hispaniæ ulterioris præfectus.

3. Abest *is*. J. V. L.

4. *Sallustio.* Cneo, qui Bibuli in Syria quæstor fuit. Ed.

mini negare : quod ipsum est suspectum [5], notionem [6] ejus differri. M. Gallius, Q. F. mancipia Sallustio reddidit. Is [7] venit, ut legiones in Siciliam traduceret: et [8] protinus iturum [9] Cæsarem Patris. Quod si faciet, ego, quod ante mallem, aliquo propius accedam. Tuas literas ad eas, quibus a te proxime consilium petivi, vehementer exspecto. Vale. XVI kal. sept.

5. *Suspectum*. Si nunc aliquibus ignosceret causa eorum cognita, iis, quibus ignovisset, nihil amplius timendum esset. Quum vero omnibus ignoscat incognita causa, suspectum videtur esse. Nam omnino causam eorum, qui cum Pompeio fuerunt, illum diligentius aliquando cogniturum verisimile est. Ed.

6. MS Ursini, *cognitionem*. J.V. L.

7. *Is*. Nempe Gallius, qui in exercitu Cæsaris tribunus erat. Ed.

8. Correxit Lallem. e MSS regiis, *eos*. J. V. L.

9. *Iturum*. Nuntiat Sallustius, vel arbitrantur homines. Corr. — Cæsar tunc in Asia erat, unde in Græciam iturus. Ed.

EPISTOLA XXI.

De Q. fratris epistola; de Terentiæ testamento; de Cæsaris adventu; denique se nihil aut facere se dignum, aut simulare posse queritur. (Brundisii, anno U. C. 726, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Accepi VI kal. sept. literas a te, data XII kal. doloremque, quem ex Quinti scelere jam pridem acceptum jam abjeceram, lecta ejus epistola [1] gravissimum cepi. Tu etsi non potuisti ullo modo facere, ut mihi illam epistolam non mitteres; tamen mallem, non esse missam. Ad ea autem, quæ scribis de testamento, videbis, quid, et quo modo. De nummis et illa [2] sic scripsit, ut ego ad te antea; et nos, si quid opus erit, utemur

1. *Lecta ejus epistola*. A Quinto ad Cæsarem scripta, quam in eodem fasciculo Atticus per Balbi tabellarium miserat. Sch. male intelligit de epistola Quinti ad M. fratrem. Ed.

2. *Illa*. Terentia. Conf. ep. 24. Ed.

ex eo, de quo scribis. Ille[3] ad kal. sept. Athenis non videtur fore. Multa eum in Asia dicuntur morari, maxime Pharnaces[4]. Legio XII, ad quam primum Sulla venit[5], lapidibus egisse hominem dicitur. Nullam putant se commoturam. Illum arbitrantur protinus Patris in Siciliam. Sed, si hoc ita est, huc veniat[6] necesse est. Ac mallem illum[7]. Aliquo enim hinc evasissem[8]. Nunc metuo, ne sit exspectandum; et cum reliquis etiam loci gravitas hic miserrime perferenda. Quod me mones, ut ea videam, quæ ad tempus accommodem, facerem, si res pateretur, et si ullo modo fieri posset. Sed in tantis nostris peccatis, tantisque nostrorum[9] injuriis, nihil est, quod aut facere dignum nobis, aut simulare possim. Sullana confers; in quibus omnia genere ipso præclarissima[10] fuerunt, moderatione paullo minus temperata. Hæc autem ejusmodi sunt, ut obliviscar mei[11]; multoque malim, quod omnibus sit melius, quorum utilitati meam junxi. Tu ad me tamen velim quam sæpissime scribas, eoque magis, quod præterea nemo scribit: ac si

3. *Ille*. Cæsar. Ed.

4. *Pharnaces*. Qui Pontum occupaverat, et excussurus sine bello non videbatur. Manut.

5. *Venit*. Ut legiones in Siciliam traduceret: quo Cæsar Patris iturus erat. Idem.

6. *Veniat*. Cæsar, ad sedandos tumultus militum, qui nolunt ante in Siciliam trajicere, nisi præmiis acceptis.

7. *Mallem illum*. Mallem illum (Cæsarem) prius venisse. Corr. — Videtur omnino perspexisse Corradus id, quod exprimere noluit Cicero, et volebat intelligi: neque aliam admittunt interpretationem ea quæ sequuntur. Hoc ergo ait: Si prius Cæsar venisset, cum eo colloquutus, alium mihi receptum quæsissem, ac jamdudum molestia carerem hujus commorationis. Oliv. — Mongalt. et J. V. L. interpretantur: Mallem illum non venire. Rectius, ut opinor. Ed.

8. Al. « aliquo enim modo h. e. ». Fr. Junius e libris suis sic edidit, « Ac mallem illum aliquo. Nam hinc evasissem ». Schütz. « alio quo »: subaud. iret Cæsar. Tum enim sine ejus venia Brundisio evasissem. J. V. L.

9. *Nostrorum*. Q. Q. et fortasse Terentiæ.

10. *Præclarissima*. Quia in ejus causa optimates et boni cives fuerunt.

11. Abest *mei*. Addidit Manutius; probant Grævius, Ernest. alii. J. V. L.

omnes, tuas tamen maxime exspectarem. Quod scribis, illum per me Quinto fore placatiorem, scripsi ad te antea, eum statim Quinto filio omnia tribuisse, nostri nullam mentionem. Vale.

EPISTOLA XXII.

Q. epistolas ab Attico missas sibi redditas esse. Cæsarem adventare nuntiat; petitque, ut se Atticus consilio juvet, an propius ad Urbem accedendum sit. (Brundisii, anno U. C. 706, mense septembri.)

CICERO ATTICO S.

Diligenter mihi fasciculum reddidit Balbi tabellarius. Accepi enim a te literas, quibus videris vereri, ut epistolas[1] illas acceperim: quas quidem vellem mihi numquam redditas. Auxerunt enim mihi dolorem; nec si in aliquem incidissent, quidquam novi attulissent. Quid enim tam pervulgatum, quam illius in me odium, et genus hoc literarum? quod ne Cæsar quidem[2] ad istos videtur misisse, quo[3] illius improbitate offenderetur, sed, credo, uti notiora nostra mala essent. Nam quod te vereri scribis, ne illi obsint[4],

1. *Epistolas.* Q. Cicero epistolas contra Marcum fratrem scripserat ad Cæsarem: Cæsar illas ad Oppium et Balbum misit: illi Attico dederunt. Atticus ad M. Ciceronem curavit perferendas. Man.

2. *Quod ne Cæsar quidem.* Quod genus literarum a Quinto ad Cæsarem scriptarum, in quibus de me detraheret, a Cæsare *ad istos* (Balbum et Oppium) missum esse videtur, non quo fratris mei improbitate offenderetur, sed ut notiora nostra mala essent. Vide autem quam misere se Cicero torqueat, ut sibi augeat dolorem: nihil enim erat cur tam iniquam de Cæsare suspicionem foveret. Sch.

3. *Ad istos videtur misisse, quo.* Vulg. legitur *quasi quo*. Sed nemini non patet, interpretis cujusdam esse voculam hanc *quasi*, qui in margine exprimere voluerit *quo*, ut minus usitatum. J. V. L.

4. *Ne illi obsint.* Ne Q. fratri hæ literæ apud ipsum Cæsarem obsint. Sch.

eique rei mederi; ne rogari[5] quidem se passus est de illo: quod quidem mihi molestum non est; illud molestius, istas impetrationes nostras[6] nihil valere. Sulla, ut opinor, cras hic erit cum Messalla. Currunt ad illum pulsi a militibus; qui se negant usquam[7], nisi acceperint. Ergo ille huc veniet, quod non putabant; tarde quidem. Itinera enim ita facit, ut multos dies in oppidum[8] ponat. Pharnaces autem, quoquo modo aget, afferet moram[9]. Quid mihi igitur censes? Jam enim corpore vix sustineo gravitatem[10] hujus cæli, qui mihi laborem affert in dolore. An his[11] illuc euntibus mandem, ut me excusent, ipse accedam propius? Quæso, attende; et me, quod adhuc sæpe rogatus non fecisti, consilio juva: scio rem difficilem esse; sed, ut in[12] malis. Etiam illud mea magni interest, te ut videam. Profecto aliquid profecero, si id acciderit. De testamento, ut scribis, animadvertes.

5. *Rogari.* Statim, inquit, quæcumque postulavit Q. filius de patre impetravit, ita facile, ut ne rogari, etc.

6. *Impetrationes nostras.* Scripserat Atticus, posse Ciceronem efficere, ut ne Quinto fratri illæ obessent literæ, de quibus queritur Cicero; posse *impetrare* a Cæsare, ne Quinto esset iratus. Respondet, nulla se in gratia esse apud Cæsarem, nihil sibi ab illo tribui. Video, inquit, *istas*, de quibus scribis, *impetrationes* meas *nihil valere*: ita iratus fratri non est, a quo me videt graviter læsum esse, ut omnia donarit ultro; « ne rogari quidem se passus sit : nostri nullam » fecerit « mentionem », ut est in superiore epistola. Condonatum fuerat Quinto prius, quam fratri, quem læserat, satisfaceret. Id Marco erat molestum. Oliv.

7. *Usquam.* Supple, commoturos, nisi acceperint; sc. præmia quæ Cæsar promisisset. Ed.

8. *In oppidum.* Non explano, Ut in unoquoque oppido multos dies Cæsar consumat, sed, Ut ab oppido ad oppidum multorum dierum itinere perveniat. Quale illud est ep. 35, lib. XII: « Ne totum diem in villam ». Ubi subaudio, *ponam*; dum in villam eo. Man. — Priori tamen modo accipit J. F. Gronov. ut nimirum conventibus agendis et audiendis legationibus multos dies *in oppidum* ponat Cæsar.

9. *Afferet moram.* Male divinat : nam quinque diebus bellum confectum est. (Hist. Bell. Alexand. Sueton. in Jul.) Ed.

10. *Gravitatem hujus cæli.* Sic sup. ep. « loci gravitas hic miserrime perferenda ». Ed.

11. *His.* Sullæ et Messallæ. *Illuc*: ad Cæsarem. *Excusent*: quod Brundisio discesserim, et propius Urbem accesserim. Man.

12. Abest *in*. J. V. L.

EPISTOLA XXIII.

De Cæsaris literis ad ipsum scriptis quas Philotimus habere ferebatur; de Tulliæ divortio. (Brundisii, anno U. C. 706, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Quod ad te scripseram, ut cum Camillo communicares, de eo Camillus mihi scripsit, te secum[1] loquutum. Tuas literas exspectabam. Nisi[2] illud quidem mutari, si aliter est et oportet, non video[3] posse. Sed quum ab illo[4] accepissem literas, desideravi tuas. Etsi[5] putabam, te certiorem factum[6] non esse. Modo valeres. Scripseras enim, te quodam valetudinis genere tentari. Acusius quidam Rhodo venerat IX id. quint. Is nuntiabat, Quintum filium ad Cæsarem profectum IV kal. jun.; Philotimum Rhodum pridie eum diem venisse; habere ad me literas. Ipsum Acusium audies; sed tardius iter faciebat. Eo feci, ut has celeriter eunti darem[7]. Quid sit in iis literis[8], nescio; sed mihi valde Quintus frater gratulatur. Equidem in meo tanto peccato nihil ne cogitatione quidem assequi possum, quod mihi tolerabile possit esse. Te oro,

1. Al. « se tecum ». J. V. L.

2. Al. « si sic ». J. V. L.

3. *Non video*. Agitur de testamento Terentiæ, de quo scripserat ep. 16, ut Atticus cum Camillo communicaret. Tuas literas exspectavi, inquit, ut quid actum esset intelligerem. Verumtamen testamentum si aliter factum est atque oportebat, mutari jam non posse video. Popma.

4. Al. « a nullo ». Alii conjiciunt, « ab Nilo ». J. V. L.

5. Al. « et sic ». J. V. L.

6. *Factum*. Scilicet a meis de mittendo tabellario: quamquam interdum verebar, ne morbus te prohibuisset scribere; significaveras enim antehac te non satis valere. J. F. Gron. — Conjicit Muretus, « etsi putabam te tardiorem factum, etc. »

7. Alii, « ut ego celeriter eunti darem ». J. V. L.

8. *Literis*. Erant Cæsaris. De quibus infra, ep. 24.

ut de hac misera[9] cogites; et illud, de quo ad te proxime scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam, et etiam de ipso testamento[10]. Illud quoque[11] vellem antea; sed omnia timuimus. Melius quidem in pessimis nihil fuit discidio. Aliquid fecissemus, ut vivi[12], vel tabularum novarum[13] nomine, vel nocturnarum[14] expugnationum, vel Metellæ[15], vel omnium malorum; nec res perisset[16]; et videremur aliquid doloris virilis habuisse. Memini omnino tuas literas; sed et tempus[17] illud: etsi quidvis præstitit. Nunc quidem ipse videtur denuntiare[18]. Audimus enim de statu reipublicæ. O dii! generumne nostrum potissimum, ut hoc, vel tabulas[19] novas? Placet mihi igitur, et idem tibi, nuntium remitti. Petet fortasse tertiam pensionem. Considera igitur,

9. *De hac misera*. Tullia.

10. *De ipso testamento*. Ut Terentia testamentum faciat. Et in dictione, *ipso*, inest emphasis: quasi dicat, de quo scis me laborare, et de quo sæpe jam ad te scripsi. Man.

11. *Illud quoque*. De dissidio inter Dolabellam, et Tulliam. Corr.

12. *Ut vivi*. Sic Balliol. et Helmst. cum omnibus editis antiquioribus: quod non ausim mutare. Est enim, fecissem aliquid, quo ostenderem me dolorem et contumeliam sentire. Mortui enim carent sensu. Græv.— Malebat Pantagathus, *ut viri:* quod Lamb. recepit. Sed hoc infra repetitum videretur: « videremur aliquid doloris virilis habuisse ». Omittamus Bosium, qui edidit, *ut vini:* hoc est, vinolentiæ. Male, ut quivis facile videat. Ed.

13. *Novarum*. De quibus legem ferre volebat Dolabella.

14. *Nocturnarum*. Quibus Dolabella inimicorum, ut Trebellii, vel potius mulierum ædes expugnabat. Corrad.

15. *Metellæ*. Quæ temporibus illis videtur male audisse. Uxor erat Lentuli Spintheris, qui eam impudicitiæ causa dimisit. Vid. XIII, 3; Horat. Satir. 21, lib. III, et Ovid. eleg. 1, lib. II Trist. Ed.

16. Al. *periisset*. J. V. L.

17. *Sed et tempus*. Supra, ep. 3. Hac aposiopesi sæpe utitur. Ed.

18. *Denuntiare*. Forte, *renuntiare*, ut sit renuntiare repudium Tulliæ, ita scilicet se gerendo, ut eam pro uxore non agnoscat. Plaut. Aulul. IV, 10: « is me nunc renuntiare repudium jussit tibi ». F. Gron.

19. *Ut hoc, vel tabulas*. Subaudi, cogitet, in animo habeat, vel aliquid hujusmodi. Particula, *vel*, sententiam non mutat, sicuti quum ponitur pro *aut*, sed auget, quomodo posita est in libris Academicis: « Per me vel stertas licet, non modo quiescas ». Manut.

tumne, quum ab ipso nascetur, an prius. Ego[20], si ullo modo potuero, vel nocturnis itineribus experiar, ut te videam. Tu et hæc, et si quid erit, quod intersit mea[21] scire, scribas velim. Vale.

20. *An prius.* An ultro ei renuntiem scilicet : hoc est, an Tullia meo suasu ei prius nuntium mittere debeat, an exspectare ut a Dolabella repudietur. Graev.

21. Al. *me.* J. V. L.

EPISTOLA XXIV.

Pergit culpam admissam lamentari ; de testamento Terentiæ ejusque fide suspecta ; de literis, quas Philotimus a Cæsare habere dicebatur, nondum perlatis. Denique ad consilium ab Attico datum, ejusque opinionem de Africano negotio, respondet. (Brundisii, anno U. C. 706, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Quæ dudum ad me, et, quæ etiam ante bis ad Tulliam de me scripsisti, ea sentio esse vera. Eo sum miserior (etsi nihil videbatur addi posse), quod mihi non modo irasci gravissima injuria[1] accepta, sed ne dolere quidem impune[2] licet. Quare istud feramus. Quod quum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quæ tu, ne accidant, ut caveamus, mones. Ea enim est a nobis contracta culpa, ut omni statu, omnique populo[3] eumdem exitum habitura videatur.

Sed ad meam manum redi : dehinc enim hæc oc-

1. *Injuria.* Tulliam aspernabatur Dolabella : qua injuria sic commovebatur Cicero, quasi eam ipse accepisset. Atticus nolebat tentari divortium prius, quam Cicero pacem confirmasset cum Cæsare. Hinc est quod queritur; non licere sibi irasci, ac ne dolere quidem. Mong.

2. Al. *liceat.* J. V. L.

3. *Omnique populo*, id est, quocumque sensu populus erit. Mox *redi.* Sic vulgo. Olivet. *redeo*, hoc sensu : Hactenus fuit librarii manus : nunc, inquit, ad meam redeo; et ita vertit Mongalt. Schütz. *rediero*, ut et Manut. Ed.

cultius agenda. Vide, quæso, etiam nunc de testamento, quod tum factum[4], quum illa quærere cœperat. Non, credo, te commorit; neque enim rogarit[5], ne me quidem. Sed quasi ita sit, quoniam in sermonem jam venisti, poteris eam monere, ut alicui committat, cujus extra periculum hujus belli fortuna sit. Equidem tibi potissimum velim, si idem illa[6] vellet: quam quidem celo miseram[7], me in hoc timere[8]. De illo altero[9], scio equidem venire[10] nunc nil posse; sed seponi et occultari possunt, ut extra ruinam sint eam, quæ impendet. Nam quod scribis, nobis nostra et tua Tulliæ[11] fore parata: tua credo; nostra quæ poterunt esse? De Terentia autem (mitto cetera, quæ sunt innumerabilia) quid ad hoc addi potest? Scripseras, ut H-S XII permutaret[12]; tantum esse reliquum de argento. Misit illa CCIƆƆ mihi, et adscripsit, tantum esse reliquum. Quum hoc tam parvum de parvo

4. *Quod tum factum.* Totum locum sic rescribebat Gronov. « De testamento. Quod tum factum Camillus queri cœperat, non credo te commovit ». Non puto te ad animum revocasse, et ex eo turbari. *Non enim rogavit*, scil. consilium tuum. Quæ emendatio valde Schützio blanditur. Ed. — Muretus vero pro vulgari « quum illa quærere cœperat », reponendum putat « quum illa hærere cœperat ». Sed locus et Grævio et Mongaltio videtur comploratus. Bosianam editionem repræsento, quam et Gruterus et Ernest. sequuti sunt. J. V. L. ita vertit, ut probandum judicet *hærere;* quod si verum sit, significatur Attico laborandum, ut testamentum conficiatur, eodem studio quo laboravit quum Terentia hærere, i. e. dubitare cœpit. *Te commorit.* Id est, tecum loquuta erit. Ed.

5. *Rogarit.* Consilium tuum. Gron.

6. *Illa.* Tullia.

7. *Miseram.* Vox ad caritatem exquisita. Ed.

8. *Me in hoc timere.* MS habet *uni hoc timere.* Velit Mongalt. cum Corrado « celo miseram in hoc timere ». Nempe Cicero Tulliam timorem suum celare cupiebat. Ed.—Schütz. « me hoc timere de illo altero. Scio ». Male. Ed.

9. *De illo altero.* Quod scilicet ad te scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam. Man. — Bene vidit Mong. interpungendum esse post *timere.* Illud enim de illo altero respicit ad hæc quæ sunt epist. 25: « Te oro, etc. »

10. *Venire.* Ex argento, et supellectile.

11. Al. *Terentiæ.* J. V. L.

12. Bosius per conjecturam *permutarem.* J. V. L.

detraxerit, perspicis, quid in maxima re fecerit? Philotimus non modo nullus venit, sed ne per literas quidem, aut per nuntium certiorem facit me, quid egerit[13]. Epheso qui veniunt, ibi se eum de suis controversiis in jus adeuntem vidisse nuntiant: quæ quidem (ita enim verisimile est) in adventum Cæsaris fortasse rejiciuntur. Ita aut nihil puto[14] eum habere, quod putet ad me celerius perferendum, et eo me magis esse despectum; aut, etiamsi quid habet, id, nisi omnibus suis negotiis confectis, ad me referre non curat. Ex quo magnum equidem capio dolorem, sed non tantum, quantum videor debere. Nihil enim mea minus interesse puto, quam quid illinc[15] afferatur. Id quam ob rem[16], te intelligere certo[17] scio. Quod me mones de vultu et oratione ad tempus accommodanda; etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quidquam interesse putarem. Quod scribis, literis putare Africanum[18] negotium confici posse, vellem[19] scriberes, cur ita putares; mihi quidem nihil in mentem venit, quare id putem fieri posse. Tu tamen, velim, si quid erit, quod consolationis aliquid habeat, scribas ad me. Sin, ut perspicio, nihil erit, scribas id ipsum. Ego ad te, si quid audiero citius, scribam. Vale. IIX id. sext.

13. *Quid egerit.* De me apud Cæsarem. MANUT.

14. *Aut nihil puto.* Quum Philotimus Ephesi tempus tereret, conjecturam Cicero faciebat, in iis literis, quas ille a Cæsare ferre dicebatur, nihil esse, quod celerius perferri opus esset. IDEM.

15. *Illinc.* A Cæsare, ex Alexandria. IDEM.

16. *Quamobrem.* Nempe putabat Cicero sibi magis a Pompeio, quam a Cæsare timendum.

17. Al. *certe.* J. V. L.

18. *Africanum.* Scribis te putare, inter Cæsarem, et Pompeianos, qui in Africa sunt, literis utrimque mittendis pacem posse fieri. MAN.

19. *Vellem.* Sic quoque Schützius. Alii, *velim.* J. V. L.

EPISTOLA XXV.

Nullam sibi spem consolationis ostendi queritur; et de Terentiæ testamento Tulliæque divortio pauca subjungit. (Brundisii, anno U. C. 706, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Facile assentior tuis literis; quibus exponis pluribus verbis, nullum te habere consilium, quo a te possim juvari. Consolatio certe nulla est, quæ levare possit dolorem meum. Nihil est enim contractum casu : nam id esset ferendum. Sed omnia fecimus iis erroribus et miseriis et animi, et corporis, quibus proximi[1] utinam mederi maluissent[2]! Quamobrem, quoniam neque consilii tui, neque consolationis cujusquam spes ulla mihi ostenditur, non quæram hæc a te posthac. Tantum velim, ne intermittas : scribas ad me, quidquid veniet tibi in mentem, quum habebis, cui des, et dum erit, ad quem des; quod longum non erit[3]. Illum discessisse Alexandria rumor est non firmus, ortus ex Sulpicii literis : quas cuncti postea nuntii confirmarunt; quod verum, an falsum sit, quoniam mea nihil interest, utrum malim, nescio. Quod ad te jam pridem de testamento scripsi, apud εὔπιστον[4] illas velim; ut possint, advertas. Ego hujus

1. *Proximi.* Ut Q. frater, Q. filius, uxor, et gener. Corr.

2. *Mederi maluissent.* Sic legit Grævius ex MSS. — Alii, « maluissent, quam obesse! q. n. » Quod enatum est ex *quam ob rem.* Sequimur ed. Rom. et MSS Grævii. J. V. L.

3. *Longum non erit.* Significat, se aut in tantis molestiis non diu posse vivere, aut in alias terras velle migrare. Man. — Illud verius videtur. Conf. h. l. ep. 9. Ed.

4. *Apud* εὔπιστον. Velim, inquit, Terentiam et Tulliam deponere testamentum ipsius Terentiæ apud aliquem, cui tuto committi queat : ut vero id

miserrima facultate[5] confectus conflictor. Nihil umquam simile natum puto: cui si qua re consulere aliquid possum, cupio a te admoneri. Video eamdem esse difficultatem, quam in consilio dando ante: tamen hoc me magis sollicitat, quam omnia. In pensione secunda[6] cæci fuimus. Alium mallem[7]. Sed præteriit. Te oro, ut in perditis rebus, si quid cogi, confici potest, quod sit in tuto, ex argento, neque satis multa ex supellectile, des operam. Jam enim videtur adesse extremum, nec ulla fore conditio pacis, eaque, quæ sunt, etiam sine adversario peritura. Hæc etiam, si videbitur, cum Terentia loquare opportune. Non queo omnia scribere. Vale. III non. quint.[8]

facere possint, ipse advertas rogo. Εὔπιςον vocat hominem exploratæ fidei, et cui tuto credi possit. Huc spectant verba illa epistolæ superioris, « poteris eam monere, ut alicui committat, etc. » Bosius.— Antea legebatur, « apud epistolas velint ut possint adversas ». Unde sensus elici nullus potest. Bosii conjectura non est quidem certa; immo est audacior; sed hujusmodi tamen, ut tenebris præstare videatur. Oliv.

5. *Miserrima facultate*. Negat Grævius miseram aut miserrimam facultatem pro inopia posse accipi. Cur enim? An quis pugnaut secum *facultas* et *inopia*? Pugnantne magis, quam strenuitas et inertia? Atqui dixit Horatius, Ep. XI, 11, 28, « strenua nos exercet inertia ». Ern. « E. h. miserrimæ fatuitate conf. conflictor ». *Fatuitate* est a Grævio, qui *hujus* de Terentia interpretatur: sed quod mox dicit Cicero: « Hoc me magis sollicitat, quam omnia », satis ostendit de Tullia agi. Ceterum quum de Terentia queritur, non fatuitatem exprobrat, sed *scelus* et *scelerate* factum dicit. Schütz. nihilominus recipit *miserrimæ fatuitate* et de Tullia intelligit, quasi exprobret Cicero filiæ, quod Dolabellam amaverit. Sed hoc egregie refellit J. V. L. et locutionem *miserrima facultas* pro paupertate usitatam defendit. Editio quoque Rom. *fatuitate*. Ed.

6. *Pensione secunda*. Intelligit pensionem secundam dotis, quam Dolabellæ solverat anno superiore, post kal. quint. ep. 3. Popma.

7. *Alium mallem*. Doleo fuisse me cæcum: mallem id alii contigisset: mallem alium fuisse cæcum. Putat Mongaltius, hoc genus loquendi, *Alium mallem*, in communi usu et proverbio fuisse. Corrad. opinabatur legi posse: *Aliud mallem* fecisse: ut dicere solent illi, quos aliquid fecisse pœnitet. Oliv.

8. *III non. quint*. Ex diebus adscriptis, quibus datæ significantur, perspicitur, quam perturbatus ordo sit extremarum libri hujus epistolarum. Videntur ita posse distribui, ut hæc ipsa incipit, *Facile assentior*, sit 19. Et quæ deinceps, « Quod ad te », 20. « Cum tuis », 21. « Quæ dudum », 22. « Kal. XVII sept. » 23. « Accepi VI kal. » 24. « Diligenter », 25. Malasp.

ARGUMENTUM

LIBRI DUODECIMI.

Omittuntur sine literis menses non pauciores sex; nempe ex kal. sept. in quibus desinit liber proximus superior, ad usque tempus illud, quum jam bellum in Africa contra Scipionem et Jubam Cæsar gereret. Nam a bello Alexandrino et Ponti reversus, consulque III cum M. Æmilio Lepido creatus, summa hieme, hoc est, II kal. jan. conscendit, exercitumque in Africam trajecit, quo tempore quatuor primæ epistolæ scriptæ sunt. Quinta et sexta datæ videntur, quum jam Cæsar vel appropinquaret, vel rediisset. Rediit autem a. d. XII kal. sept. auctore Hirtio. Reliquæ, quum in Hispania contra Pompeii liberos pugnaretur, eodem C. Cæsare dictatore III, designato IV, collega, et magistro eq. M. Æmilio Lepido, quo tempore Tullia ex partu, ut Pedianus et Plutarchus aiunt, apud Lentulum decessit. Itaque quum se Cicero Asturæ abdidisset, quotidianas pæne literas mittebat, gemitus luctusque continentes: item preces contentionemque, ut horti sibi ab Attico curarentur, in quibus filiæ fanum condere posset. Fluxere, dum hæ scribuntur, menses plus minus duodeviginti. Nam ex kal. jan. ejus anni, quo Cæsar in Africam transmisit, ad æstatis initium anni illius, quo quartam dictaturam in Hispania gessit, tot fere numerantur. Æstatem porro reliquam fuisse, scriptis libri hujus epistolis, ex prima tertii decimi cognosci licet.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD ATTICUM
LIBER DUODECIMUS.

EPISTOLA I.

Nuntiat se ad constitutum v kal. cum Attico congressurum. (Anno U. C. 707, mense martio.*)

CICERO ATTICO S.

Undecimo die postquam a te discesseram, hoc literularum exaravi, egrediens e villa ante lucem; atque eo die cogitabam in Anagnino[1], postero autem in Tusculano; ibi unum diem: v kal. igitur ad constitutum[2]. Atque utinam continuo ad complexum meæ Tulliæ, ad osculum Atticæ possim currere! quod quidem ipsum scribe, quæso, ad me; ut, dum consisto in Tusculano, sciam, quid garriat; sin rusticatur, quid scribat ad te: eique interea aut scribe[3] salutem, aut nuntia[4], itemque Piliæ. Et tamen, etsi continuo

* *Martio*. Hoc conjecit Manutius de quibusdam hujus epistolæ locis, præcipue « quod scribis igniculum matutinum ». Schütz. vero affirmat scriptam VIII kal. junii, et Ciceronem Roma exisse prid. id. maii. Ed.

1. *In Agnanino*. Prædio in agro Agnaniæ, quæ urbs erat in Hernicis. Nomen hactenus servavit. Ed.

2. *Ad constitutum*. Ad constitutum locum et tempus. Græv.

3. Al. *scribes*. J. V. L.

4. *Aut nuntia*. Alii, *aut nuntiabis*. J. V. L.

congressuri sumus, scribes ad me, si quid habebis. Quum complicarem hanc epistolam, noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius; qua lecta, de Atticæ febricula scilicet [5] valde dolui. Reliqua, quæ exspectabam, ex tuis literis cognovi omnia. Sed quod scribis, « igniculum matutinum; » γεροντικώτερον [6] est memoriola vacillare. Ego enim IV kal. Axio dederam [7], tibi III, Quinto, quo die venissem, id est, V kal. [8]. Hoc igitur habebis. Novi nihil. Quid ergo opus erat epistola? Quid, quum coram sumus, et garrimus quidquid in buccam? Est profecto quiddam λέσχη [9], quæ habet, etiamsi nihil subest, collocutione ipsa suavitatem.

5. Al. *videlicet*. J. V. L.

6. Γεροντικώτερον *est*. «Magis senile, magis quasi proprium senum». Corr. Atticum objecisse Ciceroni γεροντικὸν esse igne matutino uti hoc tempore, apparet ex verbis paullo post subjectis: «Hoc igitur habebis». Quo significat se, ut illum repungat, γεροντικώτερον aliquid ei exprobrasse, memoriæ scil. vacillationem. Nam «hoc igitur habebis» est, hoc tibi repositum sit, qui mihi vitio vertisti γεροντικὸν illud, quod ignem matutinum me desiderare scripserim ad literas exarandas. Græv.

7. *Dederam*. Supp. diem, ut epist. «diem Tyrannioni constituemus». Sane diem Axio dederat, ut una cœnarent. Ed.

8. *II kalend.* quod habent vett. edd. emendatio est Manutii, jure a multis damnata. J. V. L. — Multas rationes addit Mongaltius, quas referre supersedemus. Ed.

9. Λέσχη. *Confabulatio*, *colloquium*. Respondet ei objectioni, quam ipse sibi ex Attici persona fingit: quid oportuit mittere inanes literas? Mal.

EPISTOLA II.

De rumoribus quibusdam ex Africa, et de ludis Prænestianis quibus Cæsariani intersint. (Romæ, anno U. C. 707, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Hic rumores tamen [1], Murcum [2] periisse naufragio;

1. *Tamen*. Utitur adversativa particula, ut Atticum falli doceat, dum scriberet, se putare nihil novi Romam allatum esse, ex quo inde discessisset. Bosius. — Sed possit quoque *tamen* non esse adversativum, ut fit aliquando. Ad Div. IX, 19: «Tamen a malitia non discedis». Ed.

2. *Murcum*. Statium Murcum, Cæsaris legatum, qui in Hispania cum fi-

Asinium[3] delatum vivum in manus militum; L naves delatas in Uticam reflatu hoc; Pompeium non comparere, nec in Balearibus omnino fuisse, ut Paciæcus[4] affirmat. Sed auctor nullius rei quisquam. Habes, quæ, dum tu abes, loquuti sunt. Ludi interea Præneste. Ibi Hirtius, et isti[5] omnes. Et quidem ludi dies octo. Quæ cœnæ? quæ deliciæ? Res interea fortasse transacta[6] est. O miros homines! At Balbus ædificat; τί γὰρ[7] αὐτῷ μέλει? Verum, si quæris, homini non recta, sed voluptaria quærenti, nonne βεβίωται[8]? Tu interea dormis. Jam explicandum est πρόβλημα[9], si quid acturus es[10]. Si quæris quid putem, ego fructum[11] puto. Sed quid multa? jam te videbo; et quidem, ut

liis Pompeii bellum gessit. Prætor fuit anno 708 et anno sequente Syriæ præfectus. Eum, post cædem Cæsaris, C. Cassius in suas partes traduxit; mox falsis criminibus insimulatum Sext. Pompeius, Magni filius, in Sicilia interfecit. Cæsar, de Bello Civ. III, 15; Vell. Paterculus, II, 77; Dio, XLVIII, etc. Ed.

3. *Asinium*. C. Asinium Pollionem, qui in Cæsaris hostium manus delatus esse falso rumore ferebatur. Tribunus anno superiore fuerat, et septem annos post consul fuit. De hoc confer Porphyr. in Od. Horat. I, 1; Vell. Patercul. II, passim; Senec. Suas. I; Quint. I, 5; XII, 11. Ed.

4. *Paciæcus*. Alii, *Patietus*, *Patiecus*, *Paciecus*. Recte vero jam Ald. Manutius in omnibus veterum locis *Paciæcus* legendum esse putaverat; et sic nos ad Divers. lib. VI, epist. 18. J. V. L.

5. *Isti omnes*. Cæsariani. Corrad.

6. *Transacta*. In Africa. Interea, inquit, depugnatum fortasse est in Africa, quo Cæsar mense decembris contra Pompeianos, Scipione imperatore bellum renovante, trajecerat. Manut.

7. Τί γάρ. « Quid enim illi curæ est? »

8. Βεβίωται. Præclare *acta vita est.* Nam *vivere* quandoque valet jucunde vivere. Nonne vides, inquit, Balbo, cum voluptate vitam esse traductam? At tu interea dormis: non explicas quomodo vivendum tibi sit. Man.

9. Πρόβλημα. *Quæstio*. Nimium diu quæris, utrum recta, an voluptaria sequaris. Hæc tibi quæstio jam explicanda est, aliquando tibi est decernendum, utram partem eligas. Man.

10. *Si quid acturus es*. Qui semper deliberat et quærit hoc an illud agat, nihil umquam agit. Man.

11. *Fructum*. Hoc est, voluptatem; et usuram commodorum. Frui enim absolute positum, est præsentibus commodis et voluptatibus uti. Patet ex epistola ad Pætum, lib. XI, epist. 17: « Nihil, inquit, timeo: fruor, dum licet: opto, ut semper liceat ». Man.

spero, de via recta ad me. Simul enim et diem Tyrannioni[12] constituemus, et si quid aliud.

12. *Tyrannioni.* Grammaticus fuit eruditus, qui librum scripsit, de quo epist. 5. Is docuit Q. Ciceronem filium, ut legitur in epistola ad Q. fratrem, lib. II, epist. 1. De eodem etiam epist. 4 et 8, lib. IV. Simul diem constituemus, quo die suum librum legendum nobis det. Epist. 5. MAN.

EPISTOLA III.

De tribus pecuniæ a Metone exigendæ conditionibus. (In Tusculano, anno U. C. 707, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

UNUM te puto minus blandum esse, quam me; et, si uterque nostrum est aliquando adversus aliquem, inter nos certe numquam sumus. Audi igitur me hoc ἀγοητεύτως[1] dicentem: ne vivam, mi Attice, si mihi non modo Tusculanum, ubi ceteroqui sum libenter, sed μακάρων νῆσοι[2] tanti sunt, ut sine te sim totos[3] dies. Quare obduretur hoc triduum[4]; ut te quoque ponam in eodem πάθει[5]: quod ita est profecto. Sed velim scire, hodiene statim de auctione[6], aut quo die venias[7]. Ego me interea cum libellis. Ac moleste fero, Vennonii[8] me historiam non habere.

1. Ἀγοητεύτως. Sine fuco.

2. Μακάρων νῆσοι. Beatorum insulæ. Canariæ; dictæ quoque Fortunatæ. Strabo, III; Plin. VI, 32. Gallus homo, nomine *Béthencourt*, primus eas incoluit, anno J. C. 1402. ED.

3. *Ut sine te sim totos dies.* Ursinus recte, ut videtur, *ut sine te sim tot dies.* J. V. L.

4. *Obduretur hoc triduum.* Ab utroque nostrum. Nam tu quoque in eodem πάθει, et in eadem molestia es; propterea quod, ut ego te invitus, ita tu me non libenter cares. MAN.

5. Πάθει. Affectu, animi motu.

6. *De auctione.* Post auctionem. MANUT.

7. Sic bene Grævius. Edd. pr. « et quo die venias ». Gruterus autem post Bosium, « ecquo die venias ». Minus apte. J. V. L.

8. *Vennonii.* Vid. lib. I, de Leg. cap. 2, ubi hunc exsulem in historia dicit. ED.

Sed tamen, ne nihil de re[9], nomen illud, quod a Cæsare[10], tres habet conditiones, aut emptionem ab hasta (perdere[11] malo : etsi, præter[12] turpitudinem, hoc ipsum puto esse perdere); aut delegationem a mancipe, annua die (quis erit, cui credam? aut quando iste Metonis annus[13] veniet?); aut Vecteni conditionem, semisse[14]. Σκέψαι[15] igitur. Ac vereor, ne iste jam auctionem nullam faciat; sed, ludis factis, κτύπῳ[16] subsidio currat, ne talis vir ἀλογηθῇ. Sed μελήσει[17].

9. *Ne nihil de re.* Supple, scribam.

10. *Nomen illud quod a Cæsare.* Ciceroni pecuniam debebat proscriptus civis Pompeianus, cujus bona Cæsar quum vellet publicare, permisit ut Cicero debitum suum exigeret. Ideo dicit, « Nomen illud quod a Cæsare mihi concessum ut exigam », tribus modis consequi potero, emptione ab hasta, delegatione a mancipe et semisse. Popma.

11. *Perdere.* Nam, si dominus commutabitur, quæ de bonis proscriptorum empta fuerint, rata non erunt. Manutius.

12. Multi MSS, « præter ipsam turpitudinem ». J. F. Gronovius conjicit « propter turpitudinem ». J. V. L.

13. *Metonis annus.* Proverbialiter hic dicitur longissima dilatio, ab eo quod Metonis astronomi annus constabat octodecim annis solaribus. Popma. — Hoc proverbio usum esse Augustum Suetonius tradit, Aug. c. 87. Ausonius : « Non annus longior ille est, Attica quem docti collegit cura Metonis ». Ed. — *Iste.* Al. *ipse*. J. V. L.

14. *Vecteni conditionem, semisse.* Compendium loquendi sic est integrandum : aut habeat eam conditionem, qua Vectenus est depactus, nimirum ut semisse simus contenti, vel dimidia parte. J. F. Gronov. Observ. lib. I, cap. 16. Quem sensum probat Mongalt.

15. Σκέψαι. Considera : quid? hoc videlicet, de tribus conditionibus, quæ tibi magis e re nostra videatur. Manut.

16. Κτύπῳ. *Plausui.* Sententia hujus loci hæc est : Vereor, ne quia ludi Præneste fiunt, iste, quicumque sit, advolet eo ad plaudendum, veritus, præsentes segnius plausuros, et eos excitaturos, ne iam insignis vir, qui ludos dat, negligatur. J. F. Gronov.

17. Μελήσει. Curabis : curæ erit. Manut.

EPISTOLA IV.

Exponit, quam difficile sit problema Catonis laudationem scribere.
(In Tusculano, anno U. C. 707, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

O gratas tuas mihi, jucundasque literas! Quid quæris? restitutus est mihi dies festus[1]. Angebar enim quod Tiro, ἐνερευθέστερον[2] te sibi esse visum, dixerat. Addam igitur[3], ut censes, unum diem. Sed de Catone[4] πρόβλημα Ἀρχιμήδειον est. Non assequor, ut scribam, quod tui convivæ[5] non modo libenter, sed etiam æquo animo legere possint. Quin etiam, si a sententiis ejus dictis[6], si ab omni voluntate consiliisque, quæ de republica habuit, recedam, ψιλῶςque[7] velim gravitatem constantiamque ejus laudare; hoc ipsum tamen istis odiosum ἄκουσμα[8] sit. Sed vere laudari ille vir non potest, nisi hæc ornata sint; quod ille ea, quæ nunc sunt, et futura viderit, et, ne fierent, contenderit, et, facta ne videret, vitam relique-

1. *Dies festus.* Idem sonat, quod infra: « Addam igitur, ut censes unum diem ». Ed.

2. Ἐνερευθέστερον. *Rubicundiorem.*

3. *Addam igitur.* Ad id tempus videlicet, quod hic manere constitueram. Et sciendum est, Ciceronem hic festos appellare eos dies quos ruri ageret, propterea quod feriaretur ab omnibus negotiis, quemadmodum in urbe festis diebus fieri soleret. Man.

4. *De Catone.* Catonem, sive librum de Catonis vita scribere opus est difficile non minus quam *Archimedis* geometræ *quæstiones* explicare: neque enim ita possum scribere, ut Cæsarianos non offendam. Scripsit tamen; et Cæsar ipse rescripsit Anticatonem, sive contra Ciceronis laudationem Catonis libros duos, ut ex Gellio constat. Popma.

5. *Tui convivæ.* Balbus, Oppius, aliique Cæsariani. Ed.

6. Ernest. *dictis* delendum putat, ut glossam. Schütz. delevit. Certe imprudentius. J. V. L.

7. Ψιλῶς. Tenuiter, sine ornatu.

8. *Odiosum ἄκουσμα sit.* Audita jucundum; ad aures oblectandas comparatum.

rit. Horum quid est, quod Aledio [9] probare possimus? Sed cura, obsecro, ut valeas, eamque, quam ad omnes res adhibes, in primis ad convalescendum adhibe prudentiam.

9. *Aledio*. Docti viri putant Aledium vocari Cæsarem ficto nomine a græco verbo ἀλέω, quasi vitandum, fugiendum, non offendendum. Ego arbitror esse nomen amici et familiaris Cæsaris et item Attici, qui etiam nominatur epist. 24 et 27. Popma. — Nominatur quoque Juvenali. Mongalt. addit *et Tacito*. Sed Annal. lib. I, c. 10, est *Q. Tedius*, quem alii mutant in *Vedius*, alii in *Aledius*, vel *Asellius*. J. V. L. in notis refert Tunstallum in epist. ad Middleton, pag. 160, ex aliquot MSS *Alledius* habentibus, conjecisse *Arredius* (qui non διαῤῥήδην loquitur). Sic ad Div. II, 10: « *Hillo* Balbus enim sum » : ingeniose magis quam verisimiliter. Mallet autem J. V. L. *Atidius*, quod nomen reperitur apud Statium, Silv. lib. II. Ed.

EPISTOLA V.

De Quinto filio Luperco; de Catone suo; de rebus argentariis; de quæstionibus quibusdam historicis; de Tirone Dolabellæ obviam misso; de aliis domesticis. (In Tusculano, anno U. C. 707, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Quintus pater [1] quartum, vel potius millesimum, nihil sapit, qui lætetur Luperco filio [2], et Statio [3], ut

1. *Q. pater*. Haud dubium, quin illud Ennianum respexerit: «Quintu' pater quartum fit consul ». Vide Gellium, lib. X, cap. 1.

2. *Luperco filio*. Romæ collegia Lupercorum tria fuere: antiquiora duo, Fabianorum et Quintilianorum: tertium recentius Julianorum, quos sibi, ut ait Suetonius, in Jul. cap. 76, inter alia humano fastigio majora, Cæsar decerni passus fuerat. Primus admonuit Mongaltius, hic de Julianis agi Lupercis, in quorum adscribebantur collegium, qui placere volebant Cæsari. De M. Antonio notum est, Philipp. II, 34. Affectavit hoc, ut alii, Quintus Cicero, filiumque Julianos inter Lupercos esse voluit, cum domesticis duobus libertis, Statio suo, et Philotimo Terentiæ. Improbabat Marcus Cicero fratris consilium, ut dignitatis alienum. Olivet. — De Lupercalibus alibi diximus. Ed.

3. *Statio*. Statius libertus Q. Ciceronis, itemque Philotimus non fuerunt Luperci, sed calatores atque ministri Q. filii in sacerdotio. Non enim liberti ad sacerdotia admittebantur: tantum ministrabant suis patronis sacerdotibus. Popma.

cernat duplici dedecore cumulatam domum. Addo etiam Philotimum tertium. O stultitiam, nisi mea major esset[4], singularem! Quod autem os[5], in hanc rem ἔρανον a te? Fac, non ad διψῶσαν[6] κρήνην, sed ad Πειρήνην eum venisse; sed ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ in te κρήνην, ut scribis, haurire: in tantis suis præsertim angustiis, ποῖ ταῦτ' ἄρ' ἀποσκήψει? Sed ipse viderit. Cato[7] me quidem delectat, sed etiam Bassum Lucilium[8] sua. De Cœlio[9], tu quæres, ut scribis: ego nihil[10] novi. Noscenda est natura[11], non facultas[12] modo. De Hortensio et Virginio, tu[13] si quid dubitabis: etsi, quid

4. *Nisi mea major esset.* Scil. qui tantopere stultitia fratris movear. Ideo mox « sed ipse viderit ». Ed.

5. *Quod autem os.* Scite Turnebus hæc verba sic distinxit, « Quod autem os, in hanc rem ἔρανον a te »? et interpretatus est: « Quæ impudentia est in Quinto petere a te ἔρανον », hoc est, munus aliquod, tamquam stipem, id est, emendicare a te pecuniam, ad illud Lupercorum sacerdotium. Atticus autem se excusaverat. Ed.

6. Διψῶσαν. Fac, inquit, non ad διψῶσαν κρήνην, *siticulosum fontem*, sed ad Πειρήνην, *Pirenen*, eum venisse; sed ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ, « respirationem venerandam Alphei », in te κρήνην, *fontem* haurire: ποῖ ταῦτ' ἄρ' ἀποσκήψει; « quorsum hæc tandem erumpent? » Horum autem verborum sententia hæc est: « Fac Quintum fratrem, quum a te ἔρανον petiit, non ad διψῶσαν κρήνην venisse, sed ad Πειρήνην, fac etiam eumdem summis angustiis rei familiaris pressum in te haurire κρήνην id est, fontem uberrimum, nempe ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ, hoc est, Arethusam, quæ Pindaro est *Alphei respiratio sacra*; quo tandem hæc evadent? Ed.

7. *Cato.* Liber de Catonis vita. Contra quem Cæsar rescripsit Anticatonem. Ed.

8. *Bassum Lucilium sua.* Subintelgitur, delectant. Sensus est: Catone meo delector, sed fortasse sine causa, quando etiam Bassum Lucilium, malum scriptorem, sua delectant. Man.

9. *Cœlio.* Hic nummularius erat, cum eoque Cicero agebat de argento aurove facto, aut infecto, cum alio signato commutando. Bosius.

10. *Ego nihil novi.* Supple, *habeo quod scribam.* Male Manut. interpretatur, « Ego hæc non intelligo ». Nam in epist. seq. *ego ista novi*, ubi Man. legit *non novi*, sed contra MSS. Ed.

11. *Natura.* Naturam vocat auri qualitatem et temperaturam; bonumne an malum sit, purum putum et obryzum, an argentosum, orichalcove permixtum: facultatem vero, æstimationem et pretium. Hæc ex pecuniæ signatæ nota facile perspicitur: pecuniam autem signatam contrahebat, quo facilius auferretur. Bos.

12. Olim distinguebant sic, « non facultas. Modo de Hortensio et Virg. » Correxit Manutius. J. V. L

13. *De Hortensio et Virginio, tu.* Hos quoque argentarios puto fuisse. *Tu:* subaudi, quæres autem hoc, num

magis placeat, ego quantum adspicio, non facile inveneris. Cum Mustella [14], quemadmodum scribis, quum venerit Crispus. Ad Aulum scripsi [15], ut ea, quæ bene nossem de auro, Pisoni demonstrarim [16]. Tibi enim sane assentio, et istud nimium diu duci, et omnia nunc undique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud, nisi quod ad me pertineat, facile perspicio; meisque negotiis impediri cupiditatem tuam ad me veniendi. Sed mecum esse te puto; non solum quod meam rem agis, verum etiam quod videre videor, quo modo agas: neque enim ulla hora tui mihi est operis ignota.

Tubulum prætorem video L. Metello, Q. Maximo consulibus. Nunc velim, P. Scævola pontifex maximus, quibus consulibus tribunus plebis. Equidem puto proximis, Cæpione et Pompeio. Prætor enim P. Furio, Sext. Attilio. Dabis igitur tribunatum, et, si poteris, Tubulus quo crimine [17]. Et vide, quæso,

viri boni sint, et num in auro quod daturi sunt, vitium timere possimus. Man.

14. *Cum Mustella.* Ages. Forte Mustella et Crispus coheredes erant. Itaque agi cum Mustella non poterat, nisi et Crispus, ejusdem hereditatis particeps, adesset. Etiam ep. 3, lib. XIII: « De Crispo, inquit, et Mustella videbis. Et velim scire, quæ sit pars duorum ». Quo in loco hereditatem significari manifestum est, quum dicat, « quæ sit pars duorum ». Idem.

15. *Ad Aulum scripsi.* Et a Pisone argentario aurum sumere Cicero volebat. Hoc agebatur interprete Aulo. Et quoniam res diutius ducebatur, puto quod argentarius Piso in permutatione facienda lucro usitato contentus esse nollet, sed aliquanto plus peteret: Cicero, qui rem ad exitum vellet perducere, ad Aulum scripsit, ut per eum Pisoni demonstraret, se optime nosse, quantum pro auro, quod ab argentariis permutatione acciperetur, dari soleret, ut scilicet Piso, quum videret Ciceronem, qui collybi rationem bene nosset, non facile adductum iri, ut præter consuetudinem penderet, æquiora postularet. Manut. — Olim, *Avium.* J. V. L.

16. *Demonstrarim.* Lamb. *demonstraret.*—Sic MSS regii. Olim, *demonstrarem.* Legunt Faernus et Malaspina *demonstraret*, quod Ernest. recepit. J. V. L.

17. *Tubulus quo crimine.* Subaudi, accusatus fuerit. Atticus rescripsisse apparet, quod prætor quæstionem exercens inter sicarios, pecunias cepisset ob rem judicandam. Fin. II, 16. Man. — Videtur tunc Cicero *Brutum*

L. Libo, ille, qui de Serv. Galba [18], Censorinone et Manilio, an T. Quintio, M'. Acilio consulibus tribunus plebis fuerit. Conturbat enim [19] me epitome Bruti Fanniana, an Bruti epitome Fannianorum [20]? Scripsi, quod erat in extremo; idque ego sequutus, hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Lælii. Sed tu me γεωμετρικῶς [21] refelleras: te autem nunc Brutus et Fannius. Ego tamen de bono autore, Hortensio [22], sic acceperam, ut apud Brutum est. Hunc igitur locum expedies. Ego misi Tironem Dolabellæ obviam; is ad me idibus revertetur. Te exspectabo postridie. De Tullia mea tibi antiquissimum esse video; idque ita ut sit, te vehementer rogo. Ergo et in integro [23] omnia: sic enim scribis. Mihi etsi kalendæ vitandæ fuerunt, Nicasionumque [24] ἀρχέ-

suum recognovisse, ubi scripserat, c. 26, Fannium historicum generum esse Lælii. Videtur autem non probare opinionem Attici; nihil enim mutavit. Ed.

18. *De Serv. Galba.* Supple, ad populum tulit. Epitome Livii, lib. XLIX. De quo Cicero in Bruto, cap. 23. Ed.

19. J. F. Gronovius, adhibito Tornæsian. codice, sic emendat sequentia: « Conturbat enim me in Bruti epitome Fannianorum quod erat in extremo: idque ego, etc. » Ernestius tantum delendum putat *Bruti epitome*. Nihil forte delendum. J. V. L.

20. *Fannianorum.* Annalium C. Fannii (de quibus Leg. I, 2), quos in epitomen Brutus contraxerat. J. F. Gronovius.

21. Γεωμετρικῶς. More geometrico.

22. *Hortensio.* Quem in Bruto, c. 88, magna memoria testatur fuisse. Ed.

23. *Ergo et in integro.* Ergo et senatui non interfui, et nihilominus omnia mihi in integro sunt apud Cæsarem: animus illius erga me nihil est immutatus, quamquam kalendis Romæ non adfuerim, quum senatus habitus est. Man.

24. *Nicasionumque* ἀρχέτυπα. Sic lego, etsi alii aliter mutant. Nicasiones erant argentarii, aut fœneratores: fortassis ita dicti, quod ceteros in hoc negotiationis genere vincerent. Est enim Nicasio nomen proprium origine græcum, apud Ciceronem in Verrem, IV, 51. Afranius in fabula Incendio, « Servus est mihi Nicasio sceleratus, curiosus ». Cæcilius in inscriptione comœdiæ, cujus testimonio Nonius aliquoties utitur, Botonicasio, quasi pecuarius, vel pecoris magister. Ἀρχέτυπα vocat *Calendaria* fœneratorum, in quæ velut in primigenias tabulas nomina referunt. Popma. — Bosio placebat *Neonicasionum*. Bosius vero monstra amat nimium, et quidquid novum est. Sic sæpe J. F. Gronovius, qui h. l. conjicit νεοεικοστώνων. Seb. Mongaltii rationem probat. J. V. L.

τυπα fugienda, conficiendæque tabulæ [25]; nihil tamen tanti, ut a te abessem, fuit. Quum Romæ essem, et te jam jamque visurum me putarem, quotidie tamen horæ, quibus exspectabam, longæ videbantur. Scis me minime esse blandum : itaque minus aliquando dico, quam sentio.

25. *Conficiendæque tabulæ.* De tabulis loquitur accepti et expensi, quas quilibet paterfamilias conficiebat. J. F. Gronov.

EPISTOLA VI.

De auro a Cœlio permutando; de Tyrannionis libro ad Atticum misso; de loco in Ciceronis Oratore corrigendo; de Cæsaris ad Atticum literis; de Atticæ invaletudine. (In Tusculano, anno U. C. 707, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

De Cœlio, vide, quæso, ne qua lacuna [1] sit in auro. Ego ista novi [2]. Sed certe in collybo est detrimenti satis. Huc aurum si accedit.... Sed quid loquor? tu videbis. Habes Hegesiæ [3] genus, quod Varro laudat. Venio ad Tyrannionem. Ain' tu? verum hoc fuit? sine me [4]? At ego quoties, quum essem otiosus, sine te tamen nolui? Quo modo hoc ergo lues? uno scilicet, si mihi librum miseris; quod ut facias, etiam atque

1. *Lacuna.* Lacuna dicitur esse in auro, quum in nummo, qui aureus videtur, aliquid est, quod aurum non sit. Quasi enim lacuna est in eo loco, ubi aurum non est : translatione sumpta a fundis, quos lacunæ deteriores faciunt. Man.

2. *Fere* omnes post Manutium, *non novi*. J. V. L.

3. *Habes Hegesiæ genus, quod Varro laudat.* Quia proxima verba minutatim inciderat, scribit se id fecisse exemplo Hegesiæ, cujus dicendi genus fractum erat, et velut in particulas incisum, ut idem refert in Oratore, 67 : « Saltat, incidens particulas ». Et in Bruto : « quid tam fractum, tam minutum? » Habes, inquit, hoc exemplo genus dicendi Hegesiæ. Bosius.

4. *Verum hoc fuit, sine me?* Subaudi, te legere Tyrannionis librum. Et dixit, *verum*, pro æquum. Man.

etiam rogo. Etsi me non magis liber ipse delectabit, quam tua admiratio delectavit. Amo enim πάντα φιλόδημον : teque istam tam tenuem θεωρίαν [6] tam valde admiratum esse gaudeo. Etsi tua quidem sunt ejusmodi omnia. Scire enim vis; quo uno animus alitur. Sed, quæso, quid ex ista acuta et gravi refertur ad τέλος [7]? Sed longa oratio est, et tu occupatus in meo quidem fortasse aliquo negotio; et pro isto asso [8] sole,

5. Πάντα φιλόδημον. *Omnem popularem :* hoc est, qui vulgaria non spernit.

6. Θεωρίαν. *Commentationem :* de arte fortasse grammatica, quam Tyrannio profitebatur.

7. Τέλος. *Finem*, scilicet bonorum et malorum. Quasi dicat : ut acuta et gravis sit, quemadmodum tu scribis, Tyrannionis ista θεωρία, mihine ad opus quod molior de bonorum et malorum finibus, aliquam utilitatem afferet? — Popma et Bosius conjecerunt, ex his *acuta et gravi*, Tyrannionem scripsisse de accentibus. Ed.

8. *Pro isto asso sole.* Loci hujus sententiam unus mihi videtur Mongaltius vidisse; quem lubens sequar : nec tamen verbum reddam pro verbo. Inter alias corporis curandi artes, hanc adhibebant veteres Græci, Romanique, ut in sole nudi vel sederent, vel ambularent, quo frigidis humoribus excoquendis opportunum solis calorem cutis combiberet. Juvenalis, XI, 203: « Nostra bibat vernum contracta cuticula solem ». Eam vocabant *insolationem*, et *apricationem*. Si corpus ante apricationem oleo perfuderant, hanc dicebant apricationem unctam. Cicero vocat « unctum solem, nitidumque » : quoniam solares radii in cuticulæ meatus insinuabant sese quasi uncti ac nitentes oleo, quod secum vehebant. Si unctura non præcesserat, assa erat et sicca insolatio. Nam *assum*, auctore Servio in Georg. II, 417, est *siccum*. Propterea *uncto ac nitido soli* opponitur *sol assus*. Quorsum autem hic mentio *pratuli*? Quoniam dialogus de claris Oratoribus, in quo loquitur Cicero, audiente Attico et Bruto, habitus esse fingitur in pratulo, ubi apricabantur. Lecto amici libro, scripserat, ut videtur, Atticus : « Isto sole in pratulo tuo sum abusus » : quo significaret, ea se lectione magnopere esse delectatum : nam *abuti* est uti ad delicias et voluptatem. Respondet Cicero in eadem perstans metaphora; qua quid velit, clarius apparebit, si referamus animum ad ea, quæ antecedunt de Tyrannione. Hoc, ni fallor. Ex ea, quam commemoras, Tyrannionis commentatione grammatica, quis potest mihi fructus existere ad eam scriptionem, quam meditor *de finibus bonorum*? At enim quæ ad hoc argumentum pertinentia interrogare et scire a te volo, plura sunt, quam ut includi omnia in epistolam possint : et quum una erimus, id agemus per otium. Tum exigam quod pro illis debes, quæ a me de Oratoribus, quum *in pratulo* ad solem sederemus, accepisti : faciamque, ut levia nostra ac vulgaria, quibus tamen te delectatum esse ais, utilibus multis, quæ interrogando a te auferam, scitu que dignis remuneres. Olivet.

quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque[9] repetemus. Sed ad prima redeo. Librum, si me amas, mitte. Tuus est enim profecto, quoniam quidem est missus ad te.

« Chreme, tantumne ab re tua est otii tibi[10] », ut etiam Oratorem[11] legas? Macte virtute! mihi quidem gratum, et erit gratius, si non modo in libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem[12] reposueris pro Eupoli. Cæsar autem mihi irridere visus est « Quæso » illud tuum[13], quod erat εὐπινὲς[14] et urbanum. Ita porro te sine cura esse jus-

9. *Nitidum solem unctumque.* Adludit ad morem Græcorum et Romanorum, qui solebant nudi incedere ad solem. Aliquando ungebantur: hinc apud Ciceronem *asso sole*, et in Platone ἡλίῳ καθαρῷ. Loci erant huic usui appositi; solaria et heliocamini dicebantur. Vid. Plin. jun. epist. I, 17; III, 1; IV, 16. Pers. sat. IV, 18: « Assiduo curata cuticula sole »; et Juven. XI, 203: « Nostra bibat vernum curata cuticula solem ». Sciendum ut hoc intelligatur librum de claris Oratoribus dialogum esse inter Ciceronem, Atticum et Brutum: « Tum in pratulo propter Platonis statuam consedimus ». Assus idem est ac *merus*, *purus*: sic *assa vox*, *assum vinum*: unde facile intelligitur quid sit assus sol oppositus τῷ sol unctus et nitidus. Ed.

10. *Tantumne.* Alludit ad locum Terentii in Heautontim. I, 1, 23. — *Chreme, tantumne ab re tua est otii tibi.* Alii, « Chreme, tantumne est ab re tua otii tibi? » J. V. L.

11. *Oratorem.* Librum, quem de perfecto oratore ad M. Brutum Cicero misit: cujus inscriptio est, *Orator.* Man.

12. *Aristophanem.* Perspicuum est, in oratione subintelligi, in quo hæc de Pericle: « Si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Græciam dictus esset ». Quod Cicero quum Eupoli primum tribuisset in Orat. c. 9, postea correxit. Man.

13. *Quæso illud tuum.* Cæsar rogatus ab Attico ut parceret Buthrotiis in Epiro, quorum agri, quod Pompeio studuissent, proscripti erant, ita responderat, ut jocaretur in verbo *quæso*, quo usus fuerat Atticus, sive ipsum id improbaret tamquam antiquum (nam sine dubio id verbum superest ex eo quod antiquissimi *asa* pro *ara*, *Fusii* pro *Furii*, et sic *quæso* pro *quæro* dixerunt. Posteriores adamarunt utrumque, et significationibus distinxerunt), sive audaciùs Atticus alia et prorsus inveterata terminatione usus esset, ut *quæsere* Plauti, *quæsit* Lucretii, *quæsens*, ut Apuleius. Scripsit autem de analogia Cæsar, et erat exactor latini sermonis diligens, si non morosus. Atticus igitur nonnihil dubius, consulto Cicerone nunc cognoscit ludum hunc et jocum esse, sed de re, futurum Cæsarem in Attici potestate. J. F. Gaun.

14. Εὐπινές. Elegans.

sit, ut mihi quidem dubitationem omnem tolleret. Atticam doleo tam diu[15]: sed quoniam jam sine horrore est, spero esse, ut volumus.

15. *Tam diu*. Febri laborare. Supra epist. 1. MAN.

EPISTOLA VII.

Quid cum Cicerone filio coram egerit, exponit. (Anno U. C. 707.)

CICERO ATTICO S.

QUÆ desideras, omnia scripsi in codicillis[1], eosque Eroti dedi, breviter, sed etiam plura quam quæris; in iis, de Cicerone: cujus quidem cogitationis initium tu mihi attulisti. Loquutus sum cum eo liberalissime: quod ex ipso, velim, si modo tibi erit commodum, sciscitere. Sed quid differo? Exposui, te ex me detulisse[2], ecquid vellet, ecquid requireret; velle Hispaniam, requirere liberalitatem. De liberalitate, dixi, quantum Publilius[3], quantum flamen Lentulus filio. De Hispania, duo attuli; primum idem, quod tibi, me vereri vituperationem: non satis esse, si hæc arma[4] reliquissemus? etiam contraria[5]? deinde fore, ut angeretur, quum a fratre[6] familiaritate et omni gratia vinceretur. Velim[7] magis liberalitate uti mea,

1. *Codicillis*. Tabellæ erant ligneæ cera illitæ quibus cum stylo inscribebatur. ED.

2. *Te ex me detulisse*. Te ad Ciceronem filium detulisse quod ex me intellexeras, diceret ecquid vellet, ecquid requireret. Illum respondisse, velle in Hispaniam ire cum Cæsare contra Pompeii liberos, etc. POPMA.

3. Al. *Publius*, quod Grævius servavit. J. V. L.

4. *Arma*. Pompeiana. MAN.

5. *Contraria*. Subintellige sequi. IDEM.

6. *Fratre*. Q. Ciceroni filio, qui familiarior et gratiosior esset apud Cæsarem, utpote qui Lupercus in gratiam illius fuisset. IDEM.

7. *Velim*. Volo, ut potius pecuniam a me, quantam vult, sumat, quam in Hispaniam eat. Et dicit, *Sua libertate*, quia, si M. Cicero in Hispaniam

quam sua libertate : sed tamen permisi. Tibi enim intellexeram non nimis displicere. Ego etiam atque etiam cogitabo, atque, ut idem facias, rogo. Magna res et simplex est manere; illud anceps. Verum videbimus. De Balbo et in codicillis scripseram, et ita cogito, simul ac redierit : sin ille tardius, ego tamen triduum[8]. Et, quod præterii, Dolabella etiam mecum.

ivisset, quum id patri sciret non placere, nimirum liberius agere visus esset. MAN. — *Velim*. Lambinus et Bosius, *Velit*. Restituit Grævius veterem lectionem. J. V. L.

8. *Ego tamen triduum*. Hic manebo. Et dictio, *tamen*, venuste posita pro *certe* : quia desiderium rusticandi declaratur. Ut hoc dicat : Quum primum Balbus redierit, Romam me conferam : sin ille tardius, ego, quod optavi tamen assequar, ut hic triduum etiam manere possim. Non licet autem quarumdam dictionum occultam vim γεωμετρικῶς ostendere : sed, ingenio paullo acutiore qui sunt, facile, quod significavimus, intelligent : ceteris satisfacere neque semper possumus, etiam si velimus, neque, si possimus, semper velle debemus. MAN.

EPISTOLA VIII.

De hortis transtiberinis emendis. (Anno U. C. 708.)

CICERO ATTICO S.

De Cicerone, multis res placet[1] : comes[2] est idoneus. Sed de prima pensione[3] ante videamus. Adest enim dies, et ille currit. Scribe, quæso, quid referat Celer egisse Cæsarem cum candidatis, utrum ipse in Fœnicularium[4], an in Martium campum cogitet. Et

1. *Res placet*. Ut Athenas literarum causa proficiscatur. MAN.

2. *Comes*. Montanus, de quo ep. 51 hujus libri, et 16 et 17 lib. XIV. IDEM.

3. *Pensione*. Exigamus primam pensionem dotis a Dolabella, antequam Ciceronem Athenas mittamus. Adest enim dies solutionis, nimirum kal. quintiles : et Cæsar ex Hispania reditum accelerat; cui Dolabella obviam ibit. POPMA.

4. *Fœnicularium*. Fœnicularius campus erat in Hispania Bœotica. Græce μάραθον, vel μάραθρον. Strabo, l. III. Lipsius, Elect. II, 21. Sensus : utrum ipse Celer impetraverit aut provinciam aut procurationem aliquam in Hispa-

sane scire velim, numquid necesse sit comitiis esse Romæ. Nam et Piliæ satisfaciendum[5] est, et utique Atticæ.

nia a Cæsare; an vero spem urbani honoris comitiis accipiendi in campo Martio. J. F. Gronov.

5. *Piliæ satisfaciendum*. In deducendo aliquo candidato, qui Piliæ cognatus fuit. Corr.

EPISTOLA IX.

Scribit se hic libenter versari, nisi interpellasset Philippus. (Puteolis, anno U. C. 707, mense septembri.)

CICERO ATTICO S.

Næ ego essem hic[1] libenter, atque id quotidie magis, nisi esset ea causa, quam tibi superioribus literis scripsi. Nihil hac solitudine jucundius, nisi paullum interpellasset Amyntæ filius[2]. Ὦ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς[3]! Cetera noli putare amabiliora fieri posse villa, litore, prospectu maris, tum his rebus omnibus. Sed neque hæc digna longioribus literis; nec erat, quod scriberem; et somnus urgebat.

1. *Hic*. In Cumano, ubi Philippus Ciceroni vicinus fuisse cognoscitur, lib. XIII, 51, et XIV, 10, 11, 12. Corr.

2. *Amyntæ filius*. Philippus: idque per notam: quoniam Philippus Macedo Amyntæ fuit filius. Illum per notam appellat, ne virum Cæsaris affinem offendat aperte, quum loquacem vocet. Erat Cæsaris affinis, ut Octavii pueri vitricus. Ep. 12, lib. XV. Idem.

3. Ὦ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς. O loquacitatem insuavem!

EPISTOLA X.

Atticum de Athamantis morte consolatur, et Alexim ejus curæ commendat. (Puteolis, anno U. C. 707, mense septembri.)

CICERO ATTICO S.

MALE mehercule de Athamante[1]. Tuus autem dolor humanus is quidem, sed magnopere moderandus. Consolationum autem multæ viæ, sed illa rectissima. Impetret ratio, quod dies impetratura est. Alexim[2] vero curemus, imaginem Tironis, quem ægrum Romam remisi: et, si quid habet collis[3] ἐπιδήμιον[4], ad me cum Tisameno[5] transferamus. Tota domus superior vacat, ut scis. Hoc puto valde ad rem pertinere.

1. *Athamante*. Servo, vel liberto mortuo. CORR.

2. *Alexim*. Ægrotantem. Et hic Attici servus. Ep. 2, lib. VII. MAN.

3. *Collis*. Collis Quirinalis, in quo tua domus est. IDEM.

4. Ἐπιδήμιον. Contagiosum.

5. *Tisameno*. Tisamenus nomen servi Attici, et regis Lacedæmoniorum undecimi. Nam servi plerique habebant nomina regum, ut Agamemnon, Alexander, Pelops: et fere omnes græca, ut illa notissima in comœdiis, Strobilus, Anthrax, Davus, etc. POR. — Manutius conjicit *Thallumeto*, qui et ipse erat Attici servus, ex epistol. ad Attic. V, 12. Male olim, *testamento*. J. V. L.

EPISTOLA XI.

Seii mortem dolendam, sed humaniter ferendam. Quid agat in senatu sibi quærendum esse. Denique nihil se de Pompeii filia, aliaque conditione uxoria sibi oblata cogitare scribit. (Anno U. C. 707.)

CICERO ATTICO S.

MALE de Seio. Sed omnia humana tolerabilia ducenda. Ipsi enim quid sumus? aut quam diu hæc cu-

raturi sumus? Ea videamus, quæ ad nos magis pertinent, nec tamen multo [1], quid agamus de senatu. Et, ut ne quid prætermittam, Cæsonius ad me literas misit, Postumiam [2] Sulpicii domum ad se venisse. De Pompeii Magni filia, tibi rescripsi, nihil me hoc tempore [3] cogitare. Alteram vero illam, quam tu scribis, puto, nosti. Nihil vidi fœdius [4]. Sed adsum. Coram igitur.

Obsignata epistola, accepi tuas. Atticæ hilaritatem libenter audio; commotiunculis [5] συμπάσχω [6].

1. *Nec tamen multo.* Ut enim diligenter consideremus, quid agamus de senatu; nihil tamen proficimus : siquidem omnino respublica jacebit. Quod quum ita sit, hoc ipsum de dicenda in senatu sententia non multo magis ad nos pertinet, quam communis omnium interitus. Man. — *Quid agamus de senatu.* Scilicet quomodo agamus in senatu, ne Cæsari displiceamus, sermoque noster nec humilior sit, quod adulatoris esset, nec liberior et audacior, quod temporibus rebusque nostris minime conveniret. Ed.

2. *Postumiam Sulpicii.* Subintelliga, uxorem. Nam veteres sic loquebantur, ut dicerent, Terentia Ciceronis, Postumia Sulpicii, Mucia Pompeii, et hujusmodi, *uxor* subaudientes. Man.

3. *Hoc tempore.* Quum Terentiam jam dimisisset, de ducenda uxore Cicero cogitabat. Hujus rei causa Postumia venerat, ut cum Cæsonio loqueretur. Eodem spectant ea quæ sequuntur. Duxit autem postea Publiliam quamdam, quam et ipsam deinde, quod Tulliolæ morte lætari videretur, dimisit. Man. — Terentiæ nimirum Cicero media æstata ann. U. C. 707 nuntium remisisse videtur, statimque novis nuptiis animum adjecisse. Publiliam vero, abjectis aliis conditionibus, ut temporum ratio constet, duxisse videtur sub exitum ejus anni, quum Romam e villis rediisset. Sch.

4. Al. « Nihil enim v. f. » J. V. L.

5. *Commotiunculis.* Hoc ad morbum illum Atticæ referendum, cujus mentio fit epist. 6, supra. Ex hoc morbo illa quidem convaluerat, sed tamen commotiunculæ quædam supererant febriles. Sch.

6. Συμπάσχω. Æque afficior.

EPISTOLA XII.

De dote Tulliæ a Dolabella repetenda; de loco ad fanum Tulliæ exstruendum capiendo; de personis in libro de Finibus inducendis. Se quotidie scripturum, ut Attici literas eliciat. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

De dote [1], tanto magis perpurga [2]. Balbi regia [3] conditio est delegandi [4]. Quoquo modo confice: turpe est, rem impeditam jacere. Insula Arpinas habere potest germanam ἀποθέωσιν [5]; sed vereor, ne minorem

1. *De dote.* Cicero anno superiore cum Terentia divortium fecerat, initio ejus anni Publiliam duxerat. Eodem tempore Tullia a Dolabella dimissa filiolum Lentulum pepererat. Eaque jam videbatur ex partu satis firma esse (conf. ad Div. VI, 18); sed paullo post tamen morbo consumpta decessit, mense januario exeunte. Videtur autem in Tusculano apud patrem decessisse. Ex quo Cicero se Romam in Attici domum contulit. Ab Attico Asturam profectus est, ut ipse scribit ad Att. XII, 40. Quod autem ibidem scribit se triginta dies in hortis fuisse, scil. suburbanis, verisimile est id factum, antequam Asturam proficisceretur; ideo has ep. in mensem martium incidere. Ed.

2. *Perpurga.* Est, expedi, explica, nempe ut solvatur. J. F. Gronov.

3. *Regia.* Sæpenumero apud Ciceronem *regium* in malam partem accipitur. Significat enim, non ferendum, quasi tyrannicum; ducta translatione ab odio Romanorum in reges suos. Conditio ergo regia delegandi Balbi, est dura et iniqua conditio delegandi Balbum. Nam dicebat Dolabella se paratum esse dotem Tulliæ Ciceroni restituere, modo is vellet eam exigere a Balbo, quem ipsi debitorem delegabat. At quum Balbus familiarissimus esset Cæsaris, Romæque plurimum auctoritate posset, difficillime ab eo pecuniæ exigi poterant. Bosius.

4. *Delegandi.* Scilicet debitoris, qui solvet alii, quod nobis debet, cui nos debemus. Cic. superius, ep. 3 hujus libri: « Nomen illud quod a Cæsare tres habet conditiones, aut emptionem ab hasta..... aut delegationem a mancipe annua die, aut Vecteni conditione, semissem. » J. F. Gronov.

5. Ἀποθέωσιν. Relationem in deos. Insula Arpinas, inquit, videri potest ad Tulliæ ἀποθέωσιν maxime accommodata. Etsi nihil adhuc de ejus morte scriptum est, constat tamen his temporibus ex partu decessisse. Corr.— De hac insula, lib. II, de Leg. cap. 1.

τιμὴν[6] habere videatur. Ἔκτροπος[7] est. Igitur animus in hortis[8]: quos tamen inspiciam, quum venero. De Epicuro, ut voles[9]; etsi μεθαρμόζομαι[10] in posterum genus hoc personarum. Incredibile est, quam ea quidam requirant[11]. Ad antiquos[12] igitur; ἀνεμέσητον γάρ[13]. Nihil habeo, ad te quod perscribam, sed tamen instituì quotidie mittere, ut eliciam tuas literas; non quo aliquid ex his exspectem; sed nescio quo modo tamen exspecto. Quare sive habes quid, sive nihil habes, scribe tamen aliquid, teque cura.

6. Τιμήν. *Honorem, celebritatem.*

7. Ἐκτρόποιμος. *A via remota.* Quod nomen Cicero junxit ἐκ τοῦ ἐκτρέπεσθαι καὶ τοῦ οἴμου, quod insula Arpinas nimis a via deflecteret et declinaret. Bos. — Vide Turnebi Advers. XII, 2. — E MS qui habebat ἐκτρόπιμος, fecit Bosius ἐκτρόποιμος. Ed. Rom. Γνώριμος, quod nihil est. Sequimur cum Ernest. emendationem Gronovii. J. V. L.

8. *In hortis.* Qui erant circa Romam plurimi: sed Transtiberini propter fluminis vicinitatem celebriores: itaque hoc maxime voluisset Cicero: unde illud ep. 19: « Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare: nihil video, quod tam celebre possit ». Manut.

9. *Ut voles.* Cicero hoc tempore scribebat libros de Finibus, in quibus Atticus volebat ut pro Epicuro loquentem induceret aliquem eorum, qui viverent: quod etiam fecit. Induxit enim L. Torquatum Attici familiarem, et Epicureæ sectæ studiosum. Popma.

10. Μεθαρμόζομαι. *Commuto, ad alias personas transfero.* Sermo est de Dialogis philosophicis, quod refingebat, et alias personas inducebat, ut in Academicis fecit. Ern.

11. *Requirant.* Non possum satisfacere omnibus, qui a me hoc honore affici volunt. J. F. Gron.

12. *Antiquos.* Id est, eos qui perierunt, inducam loquentes. Man.

13. Ἀνεμέσητον γάρ. Non enim invidiosum.

EPISTOLA XIII.

De Atticæ valitudine; de Bruti literis; de luctu suo; de se apud Apuleium augurem, quod ad cœnam aditialem non veniat, excusando; de Cocceio, ut pecuniam solvat, excusando. (Asturæ anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Commovet me Attica; etsi assentior Cratero [1]. Bruti literæ, scriptæ et prudenter, et amice, multas mihi tamen lacrymas attulerunt. Me hæc solitudo minus stimulat, quam ista celebritas: te unum desidero; sed literis non difficilius utor, quam si domi essem. Ardor [2] tamen ille idem urget et manet, non mehercule indulgente me, sed tamen non repugnante.

Quod scribis de Apuleio, nihil puto opus esse tua contentione, nec Balbo et Oppio; quibus quidem ille receperat, mihique etiam jusserat nuntiari, se molestum [3] omnino non futurum. Sed cura, ut excuser morbi causa [4] in dies singulos. Lænas hoc receperat. Prende [5] C. Septimium, L. Statilium. Denique nemo negabit se juraturum, quem rogaris [6]. Quod si erit durius, veniam, et ipse perpetuum morbum jurabo. Quum enim mihi carendum sit conviviis, malo id lege [7] videri facere, quam dolore. Cocceium velim

1. *Cratero.* Medico affirmanti nobis de Atticæ morbo nihil gravius timendum esse, etiamsi illo diutius teneretur. Popma.

2. *Ardor.* Dolor ob mortem Tulliæ.

3. *Molestum.* Ut Romam irem ad cœnam auguralem : quam ipse parat, in augurum collegium cooptatus. Manut.

4. *Morbi causa.* Aul. Gell. XX, 1.

5. *Prende.* Ut cum Lænate me apud Apuleium excusent. Idem.

6. Al. *quemquem rogaris.* J. V. L.

7. *Malo id lege.* Ut homines, inquit, non propter dolorem amissæ filiæ, sed propter invalitudinem conviviis me carere suspicentur. Nam, si amicorum gratia impetraret, incertum

appelles[8]: quod enim dixerat, non facit; ego autem volo aliquod emere latibulum et[9] perfugium doloris mei.

fuisset, utrum id morbi causa faceret, an doloris. Dolorem autem celare volebat: itaque de morbo jurando cogitabat. Man. — Male Corrad. de lege sumptuaria intellexit. Hic agitur de cœna Apuleii, quam supra, not. 3, vocavit *auguralem* Manutius; hanc *adipalem* Plinius lib. X, cap. 20; *adjicialem* Varro, de Re rust. lib. III, 6, sic dictam, quod in ea multa extra ordinem et justa fercula *adjiciebantur*; et *Pontificialem*, Macrob. Saturn. III, cap. 13; Lipsius vero de Magn. Rom. IV, 9, scripsit *aditialem*, quia in aditu honoris dari solebat. Ed.

8. *Appelles*. De pecunia, quam nobis debet. Epist. 18 et 19. Man. — Fortasse tamen Cicero ab eo pecuniam mutuam sumere voluit. Sch.

9. Al. ignorant *et*. J. V. L.

EPISTOLA XIV.

De se apud Apuleium excusando; de sponsione sua pro Cornificio; de luctu suo et libro ad consolationem suam scripto; de Bruti ad se literis; de Atticæ morbo. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

De me excusando apud Apuleium dederam ad te pridie literas. Nihil esse negotii arbitror. Quemcumque appellaris, nemo negabit. Sed Septimium vide, et Lænatem, et Statilium: tribus enim opus est[1]; sed mihi Lænas totum receperat. Quod scribis a Junio[2] te appellatum, omnino Cornificius locuples est: sed tamen scire velim, quando dicar spopondisse, et pro patre, anne pro filio: neque eo minus, ut scribis, procuratores Cornificii, et Apuleium prædiatorem

1. *Tribus enim opus est*. Testibus, qui jurent me morbo laborasse. Corr.

2. *Junio*. Junius Atticum appellaverat, quasi Ciceronis procuratorem, Ciceronem sibi debere dicens, quod pro Cornificio spopondisset. Cicero sponsionis tempus non recordatur, et ait Cornificium posse ipsum solvere. Sponsor enim, id est, fidejussor, appellari non poterat, si locuples reus esset, ex antiqua lege, cujus mentio fit in Novell. Const. Just. Man.

videbis. Quod me ab hoc mœrore recreari vis, facis, ut omnia: sed, me mihi non defuisse, tu testis es. Nihil enim de mœrore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi tuæ legerim. Sed omnem consolationem vincit dolor. Quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per literas consolarer. Quem librum [3] ad te mittam, si descripserint librarii. Affirmo tibi nullam consolationem esse talem. Totos dies scribo; non quo proficiam quid; sed tantisper impedior, non equidem satis (vis enim urget), sed relaxor tamen, omniaque nitor, non ad animum, sed ad vultum ipsum, si queam, reficiendum; idque faciens, interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse, nisi faciam. Solitudo aliquid adjuvat, sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses: quæ mihi una causa est hinc discedendi. Nam, pro malis, recte habebat; quamquam ipsum [4] doleo [5]. Non enim jam in me idem esse poteris. Perierunt illa, quæ amabas. De Bruti ad me literis scripsi ad te antea: prudenter scriptæ; sed nihil, quo me adjuvarent. Quod ad te scripsit, id vellem, ut ipse adesset; certe aliquid, quoniam me tam valde amat, adjuvaret. Quod si quid scies, scribas ad me velim, maxime autem, Pansa quando [6]. De Attica, doleo; credo tamen Cratero [7]. Piliam angi veta: satis solitus es mœrere pro omnibus.

3. *Librum*. Cujus exstant fragmenta, et aurea quidem, tomo Philosophicor. II.

4. Ernest. conj. *id ipsum*. J. V. L.

5. *Doleo*. Cupio, inquit, tecum esse. Quod ipsum tamen doleo. Non enim eum me, quem soles, videbis. MAN.

6. *Quando*. Roma proficiscatur, in Galliam iturus, ut Bruto succedat. IDEM.

7. *Cratero*. Vide superiorem epist.

EPISTOLA XV.

De excusatione apud Apuleium; de solitudine sua; de literis ad Brutum scribendis. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Apud Apuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuser, videbis. In hac solitudine careo omnium colloquio; quumque mane me in silvam abstrusi densam et asperam, non exeo inde ante vesperum. Secundum te, nihil est mihi amicius solitudine. In ea mihi omnis sermo est cum literis. Eum tamen interpellat fletus, cui repugno, quoad possum; sed adhuc pares non sumus. Bruto, ut suades, rescribam: eas literas cras habebis. Quum erit cui des, dabis.

EPISTOLA XVI.

Atticum se nolle scribit ad se venire. Veretur ne solitudinem suam Philippus tollat; dolorem suum literis non leniri, sed obturbari. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Te, tuis negotiis relictis, nolo ad me venire: ego potius accedam, si diutius impediere. Etsi ne discessissem quidem e conspectu tuo, nisi me plane nihil ulla res adjuvaret. Quod si esset aliquod levamen, id esset in te uno; et, quum primum ab aliquo poterit esse, a te erit. Nunc tamen ipsum[1] sine te esse non possum. Sed nec tuæ domi probabatur, nec meæ po-

1. *Nunc ipsum*. I. e. hoc ipso tempore. Ed.

teram; nec, si propius essem uspiam, tecum tamen essem. Idem enim te impediret, quo minus mecum esses, quod nunc etiam impedit. Mihi adhuc nihil prius fuit hac solitudine, quam vereor ne Philippus[2] tollat: heri enim vesperi venerat. Me scriptio et literæ non leniunt, sed obturbant.

2. *Philippus.* L. Marcius, Cæsaris familiaris et affinis. Ed.

EPISTOLA XVII.

De se apud Apuleium excusato; de sponsione pro Cornificio; de Pansæ profectione; Atticam et Piliam salvere jubet. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Marcianus ad me scripsit, me excusatum esse apud Apuleium a Laterensi, Nasone, Lænate, Torquato, Strabone. Iis velim meo nomine reddendas literas cures, gratum mihi eos fecisse. Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis xxv spopondisse dicit Flavius, etsi reus[1] locuples est, et Apuleius prædiator liberalis, tamen velim des operam, ut investiges ex consponsorum tabulis, sitne ita. Mihi enim ante ædilitatem meam nihil erat cum Cornificio. Potest tamen fieri; sed scire certum velim; et appelles procuratores, si tibi videtur. Quamquam quid ad me? verumtamen[2]. Pansæ profectionem scribes, quum scies. Atticam salvere jube, et eam cura, obsecro, diligenter. Piliæ salutem.

1. *Reus.* Is, pro quo spopondi. Hoc enim *reus* aliquando significat. Man.

2. *Verumtamen.* Subaudi, appelles procuratores: vide quid procuratores Corfinii dicant. Locutio Ciceroni familiaris. Idem.

EPISTOLA XVIII.

De fano in honorem Tulliæ exstruendo; de epistola ad Brutum; de domesticis quibusdam; de pecuniæ solutione Cocceio et Libone promissa; de excusatione apud Apuleium; de Attici se conveniendi proposito; de Antonii adventu; de eo quod Terentia in obsignatoribus testamenti sui reprehenderit. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Dum recordationes fugio, quæ quasi morsu quodam dolorem efficiunt, refugio a te admonendo[1]. Quod velim mihi ignoscas, cuicuimodi est. Etenim habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod sæpe tecum egi, et quod a te approbari volo. De fano illo dico; de quo tantum, quantum me amas, velim cogites. Equidem neque de genere dubito; placet enim mihi Cluatii[2] : neque de re; statutum est enim : de loco[3] nonnumquam. Velim igitur cogites. Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monimentorum, ab omnium ingeniis scriptorum, et græcorum[4], et latinorum : quæ res forsitan sit refricatura vulnus meum. Sed jam quasi voto quodam et promisso me teneri puto; longumque illud tempus, quum non ero, magis me movet, quam hoc exiguum, quod mihi tamen nimium

1. *Admonendo*. De fano, quod erigere mortuæ filiæ volo. Manut.

2. *Cluatii*. Placet mihi fanum ea forma, qua Cluatius descripsit. Videtur autem Cluatius hic architectus fuisse, aut certe hujus generis intelligens. Quod etiam infra apparet, ep. 35. Idem.

3. *De loco*. Supple, dubito.

4. Verba, « ab omnium... latinorum », videntur a glossatore adjecta, qui vellet explicare illud, « omni genere monimentorum ». Certe, nisi hæc interpolata sunt, legendum, « et omnium... latinorum », ut appareat Ciceronem iis uti velle. Ed.

longum videtur. Habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam. Nam, dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi fovebam dolores meos. Nunc omnia respuo, nec quidquam habeo tolerabilius, quam solitudinem; quam, quod eram veritus, non obturbavit Philippus. Nam, ut heri me salutavit, statim Romam profectus est. Epistolam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat, scripsi, misi ad te [5]. Curabis cum tua perferendam. Ejus tamen misi ad te exemplum, ut, si minus placeret, ne mitteres. Domestica quod ais ordine administrari, scribes, quæ sint ea : quædam enim exspecto. Cocceius vide ne frustretur [6]. Nam Libo quod pollicetur, ut Eros scribit, non incertum puto [7]. De sorte [8] mea Sulpicio confido, et Egnatio scilicet. De Apuleio, quid est, quod labores, quum sit excusatio facilis? Tibi ad me venire, ut ostendis, vide, ne non sit facile : est enim longum iter, discedentemque te, quod celeriter tibi erit fortasse faciendum, non sine magno dolore dimittam. Sed omnia, ut voles. Ego enim, quidquid feceris, id quum recte, tum etiam mea causa factum putabo. Heri quum ex aliorum literis cognovissem de Antonii adventu [9], admiratus sum, nihil esse in tuis. Sed erant pridie fortasse scriptæ, quam datæ. Neque ista qui-

5. *Misi ad te.* Nempe cum hac epistola ad Atticum. Ed.

6. *Ne frustretur.* Ne non solvatur, quod se esse soluturum dixit. Ep. 19. Manut.

7. *Non incertum puto.* Non dubito, quin pecuniam nobis numeret. Idem. — Sch. delendam esse particulam censet. Ed.

8. *De sorte.* Hoc est, de ipso fœnore seu capite, pro quo Sulpitius et Egnatius spoponderunt. J. F. Gron.

9. *Adventu.* Significatur illud tempus, quo M. Antonius Roma profectus ut Hispaniam ad Cæsarem iret, deinde mutato consilio reditu admodum celeri per Italiam cucurrit, et noctu Urbem introivit. Cujus festinationis maxime causa fuit, quod, quum tempus jam adesset ejus pecuniæ solvendæ, quam pro emptis in auctione Cn. Pompeii bonis Cæsari debebat, verebatur, ne, ipso absente, prædes sui venderentur. Man.

dem curo : sed tamen opinor propter prædes suos accucurrisse. Quod scribis, Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui, primum tibi persuade, me istæc non curare, neque esse quidquam aut parvæ curæ, aut novæ loci. Sed tamen quid simile? illa[10] eos non adhibuit, quos existimavit quæsituros, nisi scissent, quid esset. Num id etiam mihi periculi fuit? Sed tamen faciat illa, quod ego. Dabo meum testamentum legendum cui voluerit : intelliget, non potuisse honorificentius a me fieri de nepote[11], quam fecerim. Nam quod non advocavi[12] ad obsignandum, primum mihi non venit in mentem; deinde ea re non venit, quia nihil attinuit. Tute scis (si modo meministi), me tibi tum dixisse, ut de tuis aliquos adduceres. Quid enim opus erat multis? equidem domesticos jusseram. Tum tibi placuit, ut mitterem ad Silium; inde est natum, ut ad Publilium : sed necesse neutrum fuit. Hoc tu tractabis, ut tibi videtur.

10. Ernest. mallet *ipsa*. Frustra.

11. *De nepote*. De Lentulo filio Dolabellæ et Tulliæ, de quo sic epistola 26 hujus libri : « Et velim aliquando, quum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas, eique de mancipiis quæ tibi videbitur, attribuas ». Ceterum ei puero Cicero summum honorem habuerat, quod eum heredem aliqua ex parte institueret in primis tabulis, aut certe in ima cera. Bosius.

12. *Quod non advocavi*. Amicos et ornatos viros : sed domesticis contentus fui præter Silium et Publilium. J. F. Gronov.

EPISTOLA XIX.

De loco ad fanum Tulliæ exstruendum eligendo; de Coccio Libone et judicatu suo quæ Atticus egerit sibi probari; de sponsione sua pro Cornificio; de Antonii reditu; de Pansæ profectione; de transactione cum Terentia. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Est hic[1] quidem locus amœnus, et in mari ipso, qui et Antio, et Circæis adspici possit : sed ineunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate (si modo hæc stabunt), illud quasi consecratum remanere possit. Equidem jam nihil egeo vectigalibus[2], et parvo contentus esse possum. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare, et quidem ob hanc causam maxime : nihil enim video, quod tam celebre esse possit; sed quos, coram videbimus : ita tamen, ut hac æstate fanum absolutum sit. Tu tamen cum Apella Chio confice de columnis[3]. De Cocceio et Libone quæ scribis, approbo; maxime, quod de judicatu[5] meo. De sponsu[5], si quid per-

1. *Hic.* Astura insula. Infra, ep. 4.

2. *Vectigalibus.* Vectigalia hic sunt reditus et pensiones quæ ex fundis et possessionibus capiuntur. Popma.

3. *Columnis.* Quibus ad fanum utemur; ne exspecta adventum meum, sed confice : id est, transige cum Apella Chio, eme eas ab Apella Chio. Nec dubito, quin columnas intelligat e Chio marmore, qui moneat Atticum, ut ea de re cum homine Chio conficiat. Quod si e Chio marmore, sequitur ut eas maxime voluerit, quæ maculis essent versicoloribus, non solum ad elegantiam, sed etiam ad firmitudinem fani. Nam hujus generis columnas reliquis fuisse firmiores scribit Plinius lib. XXXVI, cap. 6. Man.

4. *De judicatu.* Id est, de meo officio judicandi, ne propter id Romæ esse me necesse sit. Nimirum ne augures quidem vacationem habebant. Vox *judicatus* in hanc sententiam exstat Phil. I, cap. 8. J. F. Gronov.

5. *De sponsu.* Vide supra, ep. 17.

spexeris : et tamen[6] quid procuratores Cornificii dicant, velim scire; ita ut in ea re te, quum tam occupatus sis, non multum operæ velim ponere. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conscripsit, idque tibi placuisse, ne perturbarer[7]. Illis egi gratias. Te tamen, ut jam ante ad te scripsi, scire volo, me neque isto nuntio esse perturbatum, nec jam ullo perturbatum iri. Pansa si hodie, ut putabas, profectus est, posthac jam incipito scribere ad me, de Bruti adventu quid exspectes, id est, quos ad dies. Id, si scies ubi jam sit, facile conjectura assequere. Quod ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te, mi Attice, suscipe totum negotium. Vides et officium agi meum quoddam, cui tu es conscius, et, ut nonnulli putant, Ciceronis rem. Me quidem id[8] multo magis movet, quod mihi est et sanctius, et antiquius; præsertim quum hoc alterum neque sincerum, neque firmum putem fore.

6. Al. *sed tamen*. J. V. L.

7. *Ne perturbarer*. Quod Antonius repentino adventu noctu Urbem introisset. Ep. 18 et 20. MAN.

8. *Id*. Officium scilicet. Nam quod Terentia de filii re cogitet, « neque sincerum, neque firmum puto ». His verbis ejus malitiam et levitatem notat. ED.

EPISTOLA XX.

Respondet Attici literis; in primis ad ejus hortationem, ut se tam graviter dolere dissimularet; et aliquot quæstiones historicas ei proponit. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

NONDUM videris perspicere, quam me nec Antonius commoverit, nec quidquam jam ejusmodi possit commovere. De Terentia autem scripsi ad te iis literis, quas dederam pridie. Quod me hortaris, idque a ce-

teris desiderari scribis, ut dissimulem, me tam graviter dolere; possumne magis, qui totos dies [1] consumo in literis? quod etsi non dissimulationis, sed potius leniendi et sanandi animi causa facio, tamen, si mihi minus proficio, simulationi certe facio satis. Minus multa ad te scripsi, quod exspectabam tuas literas ad eas, quas ad te pridie dederam. Exspectabam autem maxime de fano, nonnihil etiam de Terentia. Velim me facias certiorem proximis literis, Cn. Cæpio, Serviliæ [2] Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit, an mortuo; item Rutilia [3] vivone C. Cotta, filio suo, mortua sit, an mortuo. Pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus.

1. Al. *quam quod t. d.* J. V. L.

2. *Serviliæ Claudii.* Scilicet uxoris. Ed.

3. *Rutilia.* P. Rutilii soror, quæ filium suum in exsilium sequuta est. Brut. cap. 29. Ed.

EPISTOLA XXI.

Reprehendit quædam in libro Bruti in laudem Catonis perperam scripta; de hortis fano Tulliæ exstruendo emendis; de Terentiæ negotio; de pecunia Oviæ curanda: denique Attico qui eum in forum revocaverat, cur ab eo refugiat exponit. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Legi Bruti epistolam, eamque tibi remisi, sane non prudenter [1] rescriptam ad ea [2], quæ requisieras. Sed

1. *Prudenter.* Optime Balliolensis, *pudenter*, hoc est, non satis modeste. Græv.

2. *Ad ea, quæ requisieras.* Σύνταγμα quoddam M. Brutus conscripserat, ut opinor, in Catonis laudem (hanc enim conjecturam duco ex iis, quæ proxime sequuntur); idque Attico legendum et judicandum miserat. Atticus respondens, quum quædam minus probaret, eorum rationem a Bruto requisivit. Ille nihil ad ea: tantum Atti-

ipse viderit : quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de[3] animadversione dixisse; quam omnes ante dixerant, præter[4] Cæsarem : et quum ipsius Cæsaris tam severa fuerit, qui tum prætorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottæ, L. Cæsaris, C. Pisonis, etiam M'. Glabrionis[5], Silani, Murenæ, designatorum consulum. Cur ergo in sententiam Catonis[6]? Quia verbis luculentioribus et pluribus rem eamdem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique ante, quam consulerem, ipse judicaverim. Quæ omnia quia Cato laudibus extulerat in cælum, perscribendaque censuerat, idcirco in ejus sententiam est facta discessio. Hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit, « optimum consulem ». Quis enim jejunius dixit inimicus? Ad cetera vero tibi quemadmodum rescripsit? tantum rogat, de senatusconsulto ut corrigas. Hoc quidem fecisset[7], etiamsi a Ranio[8] admonitus esset. Sed hæc iterum ipse viderit. De hortis, quoniam probas, effice

cum rogavit, ut, si quid incertius de S. C. in Catonis sententiam facto protulisset, id corrigeret. MANUT.

3. *De animadversione.* De puniendis iis, qui cum Catilina conjuraverant. MANUT.

4. *Omnes ante dixerant, præter Cæsarem.* Non quod in illo senatu Cato ante Cæsarem sententiam dixerit: hoc enim fieri non potuisse jam Manutius observavit, quum Cæsar, prætor designatus, Cato autem tribunus plebis designatus esset, prætores autem tribunos anteirent; sed, quod omnes, præter Cæsarem, qui ante Catonem sententiam dixissent, capitali pœna conjuratos afficiendos esse censuerant. SCH.

5. Vett. edd. *M. Atilii G.* Sed legendum erat *M'. Acilii.* J. V. L.

6. *In sententiam Catonis.* Subintelligitur, est facta discessio. MAN.

7. Male Ernestius pervertit hæc, legendo, *fecisses... esses.* J. V. L.

8. *Ranio.* Quem volunt fuisse scribam. — Habent alii vel *Rario*, vel *Tatio*, vel *Kanio.* Gruterus post Bosium ridicule hæc omnia, « etiam si ærario adnovitius esset »; Ernest. « etiamsi ab alio ». J. V. L.

aliquid. Rationes meas[9] nosti. Si vero etiam a Faberio aliquid accedit[10], nihil negotii est; sed etiam sine eo posse videor contendere. Venales certe sunt Drusi, fortasse et Lamiani, et Cassiani : sed coram. De Terentia non possum commodius scribere, quam tu scribis. Officium sit nobis antiquissimum. Si quid nos fefellerit, illius malo me, quam mei pœnitere. Oviæ C. Lollii[11] curanda sunt H-S c. Negat Eros posse sine me; credo, quod accipienda aliqua sit, et danda æstimatio[12]. Vellem tibi dixisset. Si enim res est, ut mihi scribit, parata, nec in eo ipso mentitur, per te confici potuit. Id cognoscas, et conficias velim.

Quod me in forum vocas, eo vocas, unde, etiam bonis meis rebus, fugiebam. Quid enim mihi cum foro, sine judiciis, sine curia, in oculos incurrentibus iis, quos æquo animo videre non possum? Quod autem homines a me postulare scribis, ut Romæ sim, neque mihi, ut absim, concedere, aut quatenus eos mihi concedere[13]; jam pridem scito esse, quum unum te pluris, quam omnes illos, putem; ne me quidem contemno; meoque judicio multo stare malo, quam omnium reliquorum. Neque tamen progredior

9. *Rationes meas nosti.* Meas facultates. Man.

10. *Recedit.* Manutius in hoc verbo mendum esse suspicatur, ac fortasse legendum, *res cedit.* Lambin. reponit, *aliquid procedit.* Lipsius, « a Faberio recidis », id est, aufers : lib. IV Ant. Lect. c. 19. Schütz. edidit « a Faberio accedit », scil. ut ab eo aliquid possimus exigere. Quem sensum vidit Man. Ed. — Al. *recedit.* J. V. L.

11. *Oviæ C. Lollii.* Subauditur, uxoris. Figura antiqua et optimis scriptoribus usitata. Man.

12. *Æstimatio.* Cæsar, pulso ex Italia Pompeio, quum Romam revertisset, fidesque tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur, constituit, ut arbitri darentur, per eos fierent æstimationes possessionum et rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus traderentur. Cf. de B. G. III, 1, et ad Div. IX, 18. Ed.—Hinc est, quod Cic. interdum dicit *accipere æstimationem,* pro accipere a debitore possessionem, aut rem, lege Cæsaris æstimatam. Man.

13. *Aut quatenus eos mihi concedere.* Puto verba illa esse insititia et delenda. Græv.

longius, quam mihi doctissimi homines concedunt; quorum scripta omnia, quæcumque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis ægroti, accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, quod certe afflicti et fracti animi non fuit. Ab his me remediis noli in istam turbam vocare, ne recidam.

EPISTOLA XXII.

Rogat, ut negotium, quod ad Terentiam attinebat, suscipiat. Quæstionem de Clodia proponit; de hortis fano Tulliæ exstruendo emendis iterum rogat. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

De Terentia, quod mihi omne onus imponis, non cognosco tuam in me indulgentiam. Ista enim sunt ipsa vulnera, quæ non possum tractare sine maximo gemitu. Moderare igitur, quæso, ut potes. Neque enim a te plus, quam potes, postulo : potes autem, quid veri sit, perspicere tu unus. De Rutilia [1], quoniam videris dubitare, scribes ad me, quum scies; sed quam primum, num Clodia [2], D. Bruto consulari, filio suo, mortuo, vixerit. Id de Marcello, aut certe de Postumia [3] sciri potest : illud autem de M. Cotta, aut de Syro, aut de Satyro. De hortis, etiam atque etiam te rogo. Omnibus meis, eorumque, quos scio mihi non defuturos, facultatibus, sed potero meis, enitendum mihi est. Sunt etiam, quæ vendere facile possim. Sed, ut non vendam [4], eique usuram pen-

1. *Rutilia.* Vide supra, epist. 20.

2. Al. *et num Clodia.* J.V.L.

3. *De Postumia.* Fortasse ea, quæ Ser. Sulpicii uxor fuit. Conf. epist. ad Div. IV, 2. Ed.

4. *Ut non vendam.* Sunt, inquit,

dam, a quo emero, non plus annum [5] possum assequi : quod volo, si tu me[6] adjuvas. Paratissimi[7] sunt Drusi; cupit enim vendere. Proximos puto Lamiæ; sed abest. Tu tamen, si quid potes, odorare. Ne Silius quidem quidquam utitur, et iis usuris [8] facillime sustentabitur[9]. Habe tuum negotium [10]; nec, quid res mea familiaris postulet, quam ego non curo, sed quid velim, et cur velim, existima.

quæ non invitus possim vendere, ut habeam unde hortos emam. Sed, si tu me adjuvas, possum assequi, quod volo, ut nihil vendam, eique, a quo emero, usuram tantummodo annuam pendam. MAN.

5. *Non plus annum.* Non ultra minus anni spatium. Tale illud est epist. 6, lib. VI : « Num est hoc, non plus annum obtinere provinciam ? » Dixisset etiam eleganter, « Non plus annuam ». MAN.

6. *Si tu me adjuvas.* Si tuo studio consequi potes, ut pecuniam ab iis, qui debent, exigamus. Hoc enim non ad facultates Attici, sed ad operam et diligentiam pertinet. Et refertur ad illud, *possum assequi.* MAN.

7. *Paratissimi.* Horti. MAN.

8. Lipsius, Antiq. Lect. IV, 9, pro *iis usuris*, malebat *is usuris*, bene, ut multi opinantur. J. V. L.

9. *Sustentabitur.* Facile tamquam dives usuris sibi patietur satisfacere, dilata sortis solutione. GRÆV.

10. *Habe tuum negotium.* Existima tuum esse negotium. Hæc res tibi curæ sit, item ut si tua res esset. Genus loquendi perelegans, quo et infra utitur, lib. XIV, epist. 2. MAN.

EPISTOLA XXIII.

Cur Romam venire nolit, exponit; de Terentia ut curet, rogat; de Atticæ valetudine; de hortis emendis. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

PUTARAM te aliquid novi (quod ejusmodi fuerat initium literarum, quamvis [1] non curarem, quid in Hispania fieret), tamen te scripturum : sed videlicet

1. *Quamvis.* Atticus proximis literis ita scripserat Ciceroni : « Quamvis de Hispania non cures, tamen ad te sum scripturus ». Itaque putavit se Cicero in iis literis aliquid novi de Hispania esse reperturum, etc. MAN.

meis literis respondisti, ut de foro[2] et de curia. Sed domus est[3], ut ais, forum. Quid ipsa domo mihi opus est, carenti foro? Occidimus, occidimus, Attice, jam pridem nos quidem, sed nunc fatemur, posteaquam unum[4], quo tenebamur, amisimus. Itaque solitudines sequor : et tamen, si qua me res isto[5] adduxerit, enitar, si quo modo potero (potero autem), ut præter te[6] nemo dolorem meum sentiat; si ullo modo poterit, ne tu quidem. Atque etiam illa[7] causa est non veniendi. Meministi, quid ex te Aledius[8] quæsierit[9]: quin etiam nunc molesti sunt. Quid existimas, si venero? De Terentia ita cura, ut scribis; meque hac ad maximas ægritudines accessione nunc maxima[10] libera. Et, ut scias me ita dolere, ut non jaceam, quibus consulibus Carneades[11], et ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali. Hæc nunc quæro, quæ causa fuerit? de Oropo, opinor; sed certum nescio; et, si ita est, quæ controversiæ? præterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis? qui etiam Athenis πολιτικοὶ[12] fuerint illustres? quæ te etiam ex Apollodori[13] puto posse invenire.

2. *De foro*, etc. Supra, epist. 21.

3. *Domus est.* Scripserat Atticus : quum Romæ eris, si versari in foro non libebit, at domi esse poteris, quæ erit pro foro. Ita et iis satisfacies, qui a te postulant ut Romæ sis, et assequeris quod tu vis, ut forum ne frequentes. MAN.

4. *Unum.* Tulliam. CORRAD.

5. *Isto.* Nempe Romam. SCH.

6. *Præter te.* Omnes MSS *me.* Manut. Lipsiusque corrigebant *te*, omnino aptius et concinnius ad sententiam. ED.

7. *Illa.* Quæ proxime sequitur. MAN.

8. *Aledius.* Cæsarianus nescio quis, qui Romæ tunc erat, epist. seq. quum Cæsar esset in Hispania. CORRAD.

9. *Quæsierit.* Ut in senatum venire, et ipsorum de republica consiliis vellet interesse. MAN.

10. Ernestius e MSS vestigiis conj. *non minima.* J. V. L.

11. *Carneades.* Vide Orat. II, 37.

12. Πολιτικοί. Reip. moderatores.

13. *Apollodori.* Subaudi, libris : figura græca, qua Cicero etiam alibi usus est, ut quum dixit, « ad Martis, in Scapulæ, per Locustæ ». Subintelligitur enim, « ædem, hortos, fundum ». MAN.

De Attica, molestum; sed quoniam leviter, recte esse confido. De Gamala dubium[14] mihi non erat: unde enim tam felix Ligus pater? Nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant, quæ volo, levari non possum? De Drusi hortis, quanti licuisse, tu scribis: id ego quoque audieram, et, ut opinor, heri ad te scripseram; sed quanti quanti, bene emitur quod necesse est. Mihi, quoquo modo tu existimas (scio enim ego ipse, quid de me existimem), levatio quædam est, si minus doloris, at officii debiti[15]. Ad Sicam scripsi, quod utitur L. Cotta[16]. Si nihil conficeretur de Transtiberinis, habet in Ostiensi Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci: ad hanc rem[17] tamen plus etiam satis[18]. Id velim cogites. Nec tamen ista pretia hortorum pertimueris. Nec mihi jam argento, nec veste opus est, nec quibusquam amœnis locis: hoc opus est. Video etiam, a quibus adjuvari possim. Sed loquere cum Silio: nihil enim est melius. Mandavi etiam Sicæ: rescripsit, constitutum se cum eo habere. Scribat igitur ad me, quid egerit, et ut tu[19] videbis.

14. *Dubium.* Subintellige, quin ex eo morbo moriturus esset. Manut.— *Gamala.* Variant de nomine codices manu exarati: sed parvi hoc loco refert. Quidam legunt *Magala:* nomen utrumque incognitum, nec romanum videtur. Sed videtur fuisse Liguris, Ciceronis amici, filius, aut filia, nam sequitur: «Unde tam felix esset pater?» Conf. lib. XIV, epist. 6. Anon.

15. *Officii debiti.* Quasi ex voto et promisso. Vide epist. 18.

16. *Quod utitur L. Cotta.* Quia ejus familiaris est. Sch.

17. *Ad hanc rem.* Fanum exstruendum. Man.

18. Multi MSS, *quam satis.* J. V. L.

19. *Et, ut tu.* Latet aliquid vitii. Forte: «Scribat igitur ad me, quid egerit: at quanti, tu videbis». Græv.

EPISTOLA XXIV.

De Silii et Oviæ negotio; de Ciceronis filii itinere in Græciam; de Publilii profectione in Africam; de quæstionibus historicis quibusdam; de Cispianis et Præcianis negotiis, et Atticæ valetudine. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Bene fecit A. Silius, qui transegerit : neque enim[1] ei deesse volebam, et, quid possem, timebam. De Ovia[2], confice, ut scribis. De Cicerone, tempus esse jam videtur. Sed quæro, quod illi opus erit Athenis, permutarine possit, an ipsi ferendum sit; de totaque re, quemadmodum, et quando placeat, velim consideres. Publilius[3] iturusne sit in Africam, et quando, ex Aledio scire poteris : quæras, et ad me scribas, velim. Et, ut ad meas ineptias redeam, velim me certiorem facias, P. Crassus, Venuleiæ[4] filius, vivone P. Crasso consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse videor, an post. Item quæro de Regillo, Lepidi[6] filio, rectene meminerim patre vivo mortuum. Cispiana[7] explicabis, itemque Præciana. De Attica, optime it[8]. Ei salutem dices, et Piliæ.

1. *Neque enim.* Bene fecit Silius, qui deciderit de lite, quam cum nescio quo habebat. Constitueram enim ei præsto esse ut advocatus; et tamen verebar ne a me impetrare possem, ut amissa solitudine quam sequor, me turbæ darem, et Romam venirem. J. F. Gronov.

2. *Ovia.* Vide supra, epist. 21.

3. *Publilius.* Al. *Publius.* Aut pater, aut frater Publiliæ, quæ altera fuit Ciceronis uxor. Bosius, Gruterus, Ernestius, etc. probant *Publilius*. Eodem errore epist. 32 infr. MSS habent *Publia* et *Publio*, ubi legendum *Publilia* et *Publilio* J. V. L. in notis. Ed.

4. Alii, ut passim, *Atedio*, quod forte præstat. J. V. L.

5. Al. *Vinuleiæ.* J. V. L.

6. *Lepidi.* Consulis cum Q. Catulo.

7. *Cispiana et Prætiana explicabis.* Nomina, hoc est, debitam mihi a Cispio et Prætio pecuniam. Man.

8. Ernest. *it* negat dici posse simpliciter, et expungendum putat. Et sic epist. 45 hujus libri. J. V. L.

EPISTOLA XXV.

De Silii hortis emendis, sed ita ut numerato potius, quam æstimatione. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Scripsit ad me diligenter Sica de Silio, seque ad te rem detulisse : quod tu idem scribis. Mihi et res, et conditio placet, sed ita, ut numerato malim[1], quam æstimatione : voluptarias enim possessiones nolet Silius. Vectigalibus autem ut his possum esse contentus, quæ habeo, sic vix minoribus[2]. Unde ergo numerato? H-S DC exprimes ab Hermogene, quum præsertim necesse erit; et domi video esse H-S DC. Reliquæ pecuniæ vel usuram Silio pendemus, dum a Faberio, vel ab aliquo, qui Faberio debet, repræsentabimus. Erit etiam aliquid alicunde. Sed totam rem tu gubernabis. Drusianis vero hos[3] hortis multo antepono : neque sunt umquam comparati[4]. Mihi crede, una me causa movet, in qua scio me τετυφῶσθαι[5]. Sed, ut facis, obsequere huic errori meo. Nam

1. *Malim.* Malim emere hortos præsenti pecunia, quam dare in solutum aliquam rem æstimatam ex lege Julia. Bosius.

2. *Sic vix minoribus.* Quum Cicero pecuniam pro hortis Silianis mallet numerato solvere, primum ait se ex vectigalibus, id est, reditibus et fructibus prædiorum suorum nihil dependere posse, quod etiamsi iis contentus esse posset, ut habeat in sumptum domesticum, tamen eos vix diminuere liceat; itaque alias rationes pecuniæ conficiendæ circumspiciendas esse. Sch.

3. *Hos* deerat in antiquis edd. Bosius addidit e MS suo. J. V. L.

4. *Comparati.* Quasi dicat : semper enim Siliani celebriores atque amœniores sunt. Man.

5. Τετυφῶσθαι. Gloriolæ studio ducor. — Male, ut videtur, quidam volunt τετυφλῶσθαι. J. V. L.

quod scribis ἐγγήραμα[6], actum jam de isto est; alia magis quæro.

6. Ἐγγήραμα. *Senectutis requies*, *occupatio*. Quod scribis κάλλιστον ἐγγήραμα τὴν πολιτείαν, optimum senectutis oblectamentum esse reipublicæ tractationem, quod dictum fuit Prisci Catonis, mihi præsertim homini antehac in negotiis semper versato, eoque me revocas in forum et curiam, surdo canis: illud ἐγγήραμα, i. e. respublica fuit et sibi, et mihi: neque ipsa superest, nec quod ejus superest me tangit aut ducere potest. Eodem respicit ep. 29 et 44 hujus libri. J. F. Gronov. — Olim legebatur ἐπίγραμμα, quod habent et multi MSS, et sensum satis idoneum habere possit.

EPISTOLA XXVI.

Sicam ad se venturum; Atticus quod non veniat se ignoscere; Niciam ad se venire nolle. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Sica, ut scribit, etiamsi nihil confecerit cum A. Silio, tamen se scribit x kal. esse venturum. Tuis occupationibus ignosco, eæque mihi sunt notæ. De voluntate tua, ut simul simus, vel studio potius et cupiditate, non dubito. De Nicia[1] quod scribis, si ita me haberem, ut ejus humanitate frui possem, in primis vellem illum mecum habere. Sed mihi solitudo et recessus provincia[2] est. Quod quia facile ferebat Sica, eo magis illum desidero. Præterea nosti Niciæ imbecillitatem, mollitiam, consuetudinem victus. Cur ego illi molestus velim, quum mihi ille jucundus esse non possit? Voluntas tamen ejus mihi grata est. Unam rem[3] ad me scripsisti, de qua decrevi nihil tibi rescri-

1. *Nicia*. Hic est Nicias Grammaticus, de quo Suetonius in libello de claris Grammaticis; qui etiam docuisse videtur Plancum Bursam. Ad Div. X, 9. Manut.

2. Schütz. legendum esse suspicatur *pro victu*, vel potius, *pro convictu*. Habet tamen et Sueton. de Illustr. gramm. c. 14, *provincia*. J. V. L.

3. *Unam rem*. De Terentia scilicet,

bere : spero enim me a te impetrasse, ut privares me ista molestia. Piliæ et Atticæ salutem.

cujus negotium ut Atticus totum susciperet, jam antea eum rogaverat. Ed. — Vide supra, hoc libro epistolas 22 et 23.

EPISTOLA XXVII.

De Silii hortis emendis; de Cottæ villa; de Ciceronis filii profectione; de Bruti adventu. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

De Siliano negotio, etsi mihi non est ignota conditio, tamen hodie me ex Sica arbitror omnia cogniturum. Cottæ [1], quod negas te nosse, ultra Silianam villam est (quam puto tibi notam esse) villula sordida, et valde pusilla; nihil agri; ad aliam rem loci [2] nihil, satis ad eam, quam quæro : sequor celebritatem. Sed, si perficitur de hortis Silii, hoc est, si perficis (est enim totum positum in te), nihil est scilicet, quod de Cotta cogitemus.

De Cicerone, ut scribis, ita faciam : ipsi permittam de tempore [3]; nummorum quantum opus erit, ut permutetur, tu videbis.

Ex Aledio, quod scribis, si quid inveneris, scribes. Et ego ex tuis animadverto literis, et profecto tu ex meis, nihil habere nos, quod scribamus : eadem quotidie, quæ jam jamque ipsa contrita sunt; tamen facere non possum, quin quotidie ad te mittam, ut

1. *Cottæ*. Subintellige, villam. Man.

2. Al. « ad suillam rem loci satis, nihil ad eam, q. q. » Lectionem hanc fecerat Bosius e corruptela MSS, ineptam et ipsam; quam tamen Gruterus, ut fere omnia Bosii, receperat. Sequimur nos P. Manutium ». J. V. L.

3. *De tempore*. Quando velit discedere; ut Athenas eat studiorum causa. Man.

tuas accipiam. De Bruto tamen, si quid habebis. Scire enim jam puto, ubi Pansam exspectet. Si, ut consuetudo est, in prima provincia[4], circiter kal.[5] affuturus videtur. Vellem tardius: valde enim Urbem fugio multas ob causas. Itaque id ipsum dubito, an excusationem aliquam ad illum parem, quod quidem video facile esse. Sed habemus satis temporis ad cogitandum. Piliæ, Atticæ salutem.

4. *Provincia*. Gallia. MAN.

5. *Circiter kal.* Apriles. Popma et Malaspina significari putant februarias, quia Pansa Roma discessit III kal. jan. Sed cetera non conveniunt, neque existimandum est Pansam statim post discessum ex Urbe in provinciam perrexisse. ED.

EPISTOLA XXVIII.

De Silii et Terentiæ negotio; de solitudine sua et mœrore; de Triarii negotio; de Castriciano; de Publilii itinere; denique Lentulum puerum Attici curæ commendat. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

DE Silio nihilo plura cognovi ex præsente Sica, quam ex literis ejus: scripserat enim diligenter. Si igitur tu illum conveneris, scribes ad me, si quid videbitur. De quo putas ad me missum esse[1], sit missum, necne, nescio; dictum quidem mihi certe nihil est. Tu igitur, ut cœpisti: et, si quid ita conficies (quod equidem non arbitror fieri posse), ut illi probetur, Ciceronem, si tibi placebit, adhibebis. Ejus aliquid interest, videri illius causa voluisse: mea quidem nihil, nisi id[2], quod tu scis; quod ego magni æstimo. Quod me ad consuetudinem revocas, fuit

1. *Missum esse.* A Terentia. CORR.

2. *Id.* Officium. Vide supra, ep. 19.

meum[3] quidem jam pridem rempublicam lugere; quod faciebam, sed mitius: erat enim, ubi acquiescerem[4]. Nunc plane nec ego victum, nec vitam illam colere[5] possum; nec in ea re, quid aliis videatur, mihi puto curandum. Mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo. Quod me ipse per literas consolatus sum, non pœnitet me, quantum profecerim. Mœrorem[6] minui; dolorem nec potui, nec, si possem, vellem. De Triario[7], bene interpretaris voluntatem meam. Tu vero nihil, nisi ut illi volent. Amo illum mortuum; tutor sum liberis; totam domum diligo. De Castriciano negotio, si Castricius pro mancipiis[8] pecuniam accipere volet, eamque ei solvi, ut nunc solvitur, certe nihil est commodius. Sin autem ita actum est, ut ipsa mancipia abduceret, non mihi videtur esse æquum: rogas enim me, ut tibi scribam, quid mihi videatur. Nolo enim negotii Quintum fratrem quidquam habere; quod videor mihi intellexisse, tibi idem videri. Publilius[9], si æquinoctium[10] exspectat, ut scribis Aledium dicere, navi-

3. *Meum.* Nam graviorem, quam ceteri, animo dolorem accipiebam de miserrimo reipublicæ statu, quod quam ipse ab interitu servassem, eam aliorum flagitiis, sceleréque præcipitem ferri ad exitium viderem. Bos.

4. *Ubi acquiescerem.* Quum haberet filiam, cujus in sermone et suavitate conquiescere solitus esset. Man.

5. Ernest. putat *colere victum*, immo et *vitam*, vix satis commode dici, et suspicatur legendum esse *tolerare*. Sed nimis grammatice verba examinat. J. V. L.

6. *Mœrorem.* Quo differant *mœror* et *dolor*, habes Tusc. IV, 8. Mœror, *ægritudo flebilis*: dolor, *ægritudo crucians*.

7. *Triario.* De quo lib. IX de Finibus.

8. *Pro mancipiis.* Q. Cicero vendiderat Castricio, cui debebat, mancipia, quæ postea voluit sibi retinere, et debitum solvere prout tunc solvebatur ex lege Julia, datis in solutum rebus æstimatis. Sed quum ita actum esset, ut Castricius ipsa mancipia abduceret, non erat æquum cogi illum ad æstimationem accipiendam. Quod enim actum est, ex solo conventu valet, ut loquitur auctor Rhetoricorum. Popma.

9. *Publilius.* Alii *Publius.* Vid. not. ad ep. 24.

10. *Æquinoctium.* Verum, quod incidit in VIII kal. apr.

gaturus[11] videtur. Mihi autem dixerat per Siciliam. Utrum, et quando, velim scire. Et velim aliquando, quum erit tuum commodum, Lentulum[12] puerum visas, eique de mancipiis, quæ tibi videbitur, attribuas. Piliæ, Atticæ salutem.

11. *Navigaturus.* Roma se conferet ad mare, recta, non per Siciliam.

12. *Lentulum.* Cornelio Dolabellæ duo fuerunt cognomina, alterum Lentuli, alterum Dolabellæ. Ideo scribit Plutarchus Tulliam apud Lentulum virum ex partu decessisse. Erat ergo hic Lentulus filius Dolabellæ et Tulliæ, qui matri superstes fuerat, quem supra Cicero nepotem appellat. Bosius.

EPISTOLA XXIX.

De Silio, ut scribat, rogat. Cur hoc tempore cum Bruto convenire nolit, ostendit. Petit, ut negotium de hortis explicet. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Silius, ut scribis, hodie[1]. Cras igitur, vel potius quum poteris, scribes, si quid erit, quum videris. Nec ego Brutum vito, nec tamen ab eo levationem ullam exspecto: sed erant causæ, cur hoc tempore istic esse nollem; quæ si manebunt, quærenda erit excusatio ad Brutum; et, ut nunc est, mansuræ videntur. De hortis, quæso, explica. Caput[2] illud est, quod scis. Sequitur, ut etiam mihi[3] ipsi quiddam opus sit[4]. Nec enim esse in turba possum, nec a vobis abesse. Huic meo consilio nihil reperio isto loco

1. *Hodie.* Hoc subaudi: Tecum de hortis, quos ab eo emere vellemus, loquetur. Id enim Atticus ad Ciceronem scripserat. Man.

2. *Caput.* Prima et præcipua causa, quod fanum celebri loco fieri velim. Popma.

3. Ernest. durius putabat, « mihi ipsi quiddam opus sit », et conjecerat aliquando, « mihi ipsi quidam locus sit ». J. V. L.

4. *Opus sit.* Quodam loco, ubi manere possim, et in hortis prope Urbem esse ita, ut nec in turba sim, et te sæpe, et alios amicos mecum habeam. Corrad.

aptius; et de hac re quid tui consilii sit, mihi persuasum est, et eo magis, quod idem intellexi tibi videri, me ab Oppio et Balbo valde diligi [5]. Cum iis communices, quanto opere, et quare velim hortos; sed ita posse, si expediatur illud Faberianum; sintne igitur auctores [6] futuri, si qua etiam jactura facienda sit in repræsentando [7]; quoad possunt adduci; totum enim illud desperatum. Denique intelliges, ecquid inclinent ad hoc meum consilium adjuvandum. Si quid erit, magnum est adjumentum; sin minus, quacumque ratione contendamus. Vetus illud ἐγγήραμα [8], quemadmodum scripsisti, vel ἐντάφιον [9] putato. De illo Ostiensi [10] nihil est cogitandum. Si hoc non as-

5. Al. « diligi. Sit; cum iis communices ». J. V. L.

6. *Auctores*. Fuisse in nominibus Faberii Oppium et Balbum conjici potest ex hoc loco. Nam eos Faberius Ciceroni volebat delegare. Quærit ergo Cicero, num ii futuri sint auctores, ut hortos emat, hoc est, num soluturi sint Faberii nomine pretium hortorum : et, si pecuniam repræsentare nequeant, ideoque opus sit aliunde eam sub usuris, ejus rei causa, sumere, quam jacturam usurarum illarum nomine facere velint. Nam desperatum erat, ut omnem in se jacturam susciperent. Bosius.

7. Schütz. e conjectura, « quoad possunt adduci, adducito ». J. V. L.

8. Ἐγγήραμα. Vide supra, epist. 25. Sch. substituit *vel tu illud*, quod magis convenire sequentibus affirmat. Emendi sunt mihi horti, inquit : tuque illud licet vel ἐγγήραμα, sicut scripsisti, h. e. locum senectuti quiete transigendæ, vel ἐντάφιον, i. e. locum sepulcro meo idoneum putes. Ed.

9. Ἐντάφιον. Perizonius ad Ælian. Var. Hist. I, 16, docet, ἐντάφιον esse quodcumque ornamentum mortui, quo in atrio exponitur, et sepelitur : unde ἐνταφιάζειν dicitur tota illa cura, quæ ornando, condiendo, condendoque mortuo adhibetur. Hoc loco ipse J. F. Gronovius interpretatur *sepultura*. Horti illi, inquit, erunt non modo requies senectutis, seu ἐγγήραμα, ut tu aliquando scripsisti, sed ἐντάφιον adeo, *requies mortui*. Non absurde, qua sensum; modo verbum græcum eum pateretur. Constat, Græcorum more non mortuos solum magnificis vestibus ornatos, sed sæpe etiam *morituros*. Hinc Apollodorus Socratis discipulus Socrati offerebat magnificam vestem, qua induta demum cicutam biberet. Nondum enim mortuus erat, etsi unctiones proprie post mortem fiebant. Hic ergo est loci hujus, mea sententia, sensus : « In his hortis ego non solum suaviter agere senectutem, sed etiam honeste jucundeque mori me posse confido ». Ernestus.

10. *De illo Ostiensi*. Scil. de villa, quam in Ostiensi habet Cotta, nihil est cogitandum. Ed.

sequimur, a Lamia non puto posse; Damasippi experiendum est[11].

11. *Damasippi experiendum est.* Subaudi, ut hortos habere possimus. Man.

EPISTOLA XXX.

De Silii hortis et mancipiis Castricianis. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Quæro, quid ad te scribam; sed nihil est. Eadem quotidie. Quod Lentulum invisis, valde gratum. Pueros attribue ei, quot, et quos videbitur. De Silii voluntate vendendi, et de eo, quanti, tu vereri videris, primum ne nolit, deinde ne tanti. Sica aliter; sed tibi assentior. Quare, ut ei placuit, scripsi ad Egnatium. Quod Silius[1] te cum Clodio loqui vult, potes id mea voluntate facere; commodiusque est, quam, quod ille a me petit, me ipsum scribere ad Clodium. De mancipiis Castricianis, commodissimum esse credo, transigere Egnatium; quod scribis, te ita futurum putare. Cum Ovia, quæso, vide ut conficiatur. Quoniam, ut scribis, nox erat, in hodierna epistola plura exspecto.

1. *Quod Silius.* Quia de re pecuniaria sermo est, videtur Hermogenes Clodius esse qui occurrit infra ad Att. XIII, 14. Hoc Ernestio et Corrado visum, estque verisimilius, quam hoc ipsum ad hortos Silianos, vel ad hortos Clodiæ, de quibus infra agitur, pertinere. Ed.

EPISTOLA XXXI.

De Drusi hortis fano Tulliæ exstruendo emendis. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

Silium mutasse sententiam, Sica mirabatur. Equidem magis miror, quod, quum in filium causam conferret, quæ mihi non injusta[1] videtur (habet enim qualem vult); ais te putare, si addiderimus aliud, a quo refugiat[2], quum ab ipso id fuerit destinatum, venditurum. Quæris a me, quod summum pretium constituam, et quantum anteire istos hortos Drusi: accessi numquam. Coponianam villam et veterem, et non magnam novi; silvam nobilem, fructum autem neutrius: quod tamen puto nos scire oportere. Sed mihi utrivis istorum tempore magis meo, quam ratione æstimandi sunt. Possim autem assequi, necne, tu velim cogites. Si enim Faberianum venderem, explicare vel repræsentatione non dubitarem de Silianis, si modo adduceretur, ut venderet: si venales non haberet, transirem ad Drusum, vel tanti, quanti Egnatius illum velle tibi dixit. Magno etiam adjumento nobis Hermogenes[3] potest esse repræsentando.

1. *Non injusta.* Quia filio velit obsequi, roganti ne vendat: quum eum habeat, qualem vult, hoc est, plane ex animi sui sententia: ut reprehendendus non sit, qui tali filio obsequatur. Man.

2. *A quo refugiat.* Hujus loci sententia hæc est: Si una cum eo loco quem petimus, ab eo desideravimus, ut vendat nobis et alium, quem cupit abjicere et alienare, ubi ab ipso hunc emerimus, et illum, quem optamus accessionem daturum. J. F. Gronov. — Facilius sic sententia procederet, « si addiderimus aliud, quod ab ipso fuerit destinatum, etiam illud, a quo refugiat, venditurum ». Quam lectionem Schütz. ingenio concinnavit, non recepit tamen. J. V. L.

3. *Hermogenes.* Si hic est idem,

At tu concede mihi, quæso, ut eo animo sim, quo is debeat esse, qui emere cupiat: et tamen servio ita cupiditati et dolori meo, ut a te regi velim. Egnatius mihi scripsit. Is si quid tecum loquutus erit (commodissime enim per eum agi potest), ad me scribe; et id agendum puto. Nam cum Silio non video confici posse. Piliæ et Atticæ salutem. Hæc ad te mea manu. Vide, quæso, quid agendum sit.

quem supra DC sibi debere significaverat, hoc ait, magno adjumento sibi esse posse, illam pecuniæ summam, si Hermogenes solveret, ad pecuniam pro hortis emptis repræsentandam. Corradus tamen putabat esse Hermogenem Clodium tragœdi Æsopi filium ditissimum. Plin. IX, 35. SCH.

EPISTOLA XXXII.

De congressu cum Publilia ejusque matre et fratre vitando; de pecunia Ciceroni fil. peregrinationis causa attribuenda. (Asturæ, anno U. C. 708, mense martio.)

CICERO ATTICO S.

PUBLILIA [1] ad me scripsit, matrem suam (cum Publilio [2] loqui retur) ad me cum illo venturam, et se una, si ego paterer: orat multis et supplicibus verbis, ut liceat, et ut sibi rescribam. Res quam molesta sit, vides. Rescripsi, me etiam gravius esse affectum, quam tum, quum illi dixissem, me solum esse velle; quare nolle me hoc tempore eam ad me venire. Putabam, si nihil rescripsissem, illam cum matre venturam: nunc non puto. Apparebat enim, illas literas

1. *Publilia.* Altera Ciceronis uxor, quam, post Terentiæ divortium, virginem duxit: cum qua et ipse postea divortium fecit, quia lætari Tulliolæ morte videbatur. Plutarchus in Cicerone; Quintilianus lib. VI; Dio lib. XLVI. MAN.

2. Incerta lectio. Schütz. probat Mongaltii rationem, et *loqueretur* vel *loqui retur* excludit. J. V. L. — Edit.

non esse ipsius[3]. Illud autem, quod fore video, ipsum volo vitare, ne illæ ad me veniant. Et una est vitatio, ut ego nolim[4]. Sed necesse est. Te hoc nunc rogo, ut explores, ad quam diem hic ita possim esse, ut ne opprimar[5]. Ages, ut scribis, temperate. Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen, si tibi non iniquum videbitur, ut sumptus hujus peregrinationis, quibus, si Romæ esset, domumque conduceret, quod facere cogitabat[6], facile contentus futurus erat, accommodet ad mercedes Argileti[7] et Aventini: et quum ei proposueris, ipse velim reliqua moderere, quemadmodum ex iis mercedibus suppeditemus ei, quod opus sit. Præstabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messallam, quos Athenis futuros audio, majores sumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur. Itaque velim videas, primum, conductores qui sint, et quanti[8]; deinde, ut sit, qui ad diem solvat; et, quid viatici, quid instrumenti satis sit. Jumento certe Athenis nihil opus est. Quibus autem in via utatur, domi sunt plura, quam opus erat: quod etiam tu animadvertis.

Elzev. ann 1642: « matrem suam cum Publilio loqui, eam ad me eum illo venturam, etc. » Codex unus *loqui retur*, teste Mongaltio. Ed.

3. *Non esse ipsius.* Apparet, a matre scriptas, aut dictatas. Man. — Sic Bosius e duobus MSS. Olim, *illius.* J. V. L.

4. *Ut ego nolim.* Sensus est: una est ratio vitandi, qua ego invitus utor, ut hinc ex Antiati discedam. Sed video non aliter effugere me illas posse. Itaque oro cognoscas quo die moturæ sint, et quousque manere hic possim, ut tamen abierim, quum aderunt. J. F. Gron. — Vulg. *nollem.* Minus recte, ut viderat jam Corradus. J. V. L.

5. *Ne opprimar.* Quia, si scisset, quo die illæ Roma profecturæ essent, ut ad se venirent, ipse ante illum diem Romam ad eas proficisci potuisset: quod facere cogitabat. Man.

6. *Quod facere cogitabat.* Ne socrum ferret. Ep. 1, lib. XVI. Corr.

7. *Argileti.* Argiletum et Aventinus montes Romæ, in quibus locare volebat tabernas quasdam aut domos, eamque mercedem pro sumptu adsignare filio Athenas proficiscenti. Pop.

8. *Quanti.* Quanti conducant. Cor.

EPISTOLA XXXIII.

De hortis Transtiberinis emendis. (Asturæ, anno U. C. 708, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Ego, ut heri ad te scripsi[1], si et Silius is[2] fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se præbuerit, Damasippum velim aggrediare. Is, opinor, ita partes fecit in ripa[3] nescio quotenorum jugerum, ut certa pretia constitueret; quæ mihi nota non sunt. Scribes ad me igitur, quidquid egeris. Vehementer me sollicitat Atticæ nostræ valitudo: ut verear etiam, ne qua culpa sit. Sed et pædagogi probitas, et medici assiduitas, et tota domus in omni genere diligens, me rursus id suspicari vetat. Cura igitur: plura enim non possum.

1. *Heri ad te scripsi.* Hæc epistola periit. Sch.
2. *Is fuerit.* Nempe difficilis in hortis vendendis. Man.
3. *In ripa.* Scilicet Tiberina: nam hortos Transtiberinos quærebat Cicero, ut celebri loco fanum exstrueret. Manut.

EPISTOLA XXXIV.

Scribit se in Sicæ suburbanum venturum. (Asturæ, anno U. C. 708, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Ego hic vel sine Sica (Tironi enim melius est) facillime possem esse, ut in malis: sed, quum scribas, videndum mihi esse, ne opprimar; ex quo intelligam, te certum diem illius profectionis non habere:

18.

putavi esse commodius, me istuc venire; quod idem video tibi placere. Cras igitur in Sicæ suburbano: inde, quemadmodum suades, puto me in [1] Ficulensi fore. Quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam ipse venio, coram videbimus. Tuam quidem et in agendis nostris rebus, et in consiliis ineundis mihique dandis, in ipsis literis, quas mittis, benivolentiam, diligentiam, prudentiam mirifice diligo. Tu tamen [2], si quid cum Silio, vel illo ipso die, quo ad Sicam venturus ero, certiorem me velim facias, et maxime, cujus loci detractionem [3] fieri velit. Quod enim scribis, « extremi »; vide, ne is ipse locus sit, cujus causa de tota re, ut scis, est a nobis cogitatum. Hirtii epistolam tibi misi, et recentem, et benivole scriptam.

1. *In Ficulensi.* Scil. agro, qui fuit ad viam Ficulensem, quæ et Nomentana dicitur, ubi olim fuit urbs Ficolea. Græv.

2. Hæc verba : « Tu tamen... benivole scriptam », in edd. pr. appendicem constituunt hujus epistolæ. Primus, puto, distraxit Bosius, ut initium faceret epistolæ sequentis. Gruter. Grævius, Ernest. fere omnes sequuti sunt. Imprudenter. J. V. L.

3. *Detractionem.* Quum Silios dixisset, hortos suos se esse venditurum, sed velle quemdam locum excipere: Vide, inquit Cicero, ne velit eum ipsum locum excipere in venditione hortorum, cujus loci causa hortos ipsos emere cogitamus. Man.

EPISTOLA XXXV.

De fano Tulliæ exstruendo. (In Antiati, anno U. C. 708, mense apr.)

CICERO ATTICO S.

Antequam [1] a te proxime discessi, numquam mihi venit in mentem, quo plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege [2] conceditur,

1. *Antequam.* Cicero nimirum post ep. sup. Atticum in suburbano Sicæ convenerat. Sch.

2. *Lege.* Hoc, ni fallor, de lege Julia sumptuaria debet intelligi, qua verisimile est C. Cæsarem aliquid

tantumdem populo dandum esse : quod non magno opere moveret, nisi, nescio quomodo, ἀλόγως[3] fortasse, nollem illud ullo nomine, nisi fani, appellari. Quod si volumus, vereor, ne assequi non possimus, nisi mutato[4] loco. Hoc quale sit, quæso, considera. Nam etsi minus urgeor, meque ipse propemodum collegi, tamen indigeo tui consilii. Itaque te vehementer etiam atque etiam rogo, magis quam a me vis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare.

sanxisse de sumptu funerum minuendo. Dio, lib. XLIII, scribit eum generatim omnes sumptus minuisse. Bosius.

3. Ἀλόγως. Sine ratione, stulte.

4. *Mutato*. Si assequi volumus, ut fani nomine appelletur. In hortis enim si faceremus, ubi multa multorum sunt sepulcra; sepulcri nomine potius appellaretur, quam fani. Man. — Sch. conj. « nisi tuto a mutatione loco ».

EPISTOLA XXXVI.

Cur in monumento Tulliæ sepulcri similitudinem effugere velit, ostendit. Brutum objurgari vult, quod in Cumano esse noluerit. Cluatium architectum exacui vult. (In Antiati, anno U. C. 708, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Fanum fieri volo; neque hoc mihi erui[1] potest: sepulcri similitudinem effugere non tam propter pœnam legis studeo, quam ut maxime assequar ἀποθέωσιν[2]. Quod poteram, si in ipsa villa facerem : sed, ut sæpe loquuti sumus, commutationes dominorum reformido. In agro ubicumque fecero, mihi videor[3] assequi posse, ut posteritas habeat religionem. Hæ meæ tibi

1. *Hoc mihi erui*. Sic edd. pr. Bosius, e MS in quo erat *suaderi*, addidit *suada*, quod admisit Gruterus, ut fere omnia Bosii. Recte Ernest. repugnat. Putat Ciceronem allusisse ad oculos, qui dicuntur *erui*. Idem mallet *eripi*. Nulla causa. J. V L.

2. Ἀποθέωσιν. Consecrationem.

3. *Mihi videor*. Balliol. codex MS habet, *nihil videor*, etc. Græv.

ineptiæ (fateor enim) ferendæ sunt. Non habeo, ne me quidem ipsum, quicum tam audacter communicem, quam te. Si tibi res, si locus[4], si institutum placet, lege, quæso, legem, mihique eam mitte. Si quid in mentem veniet, quo modo eam effugere possimus, utemur. Ad Brutum si quid scribes, nisi alienum putabis, objurgato eum, quod in Cumano esse noluerit propter eam causam, quam tibi dixit[5]. Cogitanti enim mihi, nihil tam videtur potuisse facere rustice. Et, si tibi placebit sic agere de fano, ut cœpimus, velim cohortere et exacuas Cluatium[6]: nam, etiamsi alio loco placebit, illius nobis opera consilioque utendum puto. Tu ad villam[7] fortasse cras.

4. *Res... locus.* Institutum. Scil. ut fanum fiat, ubi fiat, quale fiat. Man.

5. *Dixit.* Vict. Man. Lamb. *dixi.*

6. *Cluatium.* Architectum, de quo supra, ep. 18.

7. *Ad villam.* In suburbano. Ed.

EPISTOLA XXXVII.

De acceptis Attici et Bruti literis; de loco ad fanum Tulliæ exstruendum deligendo; de Terentiæ negotio; de Hirtii literis; de Caninii naufragio. (In Antiati, anno U. C. 708, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

A te heri duas epistolas accepi, alteram pridie datam Hilaro, alteram eodem die tabellario; accepique[1] ab Ægypta liberto eodem die, Piliam et Atticam plane belle se habere. Hæ literæ[2] mihi redditæ sunt tertiode-

1. *Accepique.* I. e. audivi: non enim is literas attulerat. Male quidam pro *liberto* habent *literas.* Ed.

2. Incredibile videtur Manutio, quum Cicero esset in Antiati, Atticus Romæ, vel in suburbano, tredecim dies eum, qui Attici literas tulit, tantulo in itinere consumpsisse: itaque id imprudentia translatum ex alia epistola putat. Schutz. reposuit post

cimo die. Quod mihi Bruti literas[3], gratum. Ad me quoque misit. Eam ipsam ad te epistolam misi, et ad eam exemplum mearum literarum. De fano, si nihil mihi hortorum invenis (qui quidem tibi inveniendi sunt, si me tanti facis, quanti certe facis), valde probo rationem tuam de Tusculano. Quamvis prudens ad cogitandum sis, sicut es, tamen, nisi magnæ curæ tibi esset, ut ego consequerer id, quod magno opere vellem, numquam ea res tibi tam belle in mentem venire potuisset. Sed, nescio quo pacto, celebritatem requiro. Itaque hortos mihi conficias, necesse est. Maxima est in Scapulæ celebritas; propinquitas[4] præterea, ubi sis, ne totum diem in villam[5]. Quare, antequam discedis, Othonem, si Romæ est, convenias pervelim. Si nihil erit, etsi tu meam stultitiam consuesti ferre, eo tamen progrediar, uti stomachere. Drusus enim certe vendere vult. Si ergo aliud erit, non mea erit culpa, nisi emero[6]: qua in re ne labar, quæso, provide. Providendi autem una ratio est, si quid de Scapulanis possumus. Et velim me certiorem facias, quam diu in suburbano sis futurus. Apud Terentiam gratia opus est nobis tua, tuaque auctoritate. Sed facies, ut videbitur. Scio enim, si quid mea intersit, tibi majori curæ solere esse, quam mihi. Hirtius ad me scripsit, Sext. Pompeium Corduba[7] exisse, et fugisse in Hispaniam citeriorem; Cnæum fugisse, nescio quo: neque enim curo. Nihil præterea novi.

verba, « ad me quoque misit ». J.V. L.

3. *Quod mihi Bruti literas.* Misisti, quas ad te scripserat. Corr.

4. *Propinquitas.* Est præterea propinquitas loci ubi sis. Nam ii horti prope Romam sunt, ubi fere semper solemus esse. Bos.

5. *In villam.* In itinere conficiendo, ut ad villam te conferas. Sic XI, 22: « multos dies in oppidum ponat ». Ed.

6. Sequitur J. V. L. in interpretando emendationem Grævii: « Si ergo aliud non erit, mea erit culpa, nisi emero ».

7. *Corduba exisse.* Vid. auct. de bello Hispaniensi, c. 32. Ed.

Literas Narbone dedit XIII kal. mai. Tu mihi de Caninii[8] naufragio, quasi dubia misisti. Scribas igitur, si quid erit certius. Quod me a mœstitia avocas, multum levaris, si locum fano dederis. Multa mihi εἰς ἀποθέωσιν in mentem veniunt. Sed loco valde opus est. Quare etiam Othonem vide.

8. *Caninii.* De quo Hirtius l. VI, et infra, ep. 43. Erat Cæsaris legatus.

EPISTOLA XXXVIII.

De literis Attici frustra exspectatis; de Q. fratris filii in patruum malitia. Se minus debilitatum animo esse, quam quidam putent. De hortis emendis. (In Antiati, anno U. C. 708, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Non dubito, quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil literarum. Sed homo nequam[1], qui tuum commodum non exspectarit, quum ob eam unam causam missus esset. Nunc quidem, nisi quid te tenuit, suspicor te esse in suburbano. At ego hic scribendo dies totos nihil equidem levor, sed tamen aberro. Asinius Pollio ad me scripsit de impuro nostro cognato[2]. Quod Balbus minor nuper satis plane, Dolabella obscure, hic apertissime. Ferrem graviter, si novæ ægrimoniæ locus esset. Sed tamen ecquid impurius? o hominem cavendum! quamquam mihi quidem[3]. Sed tenendus dolor est. Tu, quoniam necesse

1. *Homo nequam.* Libertum notat, vel tabellarium ad Atticum missum. Schutz.

2. *Cognato.* Mei fratris, et tuæ sororis filio, qui nunc est in Hispania. Conrad.

3. *Mihi quidem.* Ἀποσιώπησις. Dousa, Explan. Plant. p. 407, explet e Plauto, « ætas acta ferme est, tua istuc refert maxime », ut est in epist. 2 ad Brutum. Aliter Mongaltius, Ernestio adsentiens, « quamquam mihi qui-

nihil est, sic scribes aliquid, si vacabis. Quod putas oportere pervideri jam animi mei firmitatem, graviusque quosdam scribis de me loqui, quam aut te scribere, aut Brutum, si, qui me fractum esse animo et debilitatum putant, sciant quid literarum et cujus generis conficiam; credo, si modo homines sint, existiment me, sive ita levatus sim, ut animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse; sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quæ maxime liberalissima [4], doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere. Sed, quum ego faciam omnia, quæ facere possim ad me adjuvandum, tu effice id, quod video te non minus, quam me, laborare. Hoc mihi debere videor, neque levari posse, nisi solvero, aut videro, me posse solvere, id est, locum, qualem volo, invenero. Heredes Scapulæ [5] si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quatuor factis, liceri cogitant; nihil est scilicet emptori loci. Sin venibunt, quid fieri possit, videbimus. Nam ille locus Publicianus [6], qui est Trebonii et

dem », supplet, jam pridem ab illo cautum est. Ed.

4. *Maxime liberalissima*. Ut suspectus hic sit locus, negare tamen non possumus alios sic loqui. Columellæ est lib. X, cap. 3: « Apis si sævior, maxime pessima est ». Agellius XIII, 15: « Hi sunt vel maxime humanissimi ». Vossius, de Construct. c. 17. Edendum curavi, libris omnibus invitis, « delegerim maxime quæ liberalissima, etc. » Lamb.

5. *Heredes Scapulæ*. Corradus h. l. putat esse T. Quintum Scapulam, qui quum bellum in Hispaniam commovisset, postea victo Cn. Pompeio se jugulari jussit. De Bello Hispan. c. 33. Sed quum ille post prælium ad Mundam interierit, de quo nuntius non prius quam prid. Parilium, h. e. die xx aprilis Romam perlatus est, vix hoc tempore, quo hæc epistola scripta est, de ejus morte Romæ constare potuit, nedum ut jam hereditatem adire potuerint ejus heredes. Accedit quod vix credibile est, illius Scapulæ bona, in quem Cæsaris odium acerbissimum esse debuit, ejus jussu haud publicata fuisse. Sch.

6. *Publicianus*. Qui scilicet esset ad viam Publiciam Romæ in clivo Publicio, de quo Varro et Ovidius. Sed Cicero non voluit in urbe fanum filiæ exstruere, ut satis constat. *Publicatus* autem est publice venalis propositus, proscriptus. Et hanc lectionem præ-

Cusinii, erat ad me allatus : sed scis aream esse; nullo pacto probo. Clodiæ sane placent; sed non puto esse venales. De Drusi hortis, quamvis ab iis abhorreas, ut scribis, tamen eo confugiam, nisi quid inveneris. Ædificatio me non movet : nihil enim aliud ædificabo, nisi id, quod etiam, si illos non habuero. Κῦρος δ', ε'[7], mihi sic placuit, ut cetera Antisthenis, hominis acuti magis, quam eruditi.

tulit J. V. L. post Mongalt. Alii habent *Publicanus*. Ed.

7. Κῦρος δ', ε'. Diogenes Laertius Antisthenem Cynicum refert duos libros Cyri nomine inscripsisse, quorum unus quarto tomo operum Antisthenis continebatur, alter quinto. Itaque utrumque tomum Cicero græcis literis, more Græcorum, notavit. Scribit ergo Cyrum quarti et quinti tomi ita sibi placuisse, ut cetera Antisthenis. Bos.

EPISTOLA XXXIX.

Remittit Attico literas, nisi quid necesse fuerit exscribere. (Asturæ, anno U. C. 708, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Tabellarius ad me quum sine literis tuis venisset, existimavi tibi eam causam non scribendi fuisse, quod pridie scripsisses ea ipsa, ad quæ rescripsi hac epistola. Exspectaram tamen aliquid de literis Asinii Pollionis[1]; sed nimium[2] ex meo otio tuum specto. Quamquam tibi remitto, nisi quid necesse erit, necesse ne habeas scribere, nisi eris valde otiosus. De tabellariis facerem quod suades, si essent ullæ necessariæ literæ, ut erant olim, quum brevioribus diebus, tamen quotidie respondebant tempori tabellarii; et erat aliquid, Silius, Drusus, alia quædam. Nunc, nisi

1. *Pollionis*. Vid. not. 2, ad epistol. 38. Ed.

2. Schutz. edidit *nimirum*. Jam olim quidam sic legerant; sed minus probat Bosius, neque invenit in suis MSS. J. V. L.

Otho exstitisset, quod scriberemus[3], non erat; id ipsum dilatum est: tamen allevor, quum loquor tecum absens, et multo etiam magis, quum tuas literas lego. Sed quoniam et abes (sic enim arbitror), et scribendi necessitas nulla est, conquiescent literæ, nisi quid novi exstiterit.

3. Habent vett. edd. multæ, *quid scriberemus*. Solemnis mutatio. J.V. L.

EPISTOLA XL.

De Hirtii libro in Catonem; de libro quem ad Cæsarem de republica ordinanda scribere cogitaverat; de causis tristitiam suam adversus reprehensores excusantibus; de hortis Scapulanis emendis; denique se quamdiu hic mansurus sit, nondum constituisse scribit. (In Antiati, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Qualis futura sit Cæsaris[1] vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro[2], quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis. Itaque misi librum ad Muscam, ut tuis librariis daret. Volo enim eum divulgari: quod quo facilius fiat, imperabis tuis. Συμβουλευτικὸν[3] sæpe conor; nihil reperio: et quidem mecum habeo et Ἀριστοτέλους[4], et Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον. Sed quid

1. *Cæsaris*. Qui scripserat contra Catonem, Ciceronis libro laudatum. Man.

2. *Ex eo libro*. Ex Hirtii libro conjecturam Cicero capiebat, Cæsarem acerbius in se nihil scripsisse in suo libro, cujus laudes in alieno probasset. Idem. — Ceterum Hirtii liber ad ipsum Ciceronem scriptus, ei inscriptus erat, itaque Cicero infr. epist. 41 eum *epistolam* vocat. Ed.

3. Συμβουλευτικόν. Sæpe conor aliquid ad Cæsarem scribere de ordinanda republica: συμβουλευτικὸν, *consilii plenum, quod deliberationem contineat*. Manut.

4. Ἀριστοτέλους. *Aristotelis et Theopompi* libros *ad Alexandrum*. Aristotelis quidem περὶ βασιλείας, ut docet Ammonius in vita Aristotelis, cujus iterum meminit inf. XIII, 18; Theopompi autem συμβουλάς, i. e. suasiones ad Alexandrum, quæ citantur ab Athenæo, Deipnos. I, 6 et 13. Ed.

simile? illi, et quæ ipsis honesta essent, scribebant, et grata Alexandro. Ecquid tu ejusmodi reperis? Mihi quidem nihil in mentem venit. Quod scribis te vereri, ne et gratia, et auctoritas nostra hoc meo mœrore minuatur; ego, quid homines aut reprehendant, aut postulent, nescio. Ne doleam? qui potest? Ne jaceam? quis umquam minus? Dum tua me domus levabat, quis a me exclusus? quis venit, qui offenderetur? Asturam sum a te profectus. Legere isti læti, qui me reprehendunt, tam multa non possunt, quam ego scripsi. Quam bene, nihil ad rem: sed genus scribendi id fuit, quod nemo abjecto animo facere posset. Triginta dies in hortis fui: quis aut congressum meum, aut facilitatem sermonis desideravit? Nunc ipsum, ea lego, ea scribo, ut ii, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quam ego laborem. Si quis requirit, cur Romæ non sim: quia discessus est[5]. Cur non sim in his meis prædiolis, quæ sunt hujus temporis: quia frequentiam illam non facile ferrem. Ibi sum igitur, ubi is[6], qui optimas Baias[7] habebat, quotannis hoc tempus consumere solebat. Quum Romam venero, nec vultu, nec oratione reprehendar. Hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi: constantia et firmitas nec animi, nec orationis requiretur.

De hortis Scapulanis hoc videtur effici posse, aliud tua gratia, aliud nostra[8], ut præconi subjiciantur. Id nisi fit, excludemur. Sin ad tabulam[9] venimus, vince-

5. *Discessus est.* Tempus est, quo senatoribus discedere licet, et rus petere. Corr. — Tempus æstivum significatur, et ille discessus qui fiebat versus kal. quint. Ed.

6. *Is.* Qui se tamen huc, suis Baiis omissis, quotannis conferebat; quod hunc recessum amaret, Baianam illam frequentiam fugeret. Quem significet, divinare non facile est. Man.

7. Schütz. conjicit *Baianas.* J.V. L.

8. *Aliud tua gratia, aliud nostra.* Partim tua gratia, partim nostra. Man.

9. *Tabulam.* Posuit pro auctione;

mus facultates Othonis[10] nostra cupiditate. Nam quod ad me de Lentulo scribis[11], non est in eo. Faberiana[12] modo res certa sit, tuque enitare, quod facis; quod volumus, consequemur. Quod[13] quæris, quam diu hic; paucos dies. Sed certum non habeo. Simul ac constituero, ad te scribam; et tu ad me, quam diu in suburbano sis futurus. Quo die ego ad te hæc misi, de Pilia et Attica mihi quoque eadem, quæ scribis, et scribuntur, et nuntiantur.

quod auctionis signum tabula figebatur. MAN.

10. *Othonis.* Scapulæ heredis, qui et ipse ad hortorum emptionem animum adjecerat. Quamquam, inquit, locuples sit Otho; tamen mea cupiditas efficiet, ut eum in auctione vincam. IDEM.

11. *De Lentulo scribis.* Verendum ne is hortos mihi eripiat, quum eos valde appetat; non est in eo positum, ut auctione vincere me possit, novi enim ejus facultates. BOSIUS.

12. *Faberiana.* Vide supra, ep. 18.

13. Hic principium brevis unius epistolæ in MSS Palatinis. J. V. L.

EPISTOLA XLI.

Scribit se in Tusculanum, aut Romam venturum. Iterum enixe rogat Atticum, ut de hortis conficiat, ubi fanum Tulliæ exstrui possit. Quid ei de Hirtii epistola videatur, quærit. (In Antiati, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

NIHIL erat, quod scriberem: scire tamen volebam, ubi esses; si abes, aut abfuturus es, quando rediturus esses. Facies igitur me certiorem. Et, quod tu scire volebas, ego quando ex hoc loco; postridie idus Lanuvii constitui manere; inde postridie[1] in Tusculano, aut Romæ. Utrum sim facturus, eo ipso die scies. Scis, quam sit φιλαίτιον[2] συμφορά. Minime in te

1. *Postridie.* Idus scil. junias. Scribit enim in extrema hac epist. æstatem integram restare. ED.

2. Φιλαίτιον. Quam sit querula res calamitas. Atticum hortatur, ut de fano majorem adhibeat diligentiam. ED.

quidem; sed tamen avide sum affectus de fano : quod nisi, non dico, effectum erit, sed fieri videro, audebo hoc dicere (et tu, ut soles, accipies), incursabit in te dolor meus, non jure ille quidem; sed tamen feres hoc ipsum, quod scribo, ut omnia mea fers, ac tulisti. Omnes tuas consolationes unam hanc in rem velim conferas. Si quæris, quid optem, primum Scapulæ, deinde Clodiæ; postea, si Silius nolet, Drusus aget injuste, Cusinii et Trebonii. Puto Terentium[3] esse dominum, Rebilum fuisse[4] certo scio. Sin autem tibi Tusculanum placet, ut significasti quibusdam literis, tibi assentiar. Hoc quidem utique perficies, si mè levari vis; quem jam etiam gravius accusas, quam patitur tua consuetudo : sed facis summo amore, et victus fortasse vitio meo. Sed tamen, si me levari vis, hæc est summa levatio; vel (si verum scire vis) una. Hirtii epistolam si legeris, quæ mihi quasi πρόπλασμα[5] videtur ejus vituperationis, quam Cæsar scripsit de Catone; facies me, quid tibi visum sit, si tibi erit commodum, certiorem. Redeo ad fanum. Nisi hac æstate absolutum erit, quam vides integram restare, scelere me liberatum non putabo.

3. *Terentium esse dominum*. Cod. Tornæsian. « tertium esse dominum », unde oriri aptissimus sensus quibusdam videtur; is nempe: puto illius areæ quam communiter possident Cusinius et Trebonius tertium etiam dominum esse: Rebilium fuisse certo scio. Sch.—Improbat Lamb. Bos. alii.

4. Gruter. post Bosium, *certe*. Perperam. J. V. L.

5. Πρόπλασμα. Specimen, quod gallice dicimus *modèle*. *Formam* operis dixit Cicero ad Div. II, 8. In primis statuarum proprium est. Ed.

EPISTOLA XLII.

De literis Attici nullum diem desideratis; de itinere suo; de Attici in Urbem reditu. (In Antiati, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

NULLUM a te desideravi diem literarum. Videbam enim quæ scribis [1]; et tamen suspicabar, vel potius intelligebam, nihil fuisse, quod scriberes. A. d. VI id. vero et abesse te putabam, et plane videbam nihil te habere. Ego tamen ad te fere quotidie mittam. Malo enim frustra, quam te non habere, cui des; si quid forte sit, quod putes me scire oportere. Itaque accepi VI id. literas tuas inanes: quid enim habebas, quod scriberes? Mihi tamen illud, quidquid erat, non molestum fuit, nihil aliud scire me, novi te nihil [2] habere. Scripsisti tamen nescio quid de Clodia. Ubi ergo ea est? aut quando ventura? Placet mihi res sic, ut secundum Othonem nihil magis. Sed neque hanc vendituram puto. Delectatur enim, et copiosa est: et illud alterum quam sit difficile, te non fugit. Sed, obsecro, enitamur, ut aliquid ad id, quod cupio, excogitemus. Ego me hinc postridie exiturum puto, sed aut in Tusculanum, aut domum; inde fortasse Arpinum. Quum certum sciero, scribam ad te. Venerat mihi in mentem, monere te, ut id ipsum [3], quod facis, faceres: pu-

1. *Quæ scribis*. Te scilicet esse occupatissimum. « Nullum a te desideravi diem literarum », hoc est, numquam desideravi, numquam exspectavi tuas literas. MAN.

2. J. F. Gronovius volebat *nisi novi*, multis probantibus. Alii distinguunt sic, « nihil aliud: scire me, novi te nihil scire ». J. V. L.

3. *Ut id ipsum*. Ut domi te includeres rationum causa. Contulerat enim se Atticus in suburbanum, ut rationes

tabam enim, commodius te idem istud domi agere posse, interpellatione sublata.

suas commodius posset conficere, interpellatione sublata. Deinde venit in mentem, idem illud Romæ posse facere, si se domi teneret, nemine, qui interpellaturus esset, admisso. Itaque fecit. Epist. 43, 44, 45 et 46. MAN.

EPISTOLA XLIII.

De itinere suo; de hortis vel Clodiæ, vel Trebonii emendis. (In Antiati, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Ego postridie idus, ut scripsi ad te ante, Lanuvii manere constitui; inde aut Romæ, aut in Tusculano. Scies ante utrumque. Quod siles[1], recte[2] mihi illam rem fore levamento, bene facis; quum id esset[3], mihi crede, perinde, ut existimare tu non posses. Res indicat, quanto opere id cupiam, quum tibi audeam confiteri, quem id non ita valde probare arbitrer. Sed ferendus tibi in hoc meus error; ferendus? immo vero etiam adjuvandus. De Othone diffido, fortasse quia cupio. Sed tamen major etiam res est, quam facultates nostræ, præsertim adversario et cupido, et locuplete, et herede. Proximum est, ut velim Clodiæ. Sed[4], si

1. *Quod siles*. Quod, inquit, non scribis, sed taces illam fani ædificationem recte fore levamento dolori meo, bene facis; quia satis existimare non posses, nedum oratione consequi, quantum illa res hanc meam molestiam levatura esset. BOSIUS. — *Recte*. Aliam interpretationem affert Gronov. Quod dissimulas apud eos, quibuscum agis, de hortis consilium meum, et me ex consecrata Tullia levationem doloris petere, laudo. Nam tu ipse, quam hoc ita sit, quamque penitus ego imbiberim, judicare nescis, qui nec sentias, nec senseris parem dolorem. J. FR. GRONOV. — Faciunt cum Bosio Mongaltius et J.V. L.—Ern. delevit *recte*, quod Schütz. probavit. ED.

2. Manutius conjicit *reri te;* Lamb. *certe*. Omnino delet Ernestius. Magis forte delendum *bene facis*, aut nihil delendum. J. V. L.

3. Schütz. conjicit, *quamquam id est... possis*. J. V. L.

4. *Sed* in edd. veterib. desideratur. J. V. L.

ista minus confici possunt: effice quidvis. Ego me majore religione, quam quisquam fuit ullius voti, obstrictum puto. Videbis etiam Trebonianos: etsi absunt domini. Sed, ut ad te heri scripsi, considerabis etiam de Tusculano; ne æstas effluat: quod certe non est committendum.

EPISTOLA XLIV.

De Hirtii libro; de negotio hortorum emendorum; de adventu suo in Tusculanum; quid Philotimus de Pompeio narraverit. (In Antiati, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Et Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς [1] de me scripsisse facile patior (fecit enim humane); et te ejus epistolam ad me non misisse, multo facilius: tu enim etiam humanius. Illius librum, quem ad me misit de Catone, propterea volo divulgari a tuis, ut ex istorum vituperatione sit illius major laudatio. Quod per Mustellam agis [2], habes hominem valde idoneum, meique sane studiosum jam inde a Pontiano [3]. Perfice igitur aliquid. Quid autem aliud, nisi ut aditus sit [4] emptori? quod per quemvis heredem potest effici. Sed Mustellam id perfecturum, si rogaris, puto. Mihi vero et locum, quem opto, ad id, quod volumus, dederis, et præterea ἐγγήραμα [5]. Nam illa Silii et Drusi non satis οἰκοδεσποτικὰ [6] mihi videntur. Quid enim sedere totos

1. Συμπαθῶς. Ad indicandum similem animi affectionem accommodate. Scripserat enim Hirtius Ciceronis casum se dolere de filiæ morte. Man.

2. *Quod... agis.* De hortis. Ed.

3. *A Pontiano.* A quo tempore ejus amicum, vel affinem defendi. Manut.

4. *Ut aditus sit.* Ut Scapulæ horti in auctione veneant. Ed.

5. Ἐγγήραμα. Perfugium senectutis. Vide supra epist. 25.

6. Οἰκοδεσποτικά. Non satis « apta

dies in villa ista? Igitur malim primum Othonis, deinde Clodiæ. Si nihil fiet, aut Druso ludus[7] est suggerendus, aut utendum Tusculano. Quod domi te inclusisti, ratione fecisti. Sed, quæso, confice, et te vacuum redde nobis. Ego hinc, ut scripsi antea, postridie id. Lanuvium, deinde postridie in Tusculano. Contudi enim animum, et fortasse vici, si modo permansero. Scies igitur fortasse cras, summum perendie. Sed quid est, quæso? Philotimus nec Carteiæ[8] Pompeium teneri (qua de re literarum ad Clodium Patavinum missarum exemplum mihi Oppius et Balbus miserant, se id factum arbitrari), bellumque narrat reliquum satis magnum. Solet omnino esse Fulviniaster[9]. Sed tamen, si quid habes. Volo etiam de naufragio Caniniano[10] scire, quid sit.

patris familiæ officio ». Villæ Silii et Drusi adeo pusillæ erant, ut bono patrifamilias deesset, in quo posset occupari. Bosius.

7. *Druso ludus.* Aliquod malitiæ genus est excogitandum, ut suos nobis hortos Drusus vendat æquiore pretio. Man.

8. *Carteiæ.* In extrema Bætica, ad mare Ibericum. Manut. — Alii, *nec arctim P. t.* J. V. L.

9. *Fulviaster.* Fulvio similis: solet Fulvium imitari, qui pro Pompeio facile mentiebatur. Multi MSS habent *Fulviniaster*, ut ipse Cicero scripsit l. X, ep. 9 init. Quis autem sit ille Fulvius incertum est. Putant notari Fulvium Posthumium Cæsarianum, qui sic pro Cæsare mentiri solitus sit. Gronovius conjiciebat legendum ψευδομάρτυς. Sch.

10. *Caniniano.* Supra epist. 36.

EPISTOLA XLV.

De libris a se nuper scriptis; de Atticæ et Attici valitudine; cur in Tusculano esse velit; de Cæsaris statua in templo Quirini; de Hirtii libro divulgando. (In Antiati, anno U. C. 708, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Ego hic duo magna συντάγματα[1] absolvi. Nullo

1. Συντάγματα. *Volumina, libros.*

enim alio modo a miseria quasi aberrare possum. Tu mihi, etiamsi nihil erit, quod scribas, quod fore ita video; tamen id ipsum scribas velim, te nihil habuisse, quod scriberes, dummodo ne his verbis. De Attica, optime. Ἀκηδία[2] tua me movet, etsi scribis nihil esse. In Tusculano eo commodius ero, quod et crebrius tuas literas accipiam, et te ipsum nonnumquam videbo. Nam ceteroqui ἀνεκτότερα[3] erant Asturæ: nec hæc[4], quæ refricant, hic me magis angunt. Etsi tamen, ubicumque sum, illa sunt mecum. De Cæsare vicino scripseram ad te, quia cognoram ex tuis literis. Eum σύνναον[5] Quirino malo, quam Saluti. Tu vero, pervulga Hirtium[6]. Id enim ipsum putaram, quod scribis; ut, quum ingenium amici nostri probaretur, ὑπόθεσις[7] vituperandi Catonis irrideretur.

2. Ἀκηδία. *Torpedo cum mœstitia.*

3. Ἀνεκτότερα. *Tolerabiliora.*

4. Grævius emendat, « nunc hæc, quæ refricant, hic me magis angent ». J. V. L.

5. Σύνναον. *Contubernalem.* Sic ipse hanc vocem interpretatur, XIII, 28. Quantum autem ad historiam, quæ totam hanc rem aperiet, traditum est nobis, Romanos Cæsaris dictatoris imaginem in templo Quirini dedicasse, quæ *Deo invicto* inscriptum habebat: quod nunc Cicero breviter tangit. Domum autem Attici scimus fuisse in colle Quirinali. VICT. — Dicti Ciceroniani, quo Cæsarem mavult *Quirini*, quam *Salutis* σύνναον, hæc vis est: malle se Cæsarem propter tyrannidem, ut Romulum, propter severiora imperia, interfici, quam salvum diu esse. ERN.

6. *Hirtium.* Librum, seu epistolam ab Hirtio scriptam contra Catonem. Conf. epist. 40 sup. ED.

7. Ὑπόθεσις. *Argumentum.*

EPISTOLA XLVI.

Scribit se Lanuvio in Tusculanum exiturum. (In Antiati, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

VINCAM, opinor, animum, et Lanuvio pergam in Tusculanum. Aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum est (nam dolor idem manebit, tantum me-

diocrius); aut nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an ad decem annos. Neque enim ista major admonitio [1], quam quibus assidue conficior, et dies, et noctes. Quid ergo? inquies, nihil literæ? In hac quidem re, vereor ne etiam contra: nam essem fortasse durior: isto [2] enim animo nihil agreste [3], nihil inhumanum est.

1. *Admonitio.* An, quod ibi aliquid esset, quod illi memoriam sui doloris renovaret? Nisi conjectura fallor, aliquid erat, quod ad Tulliolæ obitum pertinebat. Suspicarer eam ibi diem suum obiisse, nisi scirem Plutarchum et Asconium etiam tradere, eam apud secundum virum mortuam esse ex partu. Verum hi optimi auctores fortasse intelligere voluerunt, quod verum est, eam quo tempore obiit, in conjugio Dolabellæ fuisse. Nam et alium conjugem habuit; ut ambo illi crediderunt, Pisonem, et fortasse duos, ut ex plurimis Ciceronis locis videtur colligi et affirmari posse, neque de loco intellexerunt: ut non repugnet, quin credi possit, eam in Tusculano patris degentem, morte correptam fuisse, præsertim quum peregre vir esset. Eo enim tempore Dolabella in Hispania cum Cæsare, adversus Cn. Pompeii liberos bellum gerente, erat. Neque tamen hoc affirmo. Sed quum cogitarem quid esse potuerit, quod ei vulnus sui doloris refricaturum esset, si eo proficisceretur: nil aliud mihi occurrit, et hoc valde quadrare visum est. Hæc enim præcipue res dolorem renovare poterat, quæ eum in maximo mœrore et luctu tenuerat. Vict.

2. Vett. libri *exsto*, unde al. ξέστω, ut Bosius; alii, *exculto*, quod magis placet, et recepit Schütz. Ed.

3. *Nihil agreste.* Expressit eamdem sententiam, quum poeta sic reddidit: « Didicisse fideliter artes, Emollit mores, nec sinit esse feros ». Ed.

EPISTOLA XLVII.

De Clodianis hortis emendis, aliisque rebus breviter. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Tu igitur [1], ut scripsisti; nec id incommodo tuo. Vel binæ [2] enim poterunt literæ; occurram [3] etiam, si

1. *Tu igitur.* Subaudi, ad me venies in Tusculanum. Ed. — Junius e MSS Palat. judicat hæc verba, usque ad « De Mustela, ut scribis », aptari debere superiori epistolæ. J. V. L.

2. *Vel binæ.* Prius quam ad me venias, vel binas uterque dare literas poterimus. Man.

3. *Occurram.* Veniam ipse ad te, si tu ad me minus commode poteris.

necesse erit : ergo id quidem, ut poteris. De Mustella, ut scribis : etsi magnum opus est [4]. Eo magis delabor ad Clodiam. Quamquam in utroque Faberianum nomen explorandum est : de quo, nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris loquutus; et quidem, ut res est, emere nos velle, nec posse sine isto nomine, nec audere incerta [5]. Sed quando Clodia Romæ futura est, et quia tanti rem æstimas, eo prorsus specto : non quin illud malim, sed et magna res est, et difficile certamen cum cupido [6], cum locuplete, cum herede : etsi de cupiditate nemini concedam; ceteris rebus inferiores sumus. Sed hæc coram. Hirtii librum, ut facis, divulga. De Philotimo, idem et ego arbitrabar. Domum tuam pluris [7] video futuram vicino Cæsare. Tabellarium meum hodie exspectamus: nos de Pilia et Attica certiores faciet.

Man.— Nempe in loco quodam intermedio congressurus. Ed.

4. *Magnum opus est.* Ut Scapulanos hortos habeamus : supra ep. 37. Man.

5. Sic ed. pr. Victorii; postrema, *re incerta.* Alii legunt *incerto*, scilicet *nomine.* J. V. L.

6. *Cum cupido.* Cum Othone. Epist. 39, 41.

7. *Pluris.* Video fore ut pluris æstimetur. Jocatur ex amphibologia. Vicina Attico erat statua Cæsaris in templo Quirini : sed vicino Cæsare sic poterat intelligi, quasi ipse Cæsar in vicinia Attici domum emisset, quod si fuisset, ob majorem celebritatem loci fieri poterat, ut domus Attici pluris esset. Sch.

EPISTOLA XLVIII.

Scribit se Atticum in Tusculano exspectare. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Domi te libenter esse, facile credo. Sed velim scire, quid tibi restet, aut jamne confeceris. Ego te in Tusculano exspecto, eoque magis, quod Tironi statim te venturum scripsisti, et addidisti, te putare opus

esse. Sentiebam omnino, quantum mihi præsens prodesses; sed multo magis post discessum tuum[1] sentio. Quamobrem, ut ante ad te scripsi, aut ego ad te totus, aut tu ad me, quod licebit.

1. *Post discessum tuum.* Scilicet inter hanc epistolam et superiorem Atticus cum Cicerone congressus erat; fortasse in loco inter Tusculanum et Urbem. Nunc eum iterum Cicero in Tusculano exspectabat. Ed.

EPISTOLA XLIX.

De Pseudo-Marii mandatis et literis; de Curtii petitione consulatus; de Tironis valitudine, epistola ad Cæsarem, et hortis Scapulanis. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Heri, non multo post, quam tu a me discessisti, puto, quidam urbani, ut videbantur, ad me mandata et literas attulerunt a C. Mario, C. F., C. N.[1]; multis verbis agere mecum per cognationem[2], quæ mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem[3], per eloquentiam L. Crassi, avi sui[4], ut se[5] defenderem;

1. *C. F. C. N.* Id est, « Caii filio, Caii nepote ». Ut scilicet neque libertum se esse ostenderet, neque libertinum: cui pater erat, et avus. Hic si fuisset Caii Marii junioris filius, avum maternum habuisset L. Crassum oratorem clarissimum: si nepos C. Marii septies consulis, cognatione attigisset Ciceronem, cujus avus in matrimonio habuerat amitam Marii, ut est lib. III de Legibus, et propinquus fuisset Cæsaris ex eo, quod idem Marius uxorem habuerat Juliam Cæsaris amitam. Sed fuit Pseudo-Marius, et vero nomine Herophilus quidam medicus equarius: quem agnitum Cæsar extra Italiam relegaverat: deinde post mortem Cæsaris carceri impactus et necatus est, quod de trucidando senatu cogitasset; ep. 8, lib. VIII; Philip. I; Valer. Maxim. XV, 9. Porma.

2. *Cognationem.* Quia Ciceronis avus amitam C. Marii septies consulis in matrimonio habuerat; libro III de Legibus. Man.

3. *Quem scripsissem.* Cicero scripsit versibus librum de C. Mario, eumque inscripsit *Marius*; lib. III de Legibus. Man.

4. *L. Crassi, avi sui.* L. Licinii Crassi, oratoris eloquentissimi, qui consul fuit cum Q. Mutio Scævola, avi sui materni. Etiam epistola 8 libri XIII, appellat eum L. Crassi nepotem. Manut.

5. *Ut se defenderem.* Contra eos, qui negabant ipsum C. Marii nepotem esse. Man.

causamque suam mihi perscripsit. Rescripsi, patrono illi nihil opus esse, quoniam Cæsaris, propinqui[6] ejus, omnis potestas esset, viri optimi, et hominis liberalissimi; me tamen ei fauturum. O tempora! fore, quum dubitet Curtius[7] consulatum petere? Sed hæc hactenus. De Tirone, mihi curæ est. Sed jam sciam, quid agat. Heri enim misi, qui videret: cui etiam ad te literas dedi. Epistolam ad Cæsarem tibi misi. Horti quam in diem proscripti sint, velim ad me scribas.

6. *Propinqui ejus*. C. Marius ille septem consulatibus insignis, uxorem duxit Juliam Cæsaris amitam. Man.

7. *Quum dubitet Curtius*. Quasi incertum esset, posset, necne consulatum petere. At republica bene constituta non dubitasset, sed pro certo et explorato habuisset, sibi ad petitionem consulatus nullum aditum patere. Miserrima igitur erant tempora, quibus homines flagitiosissimi spem quamdam haberent summorum honorum adipiscendorum. Nam qui dubitant, partim sunt in spe, partim in metu. Bosius.

EPISTOLA L.

Petit ab Attico, ut se mox revisat. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Ut me levarat tuus adventus, sic discessus afflixit. Quare quum poteris, id est, quum Sexti auctioni operam dederis, revises nos. Vel unus dies mihi erit utilis; quid dicam, gratus? Ipse Romam venirem, ut una essemus, si satis consilium quadam de re haberem.

EPISTOLA LI.

De Tironis reditu, aliorumque adventu; de auctione hortorum; de epistola ad Cæsarem mittenda; de Cærelliæ nomine expediendo. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

TIRONEM habeo citius, quam verebar. Venit etiam Nicias; et Valerium hodie audiebam esse venturum. Quamvis multi sint, magis tamen ero solus, quam si unus esses. Sed exspecto te, a Peducæo[1] utique. Tu autem significas aliquid etiam ante. Verum id quidem, ut poteris. De Virgilio, ut scribis. Hoc tamen velim scire, quando auctio. Epistolam ad Cæsarem mitti, video tibi placere. Quid quæris? mihi quoque hoc[2] idem maxime placuit, et eo magis, quod nihil est in ea, nisi optimi civis, sed ita optimi, ut tempora, quibus parere omnes πολιτικοὶ[3] præcipiunt. Sed scis, ita nobis esse visum, ut isti[4] ante legerent. Tu igitur id curabis. Sed, nisi plane iis intelliges placere, mittenda non est. Id autem utrum illi sentiant, anne simulent, tu intelliges. Mihi simulatio pro repudiatione fuerit. Τοῦτο δὲ μηλώσῃ[5]. De Cærellia[6] quid tibi placeret, Tiro mihi narravit: de-

1. *A Peducæo.* A Sext. Peducæi auctione. Epist. 1, lib. XIII. CORR.

2. Olim deerat *hoc.* J. V. L.

3. Πολιτικοί. Libri de republica, vel homines reipublicæ administrandæ periti.

4. *Isti.* Balbus, Oppius, etc. CORR.

5. Τοῦτο δὲ μηλώσῃ. *Sed hoc tu videris.* Proverbialiter dici videtur, quum ostendere quis vult, alium se melius rem explorare et dijudicare posse. Μηλοῦν est a μήλη, quod est instrumentum chirurgicum, quo solent vulnera quam profunda sint, et quid in iis lateat, quod extrahendum sit, perscrutari. ERNEST. — Olim legebatur γνώσῃ. Victorius e meliore cod. eruit μηλώσῃ, de quo verbo Index Græco-latinus consulatur. Ernest. in textu retinuit conjecturam Bosii, dudum a Grutero admissam. Sed si verum esset μυῖα, Schütz. malit μυῖαν ὡς, cum respectu

bere, non esse dignitatis meæ; perscriptionem[7] tibi placere; « hoc[8] metuere, alterum in metu non ponere. » Sed et hæc, et multa alia coram. Sustinenda[9] tamen, si tibi videbitur, solutio est nominis Cærelliani, dum et de Metone[10], et de Faberio sciamus.

ad Iliad. IV, 130. Hæc nimis intricata. J. V. L.

6. *De Cærellia.* Hanc vetulam a Cicerone vetulo amatam fuisse tradit Dio, XLVI, 18. Hoc negat Mongalt. J. V. L. nihil pronuntiat. Quintilian. VI, 3, de epistolis Ciceronis ad Cærelliam loquitur. Ed.

7. *Perscriptionem.* Assignationem ad trapezitam, ut vulgo loquuntur. Græv.

8. *Hoc.* Ne sit contra dignitatem meam, debere. *Alterum.* Ne non sit, unde solvamus. Manut. — *Hoc metuere... non ponere.* Sub. absurdum. Versus est veteris poetæ, qui in proverbium abiit. Citatur quoque in Topicis, cap. 13. Ed.

9. *Sustinenda.* Quasi differenda. Corr.

10. *Metone.* Suspicabatur Mongaltius hoc nomine designari Cæsarem, qui Romanis annum correxerat, quod suis præstiterat civibus Meto Atheniensis, ut dictum est supra ad epistolam 3. Oliv.

EPISTOLA LII.

De Tullii Montani negotio; de epistola ad Cæsarem, et de hortis emendis; de Lentuli Spintheris divortio; de libris philosophicis. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est. Ab ejus sororis viro literas accepi, Montanum Planco debere, quod præs pro Flaminio sit, H-S xxv; de ea re nescio quid te a Montano rogatum. Sane velim, sive Plancus est rogandus, sive qua re potes illum juvare, juves : pertinet ad nostrum officium. Si res tibi forte notior est, quam mihi, aut si Plancum rogandum putas, scribas ad me velim; ut, quid rei sit, et quid rogandum, sciam. De epistola ad Cæsarem quid egeris, exspecto. De Silio, non ita

sane laboro. Tu mi aut Scapulanos[1], aut Clodianos efficias, necesse est. Sed nescio quid videris dubitare de Clodia; utrum, quando veniat[2], an sintne venales? Sed quid est, quod audio, Spintherem fecisse divortium? De lingua latina securi es animi, dices, qui talia[3] conscribis. Ἀπόγραφα[4] sunt; minore labore fiunt: verba tantum affero; quibus abundo.

1. *Scapulanos, aut Clodianos.* Hortos.

2. Aldus edidit *veneant*, quod et Gruterus post Bosium servavit. Sed verum est *veniat*. J. V. L.

3. *Talia.* De philosophia: quum græcorum verborum vim exprimere latinis verbis cogeretur: atque idcirco verbis uti non admodum consuetudine tritis. MAN.

4. Ἀπόγραφα. Exempla, res descriptæ.

EPISTOLA LIII.

Scribit se literas Attici exspectare, et petit ut epistolas suas ad Marcianum et ad Montanum una cum Epiroticis perferendas curet. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Ego, etsi nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui videor. Hic nobiscum sunt Nicias et Valerius. Hodie tuas literas exspectabamus matutinas. Erunt fortasse alteræ pomeridianæ, nisi te Epiroticæ literæ[1] impedient, quas ego non interpello. Misi ad te epistolas ad Marcianum et ad Montanum. Eas in eumdem fasciculum[2] velim addas, nisi forte jam dedisti.

1. *Epiroticæ literæ.* Quas in Epirum scribis tuorum negotiorum causa. Forte autem *literæ* abundat. Aptius certe ad brevitatem videretur. MAN.—Sunt autem literæ quas Atticus in Epirum negotiorum suorum causa scribebat.

2. *Fasciculum.* Quem in Epirum mittis, ut ex Epiro deinde Athenas deferantur. Nam Athenis erant Marcianus et Montanus cum Cicerone filio.

ARGUMENTUM

LIBRI DECIMI ET TERTII.

Exiguum tempus mutum fuit a literis, inter hujus libri epistolas et superioris. Scriptæ autem et hæ sunt, dum Cæsar in Hispania contra Pompeii liberos bellum gereret, ipso eodem IV consule sine collega, ut Sigonio placet; belloque confecto rediret: spatio fere mensium septem. Nam æstatis initio, ut ex epistola prima colligitur, scribi cœptæ sunt, fingamus ex kalendis juniis, et mense decembri desierunt. Namque tertiis Saturnalibus, quæ fuerant XII kal. januarii, apud M. Tullium Cæsar cœnavit, ut est in epistola ultima libri hujus. Quamquam ultima illa videtur esse, cui est in hoc libro locus XLI assignatus, in qua de suo natali die agitur, qui fuit III non. jan. Argumentum illarum multiplex est, sed plurimum in illis: de epistola ad Cæsarem missa: quos in suos Dialogos includere debeat: de hereditatibus quibusdam: de Quinti filii improbitate, querela: de suo Catone, et Cæsaris Anticatone: et de domesticis suis rebus nonnullis.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD ATTICUM
LIBER DECIMUS ET TERTIUS.

EPISTOLA I.

De literis ad Ciceronem filium et Tullios ab Attico missis; de hortorum emendorum negotio; de epistola ad Cæsarem; de Nicia et Peducæo. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Ad Ciceronem [1] ita scripsisti, ut [2] neque severius [3], neque temperatius scribi potuerit; nec magis, quam quemadmodum ego maxime vellem. Prudentissime etiam ad Tullios [4]. Quare aut ista proficient, aut aliud agamus. De pecunia vero, video a te omnem diligentiam adhiberi, vel potius jam adhibitam : quod si efficis, a te hortos habebo. Nec vero ullum genus possessionis est, quod malim, maxime scilicet ob eam causam [5], quæ suscepta est; cujus festinationem mihi tollis, quoniam de æstate polliceris, vel potius

1. *Ad Ciceronem*. Quem Athenis immoderatos sumptus facere percrebuerat. Sch.

2. Al. *ulli ut*. J. V. L.

3. *Severius*. Objurgans eum, quod immoderatos sumptus faceret. Quod indicat libri hujus epistola 46. Man.

4. *Tullios*. Marcianum et Montanum, qui cum Cicerone filio Athenis erant. Man.

5. *Ob eam causam*. Ob fanum, quo filiam consecrare deliberatum est. Man.

recipis : deinde etiam ad καταβίωσιν[6] mœstitiamque minuendam nihil mihi reperiri potest aptius; cujus rei cupiditas impellit me interdum, ut te hortari velim. Sed me ipse revoco. Non enim dubito, quin, quod me valde velle putes, in eo tu me ipsum cupiditate vincas. Itaque istuc jam pro facto habeo. Exspecto, quid istis placeat[7] de epistola ad Cæsarem. Nicias te, ut debet, amat, vehementerque tua sui memoria delectatur. Ego vero Peducæum nostrum vehementer diligo: nam et quanti patrem feci, totum in hunc[8]; et[9] ipsum per se æque amo, atque illum amavi; te vero plurimum, qui hoc ab utroque nostrum fieri velis. Si hortos inspexeris, et si de epistola certiorem me feceris, dederis mihi, quod ad te scribam: sin minus, scribam tamen aliquid. Numquam enim deerit.

6. Καταβίωσιν. Reliquum vitæ decursum.

7. *Quid istis placeat.* Oppio et aliis. Vide superioris libri epist. 49.

8. *Totum in hunc.* I. e. transtuli.

9. Abest *et*. J. V. L.

EPISTOLA II.

De literis Attici et negotiis ei mandatis; de Ariarathis adventu; de auctione Peducæi; de Dionysii literis. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Gratior mihi celeritas[1] tua, quam ipsa res. Quid enim indignius? Sed jam ad ista obduruimus, et humanitatem[2] omnem exuimus. Tuas literas hodie exspectabam, nihil equidem ut ex iis novi: quid enim?

1. *Celeritas tua.* In nuntiando. *Quam ipsa res.* Quam nuntiasti. Ed.

2. *Humanitatem.* Humanum sensum malorum. Ed.

verumtamen[3]. Oppio et Balbo epistolas deferri jubebis, et tamen Pisonem[4] sicubi de auro. Faberius si venerit, videbis ut tantum attribuatur, si modo attribuetur[5], quantum debetur. Accipies[6] ab Erote. Ariarathes, Ariobarzani filius, Romam venit. Vult, opinor, regnum aliquod emere a Cæsare. Nam, quo modo nunc est, pedem ubi ponat in suo, non habet. Omnino eum Sestius noster parochus[7] publicus occupavit, quod quidem facile patior. Verumtamen, quod mihi, summo beneficio meo, magna cum fratribus illius necessitudo est, invito eum per literas, ut apud me deversetur. Ad eam rem quum mitterem Alexandrum, has ei dedi literas. Cras igitur auctio Peducæi. Quum poteris[8] ergo: etsi impediet fortasse Faberius; sed tamen, quum licebit. Dionysius noster graviter queritur, et tamen jure, a discipulis abesse[9] tamdiu. Multis verbis scripsit ad me, credo item ad te. Mihi quidem videtur etiam diutius abfuturus, ac nollem. Valde enim hominem desidero.

3. *Verumtamen.* Exspectabam. Et est figura, qua usus est, XIV, 8. Man.

4. *Pisonem.* Argentarium—*Sicubi.* Convenias, sicubi poteris.

5. *Attribuetur.* *Attribuere* in re pecuniaria est adsignare, vel, ut bene Schütz. solvere per delegationem. Ed.

6. *Accipies.* Cognosces ab Erote, quantum nobis a Faberio debeatur. Manut.

7. *Parochus.* Parochus erat qui lautia præbebat legatis exterarum nationum, ut intelligitur ex interpretatione græca vocis lautiorum, in senatusconsulto facto Q. Lutatio, M. Æmilio consulibus, in gratiam Asclepiadis Clazomenii, Polystrati Carystii et Menisci Milesii. Quod S. C. græcis verbis explicatum cum fragmento quodam Latinorum, quibus primum conceptum fuerat, Victorius publicavit in postrema editione harum epistolarum. Bos. —Alii malunt « parochis publicis », id est, παροχαῖς. J. V. L.

8. *Quum poteris.* Sc. ad me venies.

9. Ernest. excidisse putat *se*. J. V. L.

EPISTOLA III.

De nominibus ad hortos emendos expediendis; de Bruti adventu.
(In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

A te literas exspectabam [1]; nondum [2] scilicet: nam has mane rescribebam. Ego vero ista nomina [3] sic probo, ut nihil aliud me moveat, nisi quod tu videris dubitare. Illud enim non accipio in bonam partem, quod ad me refers: qui si ipse negotium meum gererem, nihil gererem, nisi consilio tuo. Sed tamen intelligo, magis te id facere diligentia, qua semper uteris, quam quod dubites de nominibus istis. Etenim Cœlium non probas [4]; plura non vis. Utrumque laudo.

1. Gœrenz. ad Cic. Academ. II, 27, jubet colon delere : « A te lit. exspectabam nondum scilicet ». J. V. L.

2. *Nondum.* Tabellarii enim Roma profecti, nondum ea hora, qua scribo ad te, pervenire in Tusculanum potuissent. Corr.

3. *Ista nomina.* De quibus ad me scribis. Cicero, quum pecuniam non haberet, unde hortos emeret, Attico mandaverat, ut aliquid venderet. Atticus in venditione non pecuniam accepit ab eo, qui emit, sed nomina, ita tamen, si ea nomina Cicero probasset, ad quem de ea re scripturus erat. Man. — Gronovius putat hic per nomina intelligi posse prædes, quos Cicero daturus erat in auctione hortorum Scapulanorum. Intelligo autem eos qui Ciceroni debebant, eum ad alios quosdam debitores suos delegavisse. Ed.

4. *Cœlium non probas.* Decreverat Cicero jam ante mortem Tulliæ, metu belli civilis, quidquid domi habebat auri, argentive facti vel infecti cum pecunia commutare, ut intelligitur ex epistola ultima libri XI, quod postea fecit. Nam argenti aurive, quod erat in supellectile, magnam partem cum Cœlio nummulario nummis aureis permutavit. Idcirco rogabat Atticum epistola 9 libri XII, ut videret de Cœlio, ne qua lacuna esset in auro. Quia vero valde egebat pecunia ad hortos emendos, negotium dederat Attico, ut si non posset ea vendere, quæ proscribi jusserat, quod domi superesset auri argentive cum Cœlio pecunia permutaret. Cui mandato ita rescripserat Atticus, se non probare, quod ille scripserat de auro argentove commutando cum Cœlio, cujus fraudes antea expertus fuerat, suadereque ne plura ex supellectile distraheret. Id ergo Attici consilium scribit se probare in utraque re, ne scilicet cum Cœlio sibi negotii

His igitur [5] utendum est. Præs [6] aliquando factus esses, et in his quidem tabulis. A me igitur omnia. Quod dies longior est [7] (teneamus modo quod volumus), puto fore istam etiam a præcone diem, certe ab heredibus. De Crispo et Mustella videbis : et velim scire, quæ sit pars duorum. De Bruti adventu eram factus certior. Attulerat enim ab eo Ægypta libertus literas. Misi ad te epistolam, quia commode scripta erat.

quidquam sit, nec de supellectile plura commutet, sed illis nominibus utatur ad hortos emendos. Bosius.

5. *His igitur.* Nominibus. Corr.

6. *Præs.* Nisi haberemus hæc nomina, necesse fuisset, ut pro me præs fieres : nunc omnia sint a me. Corr. — Illudit Tullius Attico, quod illi constitutum erat, quamdiu vixit, numquam prædem pro altero, neque mancipem esse, ut auctor est Cornelius Nepos. Fregisses, inquit, consilium illud tuum causa mea. Sed postea subjicit, « a me igitur omnia » præstabuntur; ne te prædem fieri mea causa postulare me putes. Cetera sunt perspicua. Junius. — Schütz. proponit *aut*, quod nisi addatur, sententiam ait abruptiorem esse. J. V. L.

7. *Quod dies longior est.* Quantum ad id attinet quod dies meorum nominum longior est, quam ut pecuniam repræsentare possim, spero præconem in tam longam diem, quam illa nostrorum nominum sit, solutionem destinaturum : aut, si id a præcone impetrare non possum, certe ab heredibus Scapulanis assequar. Teneamus modo quod volumus, et hortos illos nobis elabi ne sinamus. Hæc enim verba, « teneamus modo quod volumus », κατὰ παρένθεσιν sunt legenda. Bosius.

EPISTOLA IV.

De quæstione, qui decem legati fuerint, expedita; de nominibus suis expediendis; de Bruti adventu. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Habeo munus [1] a te elaboratum decem legatorum :

1. *Munus.* Infra epist. 26, ita scribit : « Sicunde potes, erues, qui decem legati Mummio fuerint ». Polybius non nominat. Eorum nomina Atticus invenit, inventa misit ad Ciceronem. Et hic perspicuum est, lapsum esse in ordine qui has epistolas retulit in volumina : quum infra de nominibus decem legatorum Atticum roget, hic autem ea se dicat accepisse. Man.

et quidem puto[2]; nam filius anno post quæstor fuit, quam consul Mummius. Sed quoniam sæpius de nominibus[3] quæris, quid placeat; ego quoque tibi sæpius respondeo, placere. Si quid poteris cum Pisone, conficies; Avius[4] enim videtur in officio futurus. Velim ante[5] possis; si minus, utique simul simus, quum Brutus veniet in Tusculanum. Magni interest mea, una nos esse. Scies autem, qui dies is futurus sit, si puero negotium dederis, ut quærat[6].

2. *Et quidem puto.* Vetus codex, teste Pighio, rectius legit, « et quidem sic puto ». — Schütz. addit *sic* : non e conjectura, ut putat J. V. L.

3. *De nominibus.* De quibus epistola super.

4. *Avius.* Schütz. edidit *Aulus*, auctore Manutio. Vide lib. XII, epist. 5, ubi itidem Piso cum Aulo conjungitur. Sic utrobique *Avius* legunt Victorius et Bosius. Ed.

5. *Ante.* Velim aute, quam Brutus veniat, mecum esse possis. Corr.

6. *Ut quærat.* Sc. de servis Bruti.

EPISTOLA V.

De Sp. Mummio fratris legato. Breviter de aliis rebus, in primis de nominibus expediendis. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Sp. Mummium putaram in decem legatis fuisse: sed[1]

1. *Sed videlicet.* Hoc sensu: Sed videlicet vere existimas eum legatum quidem fuisse bello Achaico, sed non fuisse in decem illis legatis, qui Corinthum missi sunt ad res Achaicas componendas. Etenim verisimile est eum C. Mummio fratri legatum exstitisse. Bosius. — Hanc scripturam afferunt quoque Balliol. et Helmst. sed omittunt *etenim*. Mihi videntur hæc verba non esse sana. Concise in his epistolis loquitur quidem Cicero, non tamen tam abrupte. Facile mihi assentientur, qui genium Ciceronianæ dictionis non ignorant, et hæc accuratius perpenderint. Opinor autem loci hujus corruptelam ortam esse ex rariore et parum trita constructione τοῦ *videlicet*. Ciceronem enim scripsisse puto : « Spurium Mummium putaram in decem legatis fuisse : sed videlicet eum legatum fratri fuisse ». Nimirum *scilicet*, *videlicet* sæpe cum infinitivis junguntur. Putabam Sp. Mummium in decem le-

videlicet. Etenim εὔλογον[2] fratri fuisse. Fuit enim ad Corinthum. Misi tibi Torquatum[3]. Colloquere tu quidem cum Silio, ut scribis, et urge. Illam diem[4] negabat esse mense maio, istam non negabat. Sed tu, ut omnia, istuc quoque ages diligenter. De Crispo et Mustella, scilicet, quum quid egeris. Quoniam ad Bruti adventum fore te nobiscum polliceris, satis est; præsertim quum hi tibi dies in magno nostro negotio[5] consumantur.

gatis fuisse, sed ex tuis literis videre mihi licuit, eum fuisse legatum fratris. Quum non intelligerent imperiti, quid esset legatum fratris esse, nec viderent unde penderet infinitivus *fuisse*, mire hunc locum perverterunt, et pro latinis, ut sensum aliquem eruerent, græca supposuerunt. Grævius.

2. Εὔλογον. Verisimile.

3. *Torquatum.* Lib. IV de Finibus.

4. *Diem.* Solutionis. Lib. XII, epistol. 24.

5. *Negotio.* De hortis scilicet ad fanum Tulliæ emendis. Mar.

EPISTOLA VI.

De aquæductu et columnario; de hereditate Herenniana; de epistola ad Brutum; de judicatu cavendo; de quæstione de decem legatis. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

De aquæductu probe fecisti. Columnarium[1], vide, ne nullum[2] debeamus. Quamquam mihi videor audisse a Camillo, commutatam esse legem. Pisoni[3],

1. *Columnarium.* Quod hic Cicero scribit de columnario, hoc est, de tributo in singulas columnas pendendo, ad legem Juliam sumptuariam referendum arbitror: quasi Cæsar, singulis columnis, quæ postea erigerentur, tributum imposuerit, ut hac pœna Romanorum animos ab insanis ædificiorum sumptibus revocaret. Antea monuimus eadem lege minutos fuisse sumptus sepulcrorum. Bosius.

2. Sic omnes fere MSS. Recte. Ernest. ex editione rom. *ne ullum.* Frustra, ut videtur. J. V. L.

3. *Pisoni.* Cato puer, hereditatis paternæ nomine, pecuniam quamdam heredibus Herennii debebat, quorum unus erat Piso. Hic et reliqui coheredes quum eam pecuniam sæpe frustra petiissent, minabantur se postulaturos a prætore, ut in bonorum Catonis possessionem mitterentur. Quod quum

quid est, quod honestius respondere possimus, quam solitudinem Catonis[4]? nec coheredibus solum Herennianis, sed etiam, ut scis (tu enim mecum egisti), de puero Lucullo: quam pecuniam tutor (nam hoc quoque ad rem pertinet[5]) in Achaia sumpserat. Sed agit liberaliter, quoniam negat se quidquam facturum contra nostram voluntatem. Coram igitur, ut scribis, constituemus, quemadmodum rem explicemus. Quod reliquos coheredes[6] convenisti, plane bene fecisti. Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo ejus exemplum; sed tamen salvum est, et ait Tiro, te habere oportere: et, ut recordor, una cum illius objurgatoria[7] tibi meam quoque, quam ad eum rescripseram, misi. Judiciali molestia[8] ut caream, videbis.

Atticus Ciceroni tutori significasset, rescripsit Cicero, se nihil habere quod honestius petitioni Pisonis, et reliquorum coheredum Herennianorum respondere tunc posset, quam, puerum Catonem solum esse, hoc est, destitutum esse præsidio tutorum: se enim, et reliquos tutores abesse: simileque responsum eidem Pisoni dandum putabat de pecunia quam petebat a puero Lucullo, cujus itidem tutores aberant, isque potissimum, qui eam pecuniam mutuam sumpserat in Asia. Proinde exspectandum esse reditum utriusque pueri tutorum. Bosius.

4. *Solitudinem Catonis*. Pupillus solus esse dicitur, cui tutores, a quibus defendatur, præsto non sunt. Ideo Cicero solitudinem Catonis vocat absentiam ejus tutorum. Fuit Cicero, ut hinc conjicimus, unus de tutoribus puerorum Catonis, et Luculli: ac quidem Luculli tutelæ meminit lib. III de Finibus. Idem.

5. *Ad rem pertinet*. Ut solutio non urgeatur: quum is tutor non adsit, qui eam pecuniam mutuam sumpserat in Asia. Idem.

6. *Quod reliquos coheredes*. Bene fecisti, quod collocutus es cum reliquis coheredibus Herennianis, et ab iis impetrasti, ne potius solutionem urgerent, quam aut ego adessem, aut alii tutores Catonis. Ceterum edidi, ut erat in Decurtato et Tornæsiano, *plane bene fecisti*. Nam verbum, *fecisti*, a vulgatis abest. Idem.

7. *Objurgatoria*. Quia Brutus eum objurgaverat, quod interitum filiæ mollius ferret, quam virum deceret. Itaque ipse Brutum solans in morte matris, *Est*, inquit, *alienum tanto viro*, etc. Epist. ad Brutum. Man.

8. *Judiciali molestia*. Judicatu, non, ut Manut. intellexit, de patroni laboribus: nam in hoc Ciceronis potestate erat. Supra XII, 19, *judicatus* dixit. Poterat providere vel ne sors ejus duceretur, vel si esset educta, ut aliquis ejus loco judicaret. Ed.

20.

Tuditanum istum, proavum Hortensii, plane non noram; et filium, qui tum non potuerat[9] esse legatus[10], fuisse putaram. Mummium fuisse ad Corinthum, pro certo habeo. Sæpe enim hic[11] Spurius, qui nuper est, epistolas mihi pronuntiabat versiculis facetis, ad familiares missas a Corintho. Sed non dubito, quin fratri fuerit legatus, non in decem. Atque hoc etiam accepi, non solitos majores nostros legare in decem[12], qui essent imperatorum necessarii, ut nos, ignari pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potius, M. Lucullum, et L. Murenam, et ceteros conjunctissimos[13] ad L. Lucullum misimus. Illudque εὐλογώτατον[14], illum fratri in primis ejus legatis fuisse. Operam tuam multam! qui et hæc cures, et mea expedias, et sis in tuis multo minus diligens, quam in meis.

9. Ernest. corrigendum censet, *poterat*. J. V. L.

10. *Legatus*. Vide supra, ep. 4.

11. *Hic Spurius*. Nepos, ut opinatur Man. Sp. Mummii, quem dicit ad Corinthum fuisse cum fratre. Ed.

12. *Non in decem*. Proficiscentibus ad bellum legati dabantur: postea, ut victa provincia componeretur, decem legati decernebantur. Fuit igitur Mummius in primis fratris legatis, in decem non fuit. Man.

13. Al. non habent *conjunctissimos*. J. V. L.

14. Εὐλογώτατον. Maxime probabile.

EPISTOLA VII.

Quid Sextius e Cæsaris literis, et de Lentulo narraverit, exponit. Brutum in Tusculano venisse nuntiat. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Sextius apud me fuit, et Theopompus pridie: venisse a Cæsare narrabat literas; hoc scribere, sibi certum esse, Romæ manere; causamque eam adscri-

bere, quæ erat in epistola nostra, ne se absente leges suæ negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria. Est εὔλογον [1] : idque eram suspicatus. Sed istis mos gerendus [2] est; nisi placet [3] hanc ipsam sententiam nos persequi. Et Lentulum cum Metella [4] certe fecisse divortium. Hæc omnia tu melius. Rescribes igitur quidquid voles, dummodo quid. Jam enim non reperio, quod [5] te rescripturum putem, nisi forte de Mustella, aut si [6] Silium videris. Brutus heri venit in Tusculanum post horam decimam. Hodie igitur me videbit : ac vellem, quum tu [7] adesses. Jussi equidem ei nuntiari, te, quoad potuisses, exspectasse ejus adventum, venturumque, si audisses; meque, ut facio, continuo te certiorem esse facturum.

1. Εὔλογον. Consentaneum.

2. *Mos gerendus.* I. e. istis, Oppio, Balbo, morem gerere oportet, ut prorsus omittatur epistola. Sic de Orat. I, 23 : « gerendus est tibi mos adolescentibus ». Ed.

3. *Nisi placet.* Nisi tu in hac opinione es, ut omnino scriptam epistolam ad Cæsarem mittamus, quæ illi, ut Romæ maneat, suadeamus. Ed.

4. *Lentulum cum Metella.* Refertur ad illud, Sextius narrabat. Idem.

5. *Quod.* Al. *quid.* J. V. L.

6. Grævius delevit *si*, non repertum in MSS suis. Imitatur Ernest. J. V. L.

7. Abest *tu.* J. V. L.

EPISTOLA VIII.

Breviter nonnulla ab Attico curanda mandat. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Plane nihil erat, quod ad te scriberem. Modo enim discesseras, et paullo post triplices [1] remiseras. Velim cures fasciculum ad Vestorium deferendum; et alicui des negotium, qui quærat, Q. Faberii fundus num

1. *Triplices.* Id est, tabellas trium paginarum, in qoibus ad te scripseram, cum responso remiseras. Videtur intelligi codicillos. J. F. Gronov. — Martial. VII, 82 : « Bis senos triplices et dentiscalpia septem ». Ed.

quis in Pompeiano Nolanove venalis sit. Epitomen Bruti Cœlianorum[2] velim mihi mittas, et a Philoxeno Παναιτίου περὶ προνοίας[3]. Te idib. videbo cum tuis.

2. *Cœlianorum.* Ut Fannianorum, XII, 7. De hoc Cœlio, Brut. 26.

3. Παναιτίου περὶ προνοίας. *Panætii de providentia* librum.

EPISTOLA IX.

Scribit ad se venisse Trebatium, Curtium, Dolabellam, Torquatum. Quærit an nuptiæ Bruti cum Porcia confectæ sint. Sibi Arpinum eundum esse significat. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Commodum discesseras heri, quum Trebatius venit, paullo post Curtius; hic salutandi causa : sed mansit invitatus. Trebatium nobiscum habemus. Hodie mane Dolabella. Multus sermo ad multum diem. Nihil possum dicere ἐκτενέστερον[1], nihil φιλοστοργότερον[2]. Ventum est tamen ad Quintum[3]. Multa ἄφατα[4], ἀδιήγητα : sed unum ejusmodi, quod, nisi exercitus sciret, non modo Tironi dictare, sed ne ipse quidem auderem scribere. Sed hactenus. Εὐκαίρως[5] ad me venit, quum haberem Dolabellam, Torquatus[6]; humanissimeque Dolabella, quibus verbis secum egissem, exposuit. Commodum enim egeram diligentissime : quæ diligentia grata est visa Torquato. A te exspecto, si quid

1. Ἐκτενέστερον. *Cum majore significatione benivolentiæ.* Et subintelligi perspicuum est, illius sermone. Man.

2. Φιλοστοργότερον. Amantius.

3. *Quintum.* Ciceronem puerum, cujus multa gravia scelera Dolabella narrabat, perpetrata ab eo in castris, dum comes Cæsaris esset contra liberos Cn. Pompeii bellum gerentis. Victorius.

4. Ἄφατα. Non dicenda. Ἀδιήγητα, non narranda.

5. Εὐκαίρως. Opportune.

6. *Torquatus.* Aulus : nam Lucius, ejus frater, perierat, ut recte monuit Manutius. Ed.

de Bruto[7]. Quamquam Nicias[8] confectum putabat; sed divortium non probari. Quo etiam magis laboro[9] idem, quod tu. Si quid est enim offensionis, hæc res[10] mederi potest. Mihi Arpinum eundum est. Nam et opus est, constitui a nobis illa prædiola; et vereor, ne exeundi potestas non sit, quum Cæsar venerit: de cujus adventu eam opinionem Dolabella habet, quam tu conjecturam faciebas ex literis Messallæ. Quum illuc venero, intellexeroque quid negotii sit; tum, ad quos dies rediturus sim, scribam ad te.

7. *Si quid de Bruto*. Quid significat? Bruti novas nuptias. Nam dimissa Claudia, Appii filia, de qua ad Div. III, 4, Porciam duxit Catonis Uticensis filiam. Man.

8. *Nicias*. Qui erat apud Ciceronem, XII, 26, 33. Idem.

9. *Laboro*. Ut Porciam ducat, Catonis filiam. In quo fallitur Plutarchus, qui Brutum ait eam uxorem accepisse a Catone avunculo: quum hæc scripta sint post devictos in Hispania liberos Pompeii, id est, post obitum Catonis. Idem.

10. *Hæc res*. Nuptiæ Catonis filiæ. Quos enim offendit Claudiæ divortio, eos sibi reconciliabit Porciæ conjugio. Erat enim Catonis nomen maxime populare, quod nemo umquam a libertate constantius stetisset, usque eo, ut sibi mortem consciscere maluerit, quam servire. Idem.

EPISTOLA X.

De Marcelli cæde; de libro Dolabellæ inscribendo; de Bruti nuptiis; de itinere suo; de causa, quæ Magium ad cædem Marcelli impulerit. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Minime miror, te et graviter ferre de Marcello[1], et plura vereri periculi genera. Quis enim hoc timeret, quod neque acciderat antea, nec videbatur natura ferre, ut accidere posset? Omnia igitur metuenda.

1. *De Marcello*. M. Marcello interfecto. Vide ad Div. IV, 12.

Sed illud παρὰ τὴν ἱστορίαν [2], tu præsertim : « me reliquum consularem ». Quid? tibi Servius quid videtur? quamquam hoc [3] nullam ad partem valet scilicet, mihi præsertim, qui non minus bene actum cum illis [4] putem. Quid enim sumus? aut quid esse possumus? domine, an foris? quod [5] nisi mihi hoc venisset in mentem, scribere ista nescio quæ [6], quo verterem me, non haberem. Ad Dolabellam, ut scribis, ita puto faciendum, κοινότερα [7] quædam, et πολιτικώτερα. Faciendum certe aliquid est : valde enim desiderat. Brutus si quid [8], curabis ut sciam; cui quidem quam primum agendum puto, præsertim si statuit : sermunculum [9] enim omnem aut restinxerit, aut sedarit; sunt enim, qui loquantur etiam mecum. Sed hæc ipse optime, præsertim si etiam tecum loquetur.

Mihi est in animo proficisci XI kal. Hic enim nihil habeo quod agam, ne hercule illic quidem, nec usquam; sed tamen aliquid illic. Hodie Spintherem exspecto. Misit enim Brutus ad me : per literas pur-

2. Παρὰ τὴν ἱςορίαν. *Præter historiam.* Scripserat Atticus Ciceroni, ut se diligentissime custodiret, præsertim reliquum consularem. Hoc, inquit, est *præter historiam;* contra veritatem. Quid enim? Ser. Sulpicius non et ipse consularis? *Tu præsertim*, qui errare non soles in historia. MAN.

3. *Hoc.* Consularem esse jam parum refert, nec fructum ullum affert, aut dignitatem, uno Cæsare tenente omnia. GRONOV.

4. *Bene actum cum illis.* Qui mortui sunt. CORR.

5. Al. « quid, nisi m. » J. V. L.

6. *Ista nescio quæ.* Philosophica opera. CORR.

7. Κοινότερα. *Communiora, et ad rempublicam administrandam magis accommodata.* Subaudi, mittenda. Puto, inquit, quemadmodum tu scribis, librum aliquem ad Dolabellam nobis esse mittendum, qui contineat non τὰ φιλοσοφικά, sed potius κοινότερα quædam, et πολιτικώτερα. Quod ejus generis scripta magis viderentur Dolabellæ convenire, qui non in studiis doctrinarum, sed in republica, et in communi quodam literarum genere versatus esset. MAN.

8. *Si quid.* Supple, *egerit :* quod Lamb. et Bosius addiderunt : abesse tamen a MSS testantur Victorius et Grævius. Sch. intelligit : si de Porcia in matrimonium ducenda certum constituerit. ED.

9. *Sermunculum.* Eorum, qui divortium Claudiæ reprehendebant. MAN.

gat Cæsarem de interitu Marcelli; in quem, ne si insidiis quidem ille interfectus esset, caderet ulla suspicio. Nunc vero, quum de Magio constet, nonne furor ejus causam omnem sustinet [10]? Plane, quid sit, non intelligo. Explanabis igitur. Quamquam nihil habeo, quod dubitem, nisi, ipsi Magio quæ fuerit causa amentiæ: pro quo quidem etiam sponsor Sunii factus [11]. Et nimirum id fuit. Solvendo enim non erat. Credo eum petiisse a Marcello aliquid, et illum, ut erat, constantius [12] respondisse. Οὐ ταυτὸν εἶδος [13].

10. *Causam sustinet*. Αἰτίαν ἂν ὑπέχοι, id est, nonne in eum furiosum omne crimen verti debet? Ad verbum enim transtulit, quod Græci αἰτίαν ὑπέχειν, et αἰτίαν ἔχειν dicunt, hoc est, suspectum esse, et crimine premi. Gaudet enim Cicero græca quam maxime assequi, præsertim quum apud doctos et liberius loquitur. Et esse κατὰ λέξιν videri potest δίκην ὑπέχειν, quod Cicero causam sustinere dixit. Budæus.

11. Al. « factus est. Nimirum i. f. » Sequimur edd. pr. J. V. L.

12. *Constantius*. Negantem se daturum: ex eo Magium in iram, et amentiam prolapsum, illum occidisse. Hoc Cicero, conjecturam sequutus, opinabatur. Man. — Valerius Max. IX, aliam ponit hujus amentiæ causam, quod scilio. Magius indignatus sit « aliquos sibi amicorum a Marcello præferri ». Ed.

13. Οὐ ταυτὸν εἶδος. Supplendum ex Euripidis Ione, v. 585: cujus integer locus est: Οὐ ταυτὸν εἶδος φαίνεται τῶν πραγμάτων Πρόσωθεν ὄντων, ἐγγύθεν τ' ὁρωμένων. « Non eadem facies apparet, quum res procul sunt, et quum prope cernuntur ». Hæc verba prorsus ad initium sequentis epistolæ pertinent; non ad finem istius. Nihil hoc certius, nihil verius. Casaub. — Mongaltius tamen putat nihil mutandum, et hæc ad hanc epist. referri posse. Ed.

EPISTOLA XI.

Rogat, ut de omnibus rebus, quas scire sua intersit, scribat. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Credebam esse facile [1]: totum est aliud, postea-

1. *Facile*. Longius abesse a te: credebam facile te carere posse. Nam hæc scripsit Arpini, quo se ex Tusculano contulerat. Man.

quam sum a te dijunctior. Sed fuit faciendum, ut et constituerem mercedulas prædiorum, et ne magnum onus observantiæ Bruto nostro imponerem. Posthac enim poterimus commodius colere inter nos in Tusculano. Hoc autem tempore, quum ille me quotidie videre vellet, ego ad illum ire non possem, privabatur omni delectatione Tusculani [2]. Tu igitur, si Servilia [3] venerit, si Brutus quid egerit [4]; etiam, si [5] constituerit; quando obviam [6]; quidquid denique erit, quod scire me oporteat, scribes. Pisonem, si poteris, convenies [7]. Vides, quam maturum sit. Sed tamen, quod commodo tuo fiat.

2. *Tusculani.* Sui, quo, me quotidie volens videre, et ob id ad me veniens, frui non poterat. Man.

3. *Servilia.* M. Bruti mater. Idem.

4. *Quid egerit.* De divortio, et nuptiis. Idem.

5. *Etiam, si.* Schütz. « et, jam si constituerit ». Si Porciam ducere. Ed.

6. *Quando obviam.* Cæsari sit iturus. Man.

7. *Convenies.* Ep. 2: *Pisonem sicubi de auro.* Idem.

EPISTOLA XII.

De Atticæ valitudine; de oratione Ligariana; de libris ad Varronem scribendis; de Brinniana auctione; de Scapulanis hortis. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Valde me momorderunt epistolæ tuæ de Attica nostra; eædem tamen sanaverunt. Quod enim te ipse consolabare eisdem literis, id mihi erat satis firmum ad leniendam ægritudinem. Ligarianam [1] præclare vendidisti [2]. Posthac, quidquid scripsero, tibi præ-

1. *Ligarianam.* Scilic. orationem. Al. *Ligariana.* Male. J. V. L.

2. *Vendidisti.* Metaphora sumpta de iis, qui, quod vendere cupiunt, prius laudant, quo libentius ematur. Vendidisti, inquit, præclare oratiunculam meam pro Q. Ligario: hoc est, ita meam orationem laudasti, ut alii, tuam auctoritatem, tuumque judicium sequuti, eam probare cœperint. Man.

conium deferam. Quod ad me de Varrone scribis, scis me ante orationes, aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nusquam possem intexere. Postea autem quam hæc cœpi φιλολογώτερα[3], jam Varro mihi denuntiaverat magnam sane et gravem προσφώνησιν[4]. Biennium præteriit, quum ille Καλλιππίδης[5] assiduo cursu cubitum nullum processerit. Ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον[6], si modo potuissem : nam hoc etiam Hesiodus adscribit, αἴκε[7] δύνηαι. Nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν[8], sane mihi probatam, Bruto, ut tibi placuit, despondimus; idque tu eum non nolle mihi scripsisti. Ergo illam ἀκαδημικὴν[9], in qua homines, nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus. Etenim sunt Ἀντιόχεια[10], quæ iste valde probat. Catulo et Lucullo alibi reponémus; ita tamen, si tu hoc[11] probas : deque eo mihi rescribas velim.

De Brinniana auctione accepi a Vestorio literas: ait, sine ulla controversia rem ad me[12] esse collatam

3. Φιλολογώτερα. Eruditiora.

4. Προσφώνησιν. Libri destinationem, *dedicationem*, ut nunc loquimur, expressit græco verbo, quod latino non potuit. Man.

5. Καλλιππίδης. Callippides fuit aliquis in stadio cursor; vide Græcam Anthol. tit. εἰς ἀγωνιστὰς lib. II. Cas. — Huic explicationi favet Sueton. in Tiber. c. 38, qui Tiberium memorat dictum esse Callippidem, « quem cursitare ac ne cubiti quidem mensuram progredi proverbio græco notatum est ». Erasmus autem in adagiis cum Manutio agi putat de eo Callippide, quem Aristoteles et Plutarchus nominant, mimo et auctore tragico. Xenophon, in Συμποσ. c. 3, mimum Callippidem nominat, quem V. C. *Schneider* in not. (pag. 173, ed. 1805) alium atque hunc esse putat. Hæc J. V. L. in notis. Ed.

6. Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον. *Eadem mensura et cumulatiore*. Hesiod.

7. Αἴκε δύνηαι. *Si modo possis.*

8. Περὶ τελῶν σύνταξιν. *De finibus bonorum et malorum, opus.*

9. Ἀκαδημικήν. Supple σύνταξιν. *Academicam* commentationem, seu libros duos, quorum prior *Catulus*, posterior *Lucullus* dicebatur.

10. Ἀντιόχεια. Hoc est, sententiam Antiochi de Academia complectuntur.

11. Alii habent *hos*; præstat vero lectio Manutii. J. V. L.

12. *Rem ad me.* Coheredum omnium sententia magistrum auctionis me esse constitutum. Man.

(Romæ videlicet, aut in Tusculano me fore putaverunt) a. d. IIX kal. quint. Dices igitur vel amico tuo, S. Vettio coheredi meo, vel Labeoni nostro, paullum proferant auctionem; me circiter nonas in Tusculano fore. Cum Pisone Erotem habes. De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus. Dies adest[13].

13. *Dies.* Quo in auctione venibunt. Man.

EPISTOLA XIII.

De libris academicis Varroni inscriptis; de Atticæ valitudine. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Commotus tuis literis, quod ad me de Varrone scripseras, totam academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtulique ad nostrum sodalem, et ex duobus libris[1] contuli in quatuor. Grandiores sunt omnino, quam erant illi; sed tamen multa detracta. Tu autem mihi pervelim scribas, qui intellexeris illum velle[2]. Illud vero utique scire cupio, quem intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσθαι[3], nisi forte Brutum. Id hercle restabat. Sed tamen scire pervelim. Libri quidem ita exierunt[4] (nisi forte me communis φιλαυτία[5] decipit), ut in tali genere ne apud Græcos quidem simile quidquam. Tu illam jacturam feres æquo animo, quod illa, quæ habes de academicis, frustra descripta sunt. Multo tamen hæc erunt splendidiora, breviora, meliora. Nunc autem ἀπορῶ[6], quo me vertam. Volo

1. Græv. conjicit, *et duos libros.* Minus feliciter. J. V. L.

2. *Illum velle.* Varronem velle, ut ego eum meis ornem scriptis. Man.— Ed. Jenson. dedit *quid.* Contra sententiam. J. V. L.

3. Ζηλοτυπεῖσθαι. Invideri, quod in libris meis loquens induceretur. Ed.

4. *Exierunt.* Id est, effecti sunt. J. F. Gronov.

5. Φιλαυτία. Amor sui ipsius.

6. Ἀπορῶ. Dubito.

Dolabellæ valde desideranti. Non reperio, quid; et simul αἰδέομαι [7] Τρῶας : neque, si aliquid, potero [8] μέμψιν [9] effugere. Aut cessandum igitur, aut aliquid excogitandum. Sed quid hæc levia curamus? Attica mea, obsecro te, quid agit? quæ me valde angit. Sed crebro regusto tuas literas : in his acquiesco. Tamen exspecto novas.

7. Αἰδέομαι. Ex Homeri Iliad. Z, 442. Vide lib. II, epist. 5.

8. Al. *qui potero*. J. V. L.

9. Μέμψιν. Reprehensionem.

EPISTOLA XIV.

Scribit se Brinnii libertum nolle ad se venire. Petit, ut Atticus de Bruto et Cæsare, quæ rescierit, scribat, et de libris ad Varronem mittendis consideret. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense quint.)

CICERO ATTICO S.

Brinnii libertus, coheres noster, scripsit ad me, velle, si mihi placeret, coheredes, se et Sabinum Albium ad me venire. Id ego plane nolo : hereditas tanti non est. Et tamen obire auctionis diem facile poterunt (est enim III id.), si me in Tusculano postridie nonas mane convenerint. Quod si laxius volent proferre diem, poterunt vel biduum, vel triduum, vel ut videbitur : nihil enim interest. Quare, nisi jam profecti sunt, retinebis homines. De Bruto, si quid erit; de Cæsare, si quid scies; si quid erit præterea, scribes. Illud etiam atque etiam consideres velim, placeatne tibi mitti ad Varronem quod scripsimus. Etsi etiam ad te aliquid pertinet : nam scito, te ei dialogo adjunctum esse tertium. Opinor igitur, consideremus. Etsi nomina jam facta sunt. Sed vel induci, vel mutari possunt.

EPISTOLA XV.

De Atticæ valitudine. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense quint.)

CICERO ATTICO S.

Quid agit, obsecro te, Attica nostra? nam triduo abs te nullas[1] acceperam. Nec mirum: nemo enim venerat; nec fortasse causa fuerat. Itaque ipse, quod scriberem, non habebam. Quo autem die has Valerio dabam, exspectabam aliquem meorum: qui si venisset, et a te quid attulisset, videbam non defuturum, quod scriberem.

1. Forte *nullas literas*. J. V. L.

EPISTOLA XVI.

De libris academicis ad Varronem translatis. Pauca addit de aliis. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Nos, quum flumina et solitudines[1] sequeremur, quo facilius sustentare nos possemus, pedem e villa adhuc egressi non sumus; ita magnos et assiduos imbres habebamus. Illam ἀκαδημικὴν σύνταξιν[2] totam ad Varronem traduximus. Primo fuit Catuli, Luculli, Hortensii. Deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον[3] videbatur, quod erat hominibus nota, non illa quidem[4] ἀπαιδευσία[5], sed in iis rebus ἀτριψία[6], simul ac veni ad vil-

1. Sic Bosius e MSS restituit. Al. *solitudinem*. J. V. L.

2. Σύνταξιν. Commentationem.

3. Παρὰ τὸ πρέπον. Præter decorum.

4. Schützius edidit, «non illorum quidem». J. V. L.

5. Ἀπαιδευσία. Ignorantia.

6. Ἀτριψία. Usus nullus.

lam, eosdem illos sermones ad Catonem Brutumque transtuli. Ecce tuæ literæ de Varrone. Nemini visa est aptior Ἀντιόχεια [7] ratio. Sed tamen velim scribas ad me, primum placeatne tibi aliquid ad illum; deinde, si placebit, hocne potissimum. Quid Servilia? jamne venit? Brutus ecquid agit? ecquando? De Cæsare quid auditur? Ego ad [8] nonas, quemadmodum dixi. Tu cum Pisone, si quid poteris.

7. Ἀντιόχεια. Scil. sententia Antiochi. Vide supra epist. 12.

8. *Ad nonas*. Ero in Tusculano. CORRAD.

EPISTOLA XVII.

Petit, ut se certiorem faciat de Bruti nuptiis et de Atticæ valitudine.
(In Arpinati, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

QUINTO kalend. exspectabam Roma aliquid; non quo imperassem. Igitur [1] aliquid tuis. Nunc eadem illa: quid Brutus cogitet; aut, si aliquid egit; ecquid a Cæsare. Sed quid ista, quæ minus curo? Attica nostra quid agat scire cupio. Etsi tuæ literæ (sed jam nimis veteres sunt) recte sperare jubent. Tamen exspecto recens aliquid.

1. Ernestius ait se corrigere non posse. At nihil corrigendum. J. V. L.

EPISTOLA XVIII.

De libris ad Varronem perfectis. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Vides [1], propinquitas quid habeat. Nos vero conficiamus hortos. Colloqui videbamur, in Tusculano quum essem; tanta erat crebritas literarum : sed id quidem jam erit. Ego interea admonitu tuo perfeci sane argutulos libros ad Varronem. Sed tamen exspecto, quid ad ea, quæ scripsi ad te : primum, qui intellexeris eum desiderare a me, quum ipse homo πολυγραφώτατος [2] numquam me lacessisset; deinde, quem ζηλοτυπεῖν [3], nisi forte Brutum; quem si non ζηλοτυπεῖ [4], multo Hortensium minus, aut eos, qui de republica loquuntur. Plane hoc mihi explices velim : in primis, maneasne in sententia, ut mittam ad eum, quæ scripsi; an nihil necesse putes. Sed hæc coram.

1. *Vides*. Nunc, quum longe absimus.
2. Πολυγραφώτατος. *Multa scribens.*
3. Ζηλοτυπεῖν. *Invidere.*
4. Ζηλοτυπεῖ. *Invidet.*—Hic, propter eamdem fere græcam vocem, exciderant in vett. lib. hæc verba, « nisi forte Brutum; qnem si non ζηλοτυπεῖ ». Addidit primus e MSS Bosius. Jam Faernus deesse aliquid auspicatus erat. J. V. L.
5. *Hortensium minus*. Jam mortnum, cui Cicero inscripserat librum de philosophia. Sch.

EPISTOLA XIX.

Gratum sibi fuisse scribit, quod Atticæ melius sit factum, et quod Ligarianam præclare commendaverit. Postremo de Academicis ad Varronem scriptis. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense quint.)

CICERO ATTICO S.

COMMODUM discesserat Hilarus librarius IV kal. cui dederam literas ad te, quum venit tabellarius cum tuis literis pridie datis: in quibus illud mihi gratissimum fuit, quod Attica nostra rogat te, ne tristis sis, quodque tu ἀκίνδυνα [1] esse scribis. Ligarianam [2], ut video, præclare auctoritas tua commendavit. Scripsit enim ad me Balbus et Oppius, mirifice se probare; ob eamque causam ad Cæsarem eam se oratiunculam misisse. Hoc igitur idem tu mihi antea scripseras. In Varrone ista causa me non moveret, ne viderer φιλένδοξος [3] (sic enim constituebam, neminem includere in dialogos eorum, qui viverent); sed, quia scribis et desiderari a Varrone, et magni illum æstimare, eos confeci; et absolvi, nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra, academicam [4] om-

1. Ἀκίνδυνα. Non periculosa.

2. *Ligarianam.* De qua sup. ep. 12.

3. Φιλένδοξος. *Ambitiosus, illustrium virorum amator.* Scripserat Atticus, non semper Ciceroni quærendos esse Catulos, et Lucullos, Africanos, et Lælios, aut hujusmodi viros, quibus sermonem tribueret in suis libris; ne nimis ambitiosus in claros viros videretur; sed etiam dandum esse aliquid iis, qui minus illustres essent; propterea que de Varrone cogitandum. Respondet: Academicas quæstiones ad Varronem non ideo transtuli, ne viderer φιλένδοξος (nam ista causa me non moveret: siquidem idcirco ego de Varrone minus cogitabam, non quod essem φιλένδοξος, verum quia constituebam, eorum, qui viverent, neminem in dialogos includere), sed quia scribis, et desiderare illum, et magni æstimare. MANUT. — Victorius hoc restituit quum ex MSS, tum ex ôlim excusis, repudians illud φιλόδοξος, quod in hujus locum irrepserat. J. V. L.

4. Manutius hoc totum, *academi-*

nem quæstionem libris quatuor. In eis, quæ erant contra ἀκαταληψίαν[5] præclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi; ad ea ipse respondeo; tu es tertius in sermone nostro. Si Cottam et Varronem fecissem inter se disputantes, ut a te proximis literis admoneor, meum κωφὸν πρόσωπον[6] esset. Hoc in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides[7] in multis, et nos sex de republica libris fecimus. Sunt etiam de Oratore nostri tres, mihi vehementer probati: in eis quoque eæ personæ sunt, ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, Antonius, Catulus senex, C. Julius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius. Puero me hic sermo inducitur, ut nullæ esse possent partes meæ. Quæ autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent; in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν[8], ut epicurea L. Torquato, stoica M. Catoni, περιπατητικὰ[9] M. Pisoni darem. Ἀζηλοτύπητον[10] id fore putarem, quod omnes illi decesserant. Hæc academica, ut scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram. Sane in personas non cadebant: erant enim λογικώτερα[11], quam ut illi de iis[12] somniasse umquam viderentur. Itaque, ut legi tuas de Varrone, tamquam ἕρμαιον[13] arripui. Aptius esse nihil potuit ad id philosophiæ genus, quo ille maxime mihi delectari

cam... quatuor, suspicatur abundare, ut glossema superiorum verborum. Lamb. retinendum censet. J. V. L.

5. Ἀκαταληψίαν. Opinionem eorum, qui nihil comprehendi posse dicunt. — *Cottam*. C. Cottam oratorem et academicum. Brut. 49. Ed.

6. Κωφὸν πρόσωπον. Muta persona.

7. *Heraclides*. Platonis, deinde Aristotelis auditor, cujus scripta non exstant. Ad Quint. fr. III, 5; Tuscul. V, 3; Diog. Laert. V, 6. Ed.

8. Περὶ τελῶν. *De finibus*, supple, *bonorum et malorum*.

9. Περιπατητικά. *Peripatetica*, Peripateticorum philosophorum partes.

10. Ἀζηλοτύπητον. Sine invidia.

11. Λογικώτερα. Eruditiora.

12. Hoc Victor. et al. restituerunt. Antea legebatur, nullo prorsus sensu, « quam inutilia de iis omnia et iniqua viderentur ». En quæ debentur doctis viris. J. V. L.

13. Ἕρμαιον. Insperatum lucrum.

videtur, easque partes [14]; ut non sim consequutus, ut superior mea causa videatur. Sunt enim vehementer πιθανὰ [15] Antiochia; quæ diligenter a me expressa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum; si modo is est aliquis in nobis. Sed tu, dandosne putes hos libros Varroni, etiam atque etiam videbis. Mihi quædam occurrunt [16]: sed ea coram [17].

14. *Easque partes*. Pendent e superioribus, «aptius ad eas partes». CORRADUS. — Forte legendum: «easque partes sumpsi, ut non sim consequutus». LAMB. — Legere vult Bosius ex quibusdam MSS, *measque partes*. Sic explicat: Nihil aptius fuit ad eas partes, quas tueor, nempe Philonis, quam ut inducerem Varronem, qui Antiochi sententiam defenderet, ut melius cuique persuaderetur, potissimumque ipsi Varroni, id me consequi noluisse, ut superior mea sententia videretur. Bos. — Sic edd. primæ; quod et prætulere plures; etiam præferebat Gronovius. Ernest. tamen lectionem Bosii reduxit, *meqsque*. Recte improbat Gœrenzius, Introduct. ad Cic. Academ. pag. 17, quamvis Sch. in h. l. repugnet. J. V. L.

15. Πιθανά. Probabilia.

16. *Occurrunt*. Cur non dandos putem. ED.

17. *Coram*. Nam in Tusculanum jam ero. MAN.

EPISTOLA XX.

Breviter scribit de variis rebus, in primis se de fama, quod Romæ venire nolit, nihil laborare. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

A Cæsare literas accepi consolatorias [1], datas prid. kal. mai. Hispali. De Urbe augenda [2] quid sit promulgatum, non intellexi: id sane scire velim. Torquato nostra officia grata esse, facile patior; eaque augere non desinam. Ad Ligarianam de uxore [3] Tuberonis,

1. *Consolatorias*. Ob Tulliolæ mortem. Epist. 22. MAN.

2. *Augenda*. Infra, epist. 33 et 35.

3. *De uxore*. Monuerat Atticus Ciceronem, ut orationi, quam habuerat pro Q. Ligario, quædam adderet de uxore Tuberonis et de privigna. Ei Cicero nunc respondet, aitque sibi, ut id addat, integrum non esse, quum oratio illa pervulgata sit. BOSIUS.

et privigna, neque possum jam addere (est enim res pervulgata[4]), neque Tuberonem volo defendere[5]. Mirifice est enim φιλαίτιος[6]. Theatrum[7] quidem sane bellum habuisti. Ego, etsi hoc loco facillime sustentor, tamen te videre cupio. Itaque, ut constitui, adero. Fratrem credo a te esse conventum. Scire igitur studeo, quid egeris. De fama nihil sane laboro[8]: etsi scripseram ad te tunc[9] stulte. Nihil melius: curandum enim non est. Atque hoc[10]: in omni vita sua quemque a recta conscientia traversum unguem non oportet discedere. Viden' quam φιλοσόφως[11]? an tu nos frustra existimas hæc[12] in manibus habere? Δεδῆχθαι[13] te nollem, quod nihil erat. Redeo enim rursus eodem. Quidquamne me putas curare in toto[14], nisi ut ei ne desim[15]? Id ago scilicet, ut judicia videar

4. *Res pervulgata.* Significat orationem pro Ligario jam in multorum manibus esse. Sch.

5. Ern. per conjecturam *offendere*. Sch. nimium imprudenter obsequitur. J. V. L.

6. Φιλαίτιος. Accusandi et querendi cupidus. Sch.

7. *Theatrum.* Habuisti quod, tamquam in theatro, spectare posses cum voluptate. Quid autem spectare? Rixam scilicet inter uxorem Tuberonis, et privignam. Man. — Id est, locum et occasionem commodam habuisti exserendæ et explicandæ virtutis aut facundiæ tuæ. Est novum caput epistolæ nihil commune habens cum superioribus. J. F. Gronov.

8. *De fama nihil laboro.* Quid homines de me loquantur, et quam carpant meam sive infirmitatem, sive desidiam, susque deque habeo. J. F. Gronov.

9. *Tunc.* Alia quadam epistola stulte scripseram, nihil esse melius, quam laborare de fama.

10. *Atque hoc.* Subintelligitur, *curandum.* Malim autem, *quemquam*, pro *quemque*. Man.

11. Φιλοσόφως. Philosophice. — Est hoc a Victorio. Prius legebatur, « Viden' quam philosophos aut tu nos, etc. » J. V. L.

12. *Hæc.* Libros de philosophia tractare? Nam hoc tempore philosophiam Cicero latinis literis explicabat. Man.

13. Δεδῆχθαι. *Morsum esse*, *ægre tulisse.* Videtur fuisse qui dixerit turpe fore Ciceroni, si pro amico in foro periclitante non contenderet, et causam ejus ageret. J. F. Gronov.

14. *In toto. In toto* scilicet hoc negotio, ut ei, cui volebant homines Tullium patrocinari, sim advocatus, etsi non sim patronus et loquar. J. F. Gronov.

15. Ernest. conjicit, Schütz. approbante, « nisi ut cui ne desim ». J. V. L.

tenere[16]. Μὴ γὰρ αὐτοῖς[17]. Vellem tam domestica[18] ferre possem, quam ista contemnere. Putas autem me voluisse[19] aliquid, quod perfectum non sit? Non licet scilicet sententiam[20] suam? Sed tamen quæ tum[21] acta sunt, non possum non probare; et tamen non curare pulchre possum[22], sicuti facio. Sed nimium multa de nugis.

16. *Tenere.* Sensus est, quasi vero id mihi curæ sit, ut in foro dominer, et primus oratorum esse videar. Sic *forum tenere* dixit in Bruto, 27. J. F. GRONOV.

17. Μὴ γὰρ αὐτοῖς. *Neque enim illis*, supple, *nunc delector.* J. F. GRONOV. — Hoc Bosius cum interrogatione legendum censet. J. V. L.

18. *Tam domestica.* Quæ passus sum a fratre et filio ejus, ab uxore Terentia, in morte filiæ. J. F. GRONOV.

19. *Me voluisse.* Jam olim scilicet excellere in foro, et jam ipsum morari vetera vota, et memetipsum destituere. J. F. GRONOV.

20. *Non licet scilicet sententiam suam.* Scilicet mutare; et olim quidem ita sensisset, nunc vero aliter. J. F. GRONOV.

21. *Tum.* Quum quasi habitarem in foro, assiduam operam amicis darem, eorum me non pœnitet. J. F. GRONOV.

22. *Pulchre possum.* Possum actionibus abstinere causarum, quando aliter scilicet tempus fert. J. F. GRONOV.

EPISTOLA XXI.

De epistola ad Hirtium scribenda; de Torquati negotio; de literis a Quinto fratre exspectatis; de vocabulo *inhibere* non reponendo; de libris de Finibus nondum divulgandis, et de libris ad Varronem academicis; de aliis quibusdam; de homine non nominato, cui Atticus puellam despondere volebat. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

AD Hirtium dederam epistolam sane grandem, quam scripseram proxime in Tusculano. Huic, quam tum mihi misisti, rescribam alias: nunc aliis malo. Quid possum de Torquato, nisi aliquid a Dolabella? Quod simul ac[1], continuo scietis. Exspectabam hodie,

1. *Simul ac.* Simul ac scripserit ad me Dolabella quid egerit cum Cæsare de Torquati re, continuo perscribam. MANUT.

aut summum cras ab eo tabellarios; qui simul ac venerint, mittentur ad te. A Quinto exspecto. Proficiscens enim e Tusculano IIX kal.[2] ut scis, misi ad eum tabellarios. Nunc, ad rem ut redeam, « inhibere[3] » illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum. Quamquam id quidem sciebam; sed arbitrabar sustineri remos, quum inhibere essent remiges jussi. Id non esse ejusmodi, didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur. Non enim sustinent, sed alio modo remigant. Id ab ἐποχῇ[4] remotissimum est. Quare facies, ut ita sit in libro[5], quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, si forte[6] mutavit. Nec est melius quidquam, quam ut Lucullus[7]:

Sustineat currum, ut bonu' sæpe[8] agitator, equosque.

2. Schütz. jubet scribere *XI kal.* J. V. L.

3. *Inhibere illud tuum.* Qui putas ἐπέχειν reddi latine posse per verbum *inhibere.* Corr. — De hoc toto loco multis disputat J. F. Gronovius l. IV Observ. cap. 26, qui docet *inhibere remis* idem esse quod πρύμναν κρούσασθαι, ἀνακρούσασθαι, ἐπὶ πρύμναν κρούσασθαι. Nunc Cicero meliora doctus vult in eo libro servari, ut fuerat, verbum *sustinere.* Ed.

4. *Ab* ἐποχῇ. Ab assensionis retentione. Inhibitio, inquit, non idem est, quod retentio. Nam retinere, illud est, quod aurigæ faciunt, equorum cursum adductis habenis sistentes. Inhibere autem, non quum remiges navem sistunt, sed quum, alio modo remigantes, eam convertunt ad puppim. Man. — « Ex his illa necessario nata est ἐποχὴ, id est assensionis retentio ». Confer. Cic. Academic. II, 18. J. V. L.

5. *In libro.* Acad. Quæst. sed primæ editionis. Alii librum de Oratore (I, 33) significari volunt. Corr.

6. Ernest. lectionem Bosii retinuerat, *nisi forte.* Jure damnat Mongalt. et Gœrenz. in Introduct. ad Cic. Acad. p. 31. J. V. L.

7. *Lucullus.* Hic quoque Mongaltius jure non minori respuit Faerni et Malæspinæ conjecturam, *Lucilius.* Sed Gœrenz. Introd. ad Academic. pag. 31, notat Lucullum in hoc libro II, 19, dicere : « Ego enim ut agitator callidus priusquam ad finem veniam, equos sustinebo ». Ubi manifeste ad veteris poetæ versum adluditur. Igitur Schütz. quum ed. 1809 correxisset *Lucilius,* ann. 1816 restituit *Lucullus.* Quod laudat J. V. L. in notis. Ed.

8. Vulg. *bonus sæpe.* Gœrenz. conjicit, ut versus constet, *bonus æque.* Minus εὐςόχως. Ego, ut puto, probabilius. J. V. L.

Semperque Carneades προβολὴν[9] pugilis, et retentionem aurigæ similem facit ἐποχῇ. Inhibitio autem remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim. Vides, quanto hoc diligentius curem, quam aut de rumore[10], aut de Pollione[11]; de Pansa etiam, si quid certius (credo enim palam factum esse); de Critonio[12], si quid esset; certe ne de Metello et Balbino. Dic mihi, placetne tibi, primum, edere[13] injussu meo? hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros solitus est divulgare; ex quo, λόγοισιν Ἑρμόδωρος[14]. Quid illud? rectumne existimas cuiquam ante, quam Bruto? cui, te auctore, προσφωνῶ[15]. Scripsit enim Balbus ad me, se a te quintum de Finibus librum descripsisse : in quo non sane multa mutavi; sed tamen quædam. Tu autem commode feceris, si reliquos continueris; ne et ἀδιόρθωτα[16] habeat Balbus, et ἕωλα[17] Brutus. Sed hæc hactenus, ne videar περὶ μικρὰ σπουδάζειν[18]. Etsi nunc quidem maxima mihi sunt hæc. Quid est enim aliud? Varroni quidem quæ scripsi te auctore, ita propero mittere, ut jam Romam miserim

9. Προβολήν. Est, interprete Budæo in Comm. Gr. Lat. « Status pugilis, in procinctu stantis, occasionique inferendæ plagæ imminentis, et agitatoris in carceribus equos currumque sustinentis ». Ern. — Eo sensu Latini « projicere scutum ». Ed.

10. *De rumore.* Quem Atticus scripserat de Cicerone non esse bonum, quod Urbem et forum fastidiret fingeretque. Gron.

11. *De Pollione.* Qui erat cum Cæsare in Hispania, sive de eo, quod Pollio ad Ciceronem scripserat de Quinto filio, lib. XII, ep. 38, sive Pollioni aliquid accidisse adversi. Id.

12. Schütz. emendat sic, « de Critonio, si quid esset certi; de Metello et Balbino ». J. V. L.

13. *Edere.* Libros a me scriptos.

14. Λόγοισιν Ἑρμόδωρος. Supple, ἐμπορεύεται : *verbis Hermodorus mercatur.* Proverb.

15. Προσφωνῶ. Librum *dico.*

16. Ἀδιόρθωτα. Non emendata. — Emendatio hæc debetur iterum Victorio, qui feliciter ejecit spurium illud, ἀδωρότατα. J. V. L.

17. Ἕωλα. Obsoleta, nempe a pluribus lecta. Ed.

18. Περὶ μικρὰ σπουδάζειν. In parvis rebus multum studii ponere.

describenda. Ea si voles, statim habebis. Scripsi enim ad librarios, ut fieret tuis, si tu velles, describendi potestas. Ea vero continebis, quoad ipse te videam; quod diligentissime facere soles, quum a me tibi dictum est. Quum[19] autem fugit me tibi dicere, mirifice Cærellia studio videlicet philosophiæ flagrans describit a tuis: istos ipsos de Finibus habet. Ego autem tibi confirmo (possum falli, ut humanus[20]), a meis eam non habere; numquam enim ab oculis meis abfuerunt. Tantum porro aberat, ut binos scriberent; vix singulos confecerunt. Tuorum tamen ego nullum delictum arbitror, idemque te volo existimare. A me enim prætermissum est, ut dicerem, me[21] eos exire nondum velle. Hui quam diu de nugis? de re enim nihil habeo, quod loquar. De Dolabella tibi assentior. Coheredes, ut scribis, in Tusculano. De Cæsaris adventu, scripsit ad me Balbus, non ante kal.[22] sext. De Attica optime, quod levius, ac lenius[23], et quod fert εὐκόλως[24]. Quod autem de illa nostra cogitatione[25] scribis, in qua nihil tibi cedo, ea, quæ novi, valde probo; hominem[26], domum, facultates. Quod caput est, ipsum non novi; sed audio laudabilia de Scrofa. Etiam proxime[27] accedit, si quid hoc ad rem: εὐγενέστερος[28] est etiam, quam pa-

19. Olim, *Quomodo autem*. Lambinus voluit *Quoniam*. Schütz. edidit *Quod*. J. V. L.

20. Bosius, et antea Lambinus e MSS, *ut homo*. J. V L.

21. Grævius e libris scriptis suis addidit *me*; habet et ed. Rom. Omisit Jenson. J. V. L.

22. Schütz. jubet scribere, « non ante kal. sept. » J. V. L. —Non male: nam vere Cæsar rediit ad Urbem initio mensis octobris. En.

23. Idem delevit *ac lenius*, quod delendum esse jam Lambinus censuit, ut inepte additum. J .V. L.

24. Εὐκόλως. Quod æquo animo fert adversam valitudinem. En.

25. *Cogitatione*. Cuinam in matrimonio Attica collocetur, quum fere jam sit nubilis. Man.

26. Sch. *nomen*. J. V. L.

27. *Proxime*. Intell. Olivet. prope Attici ædes. Edidit Lambin. *habitat*. Utrumque male. En.

28. Εὐγενέστερος. *Nobilior:* quod ad genus attinet, propter maternos affines.

ter. Coram igitur, et quidem propenso animo ad probandum. Accedit enim, quod patrem, ut scire te puto, plus etiam, quam non modo tu, sed quam ipse scit, amo, idque et merito, et jam diu.

EPISTOLA XXII.

De libris ad Varronem mittendis, ac de iis, quæ de Finibus scripserat, nondum pervulgandis; de negotiis pecuniariis; de Atticæ valitudine, et Cæsaris epistola. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

De Varrone, non sine causa, quid tibi placeat, tam diligenter exquiro. Occurrunt mihi quædam. Sed ea coram. Te autem ἀσμενέστατα [1] intexui [2], faciamque id crebrius. Proximis enim tuis literis primum, te id non nolle, cognovi. De Marcello, scripserat ad me Cassius antea; τὰ κατὰ μέρος [3] Servius. O [4] rem acerbam! Ad prima redeo. Scripta nostra nusquam malo esse, quam apud te; sed ea tum foras dari [5], quum utrique nostrum videbitur. Ego et librarios tuos culpa libero, neque te accuso; et tamen aliud quiddam ad te scripseram, Cærelliam quædam habere, quæ, nisi a te, non potuerit. Balbo quidem intelligebam satisfaciendum [6] fuisse: tantum nolebam, aut obsoletum Bruto, aut Balbo inchoatum [7] dari. Varroni, simul

1. Ἀσμενέστατα. Libentissime.

2. MS Tornæsian. *intexo*. J. V. L. —Intextum Atticum constat ex lib. I.

3. Τὰ κατὰ μέρος. Particularia, singula quæque particulatim.

4. Deerat olim particula *O*, quam e MSS expressit Bosius. J. V. L.

5. Hæc correctio est Victorii. Antea ferebatur, « sed ea timui foras dari ». J. V. L.

6. Multi cod. habent *satfaciendum*. J. V. L.

7. Schütz. putat fortasse Ciceronem scripsisse *incorrectum*, ut epist. 21, *ne Balbus habeat* ἀδιόρθωτα. Sed *inchoatum* idem valet. J. V. L.

ac te videro, si tibi videbitur, mittam. Quid autem dubitarim, quum videro te, scies. Attributos[8] quod appellas, valde probe[9]. Te de prædio aviæ[10] exerceri, moleste fero. De Bruto nostro, perodiosum[11]; sed vita fert. Mulieres[12] autem vix satis humane, quæ inimico animo ferant, quum utraque officio pareat. Tullium scribam[13], nihil fuit, quod appellares. Nam tibi mandassem, si fuisset. Nihil enim est apud eum positum nomine voti[14]: sed est quiddam apud illum meum. Id ego in hanc rem statui conferre. Itaque et ego recte tibi dixi, ubi[15] esset; et tibi ille recte negavit. Sed hoc quoque ipsum continuo adoriamur. Lucum hominibus[16] non sane probo, quod est desertior; sed habet εὐλογίαν[17]. Verum hoc quo-

8. *Attributos*. Debitores a me tibi assignatos quod flagitas, ut pecuniam numerent, qua ad fani ædificationem uti cogito, valde bene facis. *Attribuere* et *appellare*, verba ad pecuniæ solutionem exactionemque pertinent. Unde *attributi*, *attributio nominum* et *attributa pecunia*. Popma.

9. *Valde probe*. Facis. Corr.

10. *De prædio aviæ*. De prædio, quod ad te hereditate pervenerat aviæ tuæ morte. Epist. 2, lib. I. Man. — Rescripsit Sch. *Oviæ*, intelligendum ratus, ex epist. XII, 21, prædium Oviæ Lollii a Cicerone solutionis causa traditum. J. V. L.

11. *Perodiosum*. Quod Bruto est domesticarum tricarum, sane quam molestum est: sed hæc eveniunt quotidie, et vix possunt vitari. J. F. Gron.

12. *Mulieres*. In mulieribus autem (quæ sine dubio juxta propinquæ suis rixis et intemperiis eum distrahebant) mitiorem animum desidero, quæ, quum utrique aliarum rerum constet pudicitia et boni mores, altera alteram tolerare non possit, ut alterius facta dictaque omnia secus interpretetur. Id.

13. *Tullium scribam*. Hic est M. Tullius cognomento Laurea, de quo in epistola ad Rufum, et Plinius. Man.

14. *Nomine voti*. Ad fanum, quod filiæ voverat. Epist. 18, et alibi. Idem.

15. *Dixi, ubi*. Dixi, apud eum me pecuniæ nescio quid habere. Idem.

16. *Lucum hominibus*. Ait se non probare ut consecratio Tulliæ fiat in luco, quemadmodum suadebat Atticus, quod in luco sit solitudo; hominum autem consecratio egeat celebritate. Nam quod ad deos attinet, ii ita noti sunt, ut ad eos colendos in desertissima quæque loca frequentissimi homines conveniant. Idcirco nihil cis opus est loci celebritate. Contra homines celebri loco consecrari debent, ut eorum nomen vulgo innotescat. Bosius. — Vett. edd. *Locum*. Minus recte. J. V. L.

17. Εὐλογίαν. Quod probetur. — Quidam legunt εὐγηρίαν, alii εὐκλίαν. J. V. L.

que, ut censueris; quippe qui[18] omnia. Ego, ut constitui, adero[19]: atque utinam tu quoque eodem die! Sin quid[20] (multa enim), utique postridie. Etenim coheredes: a quis sine te[21] opprimi, malitia[22] est. Alteris jam literis nihil ad me de Attica; sed id quidem in optima spe pono. Illud accuso, non te, sed illam, ne salutem quidem. At tu et illi, et Piliæ plurimam: nec me tamen irasci indicaris[23]. Epistolam Cæsaris misi, si minus legisses.

18. *Qui omnia.* Ad te refero. Man.
19. *Adero.* In Tusculano. Idem.
20. *Sin quid.* Sin quid te Romæ detinebit, multa enim possunt. Idem.
21. *Sine te.* Harum rerum perito.
22. Unus MS, *militia.* J. V. L.
23. Al. *judicaris*, quod recte improbat Manutius. J. V. L.

EPISTOLA XXIII.

De Bruto Romæ potius conveniendo, quam in Tusculano; de libris suis ad Varronem et Brutum mittendis; de mandatis suis in re pecuniaria. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Antemeridianis tuis literis heri statim rescripsi; nunc respondeo vespertinis. Brutus, mallem, me arcesseret: nam et æquius erat, quum illi iter instaret et subitum, et longum; et mehercule nunc, quum ita simus affecti[1], ut non possimus plane simul vivere (intelligis enim profecto, in quo maxime posita sit συμβίωσις[2]), facile patiebar, nos potius Romæ una esse, quam in Tusculano. Libri ad Varronem non morabantur[3]. Sunt enim detexti[4], ut vidisti:

1. *Affecti.* Ego reipublicæ et filiæ interitu: ille reipublicæ ruina, et nescio quo mulierum odio. Ep. sup. Corrad.
2. Συμβίωσις: Convictus.
3. Al. legunt *morabuntur.* Frustra. J. V. L.
4. *Detexti.* Valet idem, quod absoluti et confecti. Tralatio sumpta est a tela. Lambin. — Vox hæc varie le-

tantum librariorum menda tolluntur. De quibus libris scis me dubitasse[5]: sed tu videris. Item, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarii. Mea mandata, ut scribis, explica: quamquam ista retentione[6] omnes ait uti Trebatius; quid tu istos[7] putas? nosti domum. Quare confice εὐλόγως[8]. Incredibile est, quam ego ista non curem. Omni tibi asseveratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi majori offensioni esse, quam delectationi, possessiunculas meas. Magis enim doleo, me non habere, cui tradam, quam habere, qui utar[9]. Atque illud Trebatius se tibi dixisse narrabat, tu autem veritus es fortasse, ne ego invitus audirem. Fuit id quidem humanitatis; sed, mihi crede, jam ista non curo. Quare da te in sermonem, et perseca, et confice, excita, compella, loquere[10], ut te cum illo Scæva[11] loqui putes. Ne existimes eos, qui non de-

gitur. Edd. Rom. Ascens. Ald. etc. habent *defecti*. Bosius fecit ex uno MS *deficti*, quod et Gruterus edidit, ut fere omnia Bosii. Cato quidem, de Re rust. 77, « defingere panem » in partem bonam. Lambinus correxit *detexti*, eleganter, idque et Grævio placuit, qui tamen *defecti* servavit. Hanc Lamb. lectionem sequimur cum Ernestio, qui non minus probat lect. Jenson. *effecti*, et conjicit ipse *descripti*. J. V. L.

5. *Dubitasse.* Num ad Varronem mitterentur. Epist. 22. Man.

6. *Retentione.* Ut partem scilicet de solvenda pecunia non solvant. Poterant enim solvere æstimatiône ex lege Cæsaris, et deducto summæ, quod in usuras solutum erat, sic ut quarta pars crediti periret. Suet. Jul. c. 42. J. F. Gronov.

7. *Istos.* Homines tam attentos et lucri nullius negligentes. Ined.

8. Εὐλόγως. Qua optima ratione poteris. — Cratander et Lamb. post Ald. εὐαγῶς; Bos. εὐαγώγως. J. V. L.

9. *Quam habere qui utar.* Hoc est, habere me pecuniam, qua utar in sumptus honestos. Sic et superius loquitur II, ep. 11. Sed videtur non posse præcedere, quod id doleat. Ideoque vel addendum est lætor, sive gaudeo, inter *quam* et *habere*, vel tollendum τὸ *habere*, ut intelligatur *non habere* ex præcedenti. Et sensus tum esset, Non ita me afficeret me non habere in sumptum: quam afficit me non habere bonum heredem. Gron. — *Gaudeo* videtur supplendum. Schütz. vel sine MSS supplevit. J. V. L.

10. *Perseca.... loquere.* Tunstall. ep. ad Middlet. p. 65, conjecit hæc verba ex aliquo poeta comico desumpta esse: et Ernestio in mentem venit Scævam illum ipsum personam comicam fuisse. Utrumque, quamvis probante Sch. J. V. L. displicet. Ed.

11. *Cum illo Scæva.* Cassio Scæva

bita consectari soleant, quod debeatur, remissuros. De die [12] tantum videto, et id ipsum bono modo.

Cæsariano, acerrimo Cæsaris defensore, cum quo non est contendendum, sed moderate agendum. Ep. 10. Trebatium hoc cognomine designari censent alii; vid. IX, 15. Popma.

12. *De die*. De retentione recusandum nobis non est: de die, quam illis ad solvendum permitti velimus, videndum: neque id ipsum tamen vehementer est agendum. Confici enim prorsus volo; si non licebit, qua die volumus; ea, qua licebit. Man.

EPISTOLA XXIV.

Quærit an verum sit filium suum Corcyræ visum; addit de libris academicorum ad Varronem mittendis. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Quid est, quod Hermogenes mihi Clodius, Andromenem sibi dixisse, se Ciceronem vidisse Corcyræ? Ego enim audita tibi putaram. Nil igitur ne ei quidem literarum? an non vidit? Facies ergo, ut sciam. Quid tibi ego de Varrone rescribam? Quatuor διφθέραι [1] sunt in tua potestate. Quod egeris, id probabo. Nec tamen αἰδέομαι Τρῶας [2]. Quid enim? sed, ipsi quam res illa probaretur, magis verebar. Sed quoniam tu suscipis, in alteram aurem [3].

1. Διφθέραι. *Libri*, sic dicti, quod membranis, et pellibus contegerentur. — Al. διφθερίαι. J. V. L.

2. Αἰδέομαι Τρῶας. Vide Iliad. II, 5.

3. *In alteram aurem*. Dormio. Securi animi sum de academicis; quando tu hoc suscipis, fore ut Varroni placeant. Man.

EPISTOLA XXV.

Adduntur pauca ad ea quæ epist. 23 de retentione, et 24 de Andromene scripserat; de Bruto conveniendo; de libris ad Varronem, et de epistola ad eum missa. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

De retentione[1], rescripsi ad tuas accurate scriptas literas. Conficies igitur, et quidem sine ulla dubitatione, aut retractatione. Hoc fieri et oportet, et opus est. De Andromene, ut scribis, ita putaram. Scisses enim, mihique dixisses. Tu tamen ita mihi de Bruto scribis, ut de te nihil. Quando autem illum[2] putas? Nam ego Romam pridie idus. Bruto ita volui[3] scribere (sed quoniam tu te legisse scribis[4], fui fortasse ἀσαφέστερος[5]), me ex tuis literis intellexisse, nolle eum me quasi prosequendi sui causa Romam nunc venire. Sed quoniam jam adest meus adventus, fac, quæso, ne quid eum idus impediant, quo minus suo commodo in Tusculano sit. Nec enim ad[6] tabulam eum desideraturus eram. In tali enim negotio cur tu unus non satis es? Sed ad testamentum[7] volebam: quod jam malo alio die; ne ob eam causam Romam

1. *Retentione.* Supra, ep. 23.

2. *Illum.* In Tusculanum scilicet exiturum. Man.

3. *Ita volui.* Sed non videor fortasse ita scripsisse, quia obscure scripsi. Corr.

4. Malaspina corrigebat, « secus te legisse scribis ». J. V. L.

5. Ἀσαφέστερος. Fieri potuit ut verbis non satis dilucidis usus sim. Sch.

6. *Nec enim ad tabulam.* Brutum cupiebam idibus esse Romæ, non ut auctioni interesset, sed ut ad obsignandum testamentum adhibere possem. Man.

7. *Ad testamentum.* Veteres facto testamento obsignatores ex lege adhibebant: adhibebant autem amicos fere, aut homines auctoritate præstantes: quo magis ratum haberetur id, quod annulis clarorum virorum esset obsignatum. Vide ep. 2, lib. VIII. Idem.

venisse videar. Scripsi igitur ad Brutum, jam illud, quod putassem, idib. nihil opus esse. Velim ergo totum hoc ita gubernes, ut ne minima quidem re ulla Bruti commodum impediamus. Sed quid est tandem, quod perhorrescas, quia tuo periculo jubeam libros dari Varroni? etiam nunc si dubitas, fac ut sciamus. Nihil est enim illis elegantius. Volo Varronem, præsertim quum ille desideret: sed est, ut scis,

Δεινὸς [8] ἀνήρ· τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.

Ita mihi sæpe occurrit vultus ejus, querentis fortasse vel hoc, meas partes in iis libris copiosius defensas esse, quam suas : quod mehercule non esse intelliges, si quando [9] in Epirum veneris. Nam nunc Alexionis epistolis cedimus. Sed tamen ego non despero probatum iri Varroni : et id, quoniam impensam fecimus in macrocola [10], facile patior teneri. Sed etiam atque etiam dico, tuo periculo fiet. Quare, si addubitas, ad Brutum transeamus. Est enim is quoque Antiochius [11]. O academiam volaticam [12], et sui similem [13], modo huc, modo illuc! Sed, quæso, epi-

8. Δεινός. Vehemens vir, et qui vel insontem accusare audeat. Iliad. A, vers. 633.

9. *Si quando.* Nunc enim te Alexionis epistolæ occupatum habent, quas te nolo abjicere, tuis de rebus ex Epiro scriptas. Is Alexio procurator Attici fuit. Ed.

10. *Macrocolla.* Vide Plinium, XIII, 12, ubi Harduinus : Chartæ, inquit, olim inter se jungebantur, et glutino compingebantur. Majore modulo compaginatam chartam μακρόκολλον vocabant. Hæ *chartæ majores* apud Suetonium, in Augusto, et apud Martial. I, 45. Salmasius ad Vopiscum docuit μακρόκολλα, non μακρόκωλα scribendum esse. Tunc derivaretur, non a κῶλον, membrana, sed a κολλάω, glutino. Ed.

11. *Antiochius.* Probat Antiochi partes, quas Varro defendit in Academicis : ut eas a Varrone ad ipsum transferre non absurde possimus.

12. *Volaticam.* Quasi volarit a Catulo, Lucullo et Hortensio ad Catonem, et Brutum primo, deinde ab his ad Varronem, epist. 15 hujus libri, et nunc rursus ad Brutum volare cogitet. Corrad.

13. *Sui similem.* Non consistentem, et nihil affirmantem. Corr.

stola[14] mea ad Varronem valdene tibi placuit? Male mihi sit, si umquam quidquam tam enitar. Ergo[15]. At ego ne Tironi quidem dictavi, qui totas περιοχὰς[16] persequi solet, sed Spintharo syllabatim.

14. *Epistola.* Quæ legitur, ad Div. IX, 8.

15. Sic edd. pr. Bosius e libro suo, ἔργον, quod fere omnes retinuere; alii tamen malunt ἔργου: utrumque durius. Schütz. conjicit ἐγρωδῶς, at in textum recepit. «Ergo ne Tironi quidem». Nos lectionem Ernest. servamus, ut in dubio loco. J. V. L.

16. Περιοχάς. Comprehensiones, complexiones verborum, scilicet periodos. Ed.

EPISTOLA XXVI.

De loco ad fanum exstruendum quærendo; de consilio profectionis; de epistola ad Cæsarem scripta. (In Antiati, anno U. C. 728, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

De Virgilii[1] parte valde probo. Sic ages igitur. Et quidem id erit primum; proximum[2] Clodiæ. Quod si neutrum, metuo, ne turbem[3], et irruam in Drusum. Intemperans sum in ejus rei cupiditate, quam nosti. Itaque revolvor identidem in Tusculanum. Quidvis enim potius, quam ut non hac æstate absolvatur.

Ego, ut tempus est nostrum, locum habeo nullum, ubi facilius esse possim, quam Asturæ. Sed quia,

1. *Virgilii.* Virgilius unus erat ex coheredibus Scapulanis, qui fortasse Attico dixerat, se suam partem Scapulanorum hortorum Ciceroni concessurum: ut ei locus esset, si fortasse coheredes non in auctione hortos vendere, sed inter se liceri cogitarent. Vid. lib. XII, epist. 39 et 42. Quo in loco debuit hæc epistola collocari. Manut.

2. *Primum; proximum.* Scapulæ hortos primum cupio; secundum eos Clodiæ. Vide XII, 40, 41, 43. Man.

3. *Turbem.* Sc. rationes, vel *conturbem*, h. e. decoquam: ne vel impenso, et insano pretio emam Drusianos, adeo ut mihi decoquendum sit. J. F. Gron. —*Irruam in Drusum.* Sch. interp. Drusum cogam ad vendendum.

qui mecum sunt (credo, quod mœstitiam meam non ferunt), domum properant; etsi poteram remanere, tamen, ut scripsi tibi, proficiscar hinc, ne relictus videar. Quo autem? Lanuvium? Conor equidem in Tusculanum. Sed faciam te statim certiorem. Tu literas [4] conficies. Equidem, credibile non est, quantum scribam die; quin etiam noctibus: nihil enim somni. Heri etiam effeci epistolam ad Cæsarem. Tibi enim placebat: quam non fuit malum scribi, si forte opus esse putares. Ut quidem nunc est, nihil sane est necesse mittere: sed id quidem, ut tibi videbitur. Mittam tamen ad te exemplum fortasse Lanuvio, nisi forte Romam [5]. Sed cras scies.

4. *Tu literas conficies.* Dicit hoc, « tu ad me velim sæpe scribas ». MAN. — Vel, quibus videbitur conscribes meo nomine, ut ep. 5, lib. XI. CORR.

5. *Romam.* Venero: nam ipse epistolam mecum afferam. MAN.

EPISTOLA XXVII.

De epistola ad Cæsarem omittenda; de hortis Scapulanis; de Erote ad Atticum misso. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

De epistola ad Cæsarem [1], nobis vero semper rectissime placuit, ut isti [2] ante legerent. Aliter enim fuissemus et in hos inofficiosi; et in nosmet ipsos, si illum offensuri fuimus, pæne periculosi. Isti autem ingenue, mihique gratum, quod, quid sentirent, non reticuerunt; illud vero vel optime, quod ita multa mutari volunt, ut mihi de integro scribendi causa

1. *Epistola ad Cæsarem.* Significat illum librum συμβουλευτικὸν, de quo XII, 40, et hoc libr. epist. 1. ED. — Alii, « Epistolam ad C. ». J. V. L.

2. *Isti.* Balbus, Oppius, aliique Cæsariani. ED.

non sit: quamquam de Parthico bello[3] quid spectare debui, nisi quod illum velle arbitrabar? Quod enim aliud argumentum epistolæ nostræ, nisi κολακεία[4], fuit? An, si ea, quæ optima putaram, suadere voluissem, oratio mihi defuisset? Totis igitur literis nihil opus est. Ubi enim ἐπίτευγμα[5] magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα[6] vel non magnum molestum futurum sit; quid opus est παρακινδυνεύειν[7]? præsertim quum illud occurrat, illum, quum antea nihil scripserim, existimaturum, me, nisi toto bello confecto, nihil scripturum fuisse. Atque etiam vereor, ne putet, me hoc quasi Catonis μείλιγμα[8] esse voluisse. Quid quæris? valde me pœnitebat: nec mihi in hac quidem re quidquam magis ut vellem accidere potuit, quam quod σπουδὴ[9] nostra non est probata. Incidissemus etiam in illos[10], in eis in cognatum tuum. Sed redeo ad hortos. Plane illuc te ire, nisi tuo magno commodo, nolo: nihil enim urget. Quidquid erit, operam in Faberio[11] ponamus. De die tamen auctionis, si quid scies. Eum[12], qui e Cumano venerat, quod et plane valere Atticam nuntiabat, et literas se habere aiebat, statim ad te misi.

3. *De Parthico bello.* Quod Cicero Cæsari ut gereret suaserat. Ed.

4. Κολακεία. *Assentatio.* Nonnulli vulgarunt κολακία: quod cur retineamus, nemo dixerit. Anonym.

5. Ἐπίτευγμα. Prosper successus.

6. Ἀπότευγμα. Erratum, offensio.

7. Παρακινδυνεύειν Se temere periculo objicere.

8. Μείλιγμα. *Lenimentum.* Ne putet me ob eam causam hanc sibi epistolam misisse, ut hoc quasi munere placarem, alienatum eo libro, quem scripsi de laudibus Catonis. Man.

9. Σπουδή. Studium.

10. *In illos.* In calumniatores, qui apud Cæsarem sunt, inter quos Q. Cicero, sororis tuæ filius. Popma.

11. *Faberio.* Vid. ep. 29, lib. XII.

12. Schütz. in *Eum* nomen Erotis latere putavit, qui erat Attici libertus, atque *Erotem* rescripsit. J. V. L.

EPISTOLA XXVIII.

Exspectat, quid de hortis Attico visum sit; de epist. ad Cæsarem omittenda; de Niciæ discessu. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Hortos quoniam hodie eras inspecturus, quid visum tibi sit, cras scilicet. De Faberio autem, quum venerit. De epistola ad Cæsarem, jurato mihi crede, non possum [1]; nec me turpitudo deterret, etsi maxime debebat [2]. Quam enim turpis est assentatio, quum vivere ipsum turpe sit nobis? Sed ut cœpi, non me hoc turpe deterret. Ac vellem quidem (essem enim, qui esse debebam [3]); sed in mentem nihil venit. Nam, quæ sunt ad Alexandrum hominum eloquentium et doctorum suasiones, vides quibus in rebus versentur: adolescentem, incensum cupiditate verissimæ gloriæ, cupientem sibi aliquid consilii dari, quod ad laudem sempiternam valeret, cohortantur: ad decus non deest oratio. Ego quid possum? Tamen nescio quid e quercu exsculpseram, quod videretur simile simulacri [4]. In eo quia nonnulla erant paullo meliora,

1. *Non possum.* Scilicet aliam ad eum epistolam scribere: in ea autem quam scripserat, multa Cæsaris amicis displicuerant. Ed.

2. *Debebat.* Al. *debeat.* J. V. L.

3. *Qui esse debebam.* Constans, vere philosophus, non adulator. Corr. — Olim, *debeam.* J. V. L.

4. *Simile simulacri.* Vult ostendere; quemadmodum e quercu simulacrum facere difficile sit, duriore materia, quam ut circumcidi, aut expoliri possit; ideoque potius simulacri quiddam simile, quam simulacrum efficiatur: sic se, quum ad Cæsarem scriberet, argumento admodum angusto (neque enim, quod et ipsi honestum esset, et Cæsari gratum, scribere licebat; itaque difficili in loco versabatur, ut quasi e quercu videretur exsculpere), perfectum opus non potuisse facere, sed ex dura et parum commoda materia fecisse nescio quid, quod operis tamen simile videretur. Man.

quam ea, quæ fiunt et facta sunt, reprehenduntur: quod me minime pœnitet. Si enim pervenissent istæ literæ, mihi crede, nos pœniteret. Quid? tu non vides ipsum illum Aristoteli[5] discipulum, summo ingenio, summa modestia, posteaquam rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse? Quid? tu hunc de pompa[6], Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis lætaturum putas? Ille vero potius non scripta desideret, quam scripta non probet. Postremo, ut volet. Abiit illud, quod tum me stimulabat, quod tibi dabam πρόβλημα[7] Ἀρχιμήδειον. Multo mehercule magis nunc opto casum illum, quem[8] tum timebam, vel quem libebit. Nisi quid te aliud impediet, mihi optato veneris. Nicias a Dolabella magno opere arcessitus (legi enim literas), etsi invito me, tamen eodem me auctore profectus est. Hoc manu mea.

5. *Aristoteli.* Sic MSS. Vulgo, « Aristotelis ». J. V. L.

6. *Hunc de pompa.* Dio, l. XLIII: « Decreverunt, ut eburnea Cæsaris statua, et currus etiam solidus, quo die cursus equorum, in circo spectantes, inter deorum imagines in pompa gestaretur; et ut alia præterea statua in Quirini templo poneretur, cum hac inscriptione, Deo invicto ». Ideoque eum appellat Cicero « Quirini contubernalem »: ut sup. XII, 44. Man.

7. Πρόβλημα Ἀρχιμήδειον. Rescripsit quæ scripserat XII, 4.

8. Sic recte edd. pr. Nam et sequitur « vel quem libebit ». Male recentiores *quam*, referentes ad *magis*. Ernest. J. V. L.

EPISTOLA XXIX.

Niciæ de Juventio Talna judicium refert; de hortis emendis quid fieri velit, exponit. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Quum quasi alias res quærerem de philologis e

Nicia, incidimus in Talnam[1]. Ille de ingenio nihil nimis : modestum et frugi. Sed hoc[2] mihi non placuit. Se scire aiebat, ab eo nuper petitam Cornificiam, Q. filiam, vetulam sane, et multarum nuptiarum; non esse probatum mulieribus, quod ita reperirent[3], rem non majorem DCCC. Hoc putavi te scire oportere. De hortis ex tuis literis cognovi, et Chrysippo[4]. In villa, cujus insulsitatem bene noram, video nihil[5], aut pauca mutata. Balnearia[6] tamen laudat majora; de minoribus ait hiberna effici posse. Tecta igitur ambulatiuncula addenda est : quam ut tantam faciamus, quantam in Tusculano fecimus, prope dimidio minoris constabit isto loco. Ad id autem, quod volumus, ἀφίδρυμα[7], nihil aptius videtur, quam lucus, quem ego noram : sed celebritatem nullam tum habebat; nunc audio maximam. Nihil est, quod ego malim. In hoc τὸν τύφον[8] μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον. Reliquum est, si Faberius nobis nomen illud explicat, noli quærere, quanti. Othonem vincas volo. Nec tamen insaniturum illum puto : nosse enim mihi hominem videor. Ita male autem audio ipsum esse tractatum[9], ut mihi ille emptor non esse[10] videatur. Quid enim? pateretur[11]? sed quid argumentor? si

1. *Talnam*, Schütz. malit *Thalnam*, quam scripturam fastis Capitolinis confirmari dicit. Ed.

2. *Sed hoc mihi*, etc. Nempe quod sequitur. Ed.

3. Ernest. conj. *reperissent*. J. V. L.

4. *Chrysippo*. Architecto. Ad Div. VII, 24.

5. Ante Victorium legebatur « video nihil aut paucam, aut ut balnearia ». Multum, ut jam diximus, debet Tullius docto viro. J. V. L.

6. Olim interpungebatur sic, « balnearia tamen laudat; majora de minoribus, etc. » Minus recte. J. V. L.

7. Ἀφίδρυμα. Sacellum, fanum.

8. Τὸν τύφον. Insolenti et vanæ ambitioni meæ, per Deos, indulge.

9. *Male... esse tractatum*. Quæ fuerit hæc injuria Othoni illata, non constat. Ernest. de damno pecuniario intellexit. Ed.

10. *Non esse*. Futurus. Corrad. — Faernus ex antiquo libro, « non posse esse videatur ». J. V. L.

11. *Pateretur*. Nescio quid fieri, quod nummis redimere posset, si nummos haberet? J. F. Gronov.

Faberianum explicas, emamus vel magno; sin minus, ne parvo quidem possumus. Clodiam igitur: a qua ipsa ob eam causam[12] sperare videor, quod et multo minoris sunt, et Dolabellæ nomen jam expeditum videtur, ut etiam repræsentatione confidam. De hortis satis. Cras aut te, aut causam: quam quidem futuram Faberianam. Sed, si poteris.

12. *Causam* Cur non veneris. Causam autem, quæ te moretur, hanc puto fore, ut pecuniam exigas a Faberio. MANUT.

EPISTOLA XXX.

De Q. Ciceronis epistolis; de auctione et negotio Faberiano. Denique quærit qui decem legati Mummio fuerint. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

CICERONIS epistolam tibi remisi. O te ferreum, qui illius periculis non moveris! Me quoque accusat. Eam tibi epistolam misissem[1]. Nam[2] illam[3] alteram de rebus gestis eodem exemplo puto. In[4] Cumanum hodie misi tabellarium: ei dedi tuas ad Vestorium, quas Pharnaci dederas. Commodum[5] ad te miseram Demeam, quum Eros ad me venit. Sed in ejus epistola, nihil erat novi, nisi auctionem biduum. Ab ea[6] igitur, ut scribis; et velim, confecto negotio

1. *Misissem*. Scilicet nisi tu illam, quæ ad te data erat, ante misisses ad me, ut altera, quam mihi scripsit, tamquam ejusdem argumenti, easdemque querelas complectente carere possis. GRÆV.

2. Schütz. rescripsit *Nunc*. Probabiliter. Hic enim particula *nam* non quadrat. J. V. L.

3. *Illam alteram*. Sensus est: Nam quæ præterea sunt in epistola ad me missa, de fortibus scilicet ejus factis, et pugnis, ea scito esse eadem, quæ ad te scripsit. J. F. GRONOV.

4. His in verbis MS unus Palatinus initium statuit epistolæ. J. V. L.

5. In vett. edd. ab his verbis epistola incipit. Superiora junguntur epist. 29. J. V. L.

6. *Ab ea*. Post eam huc venies.

Faberiano: quem quidem negat[7] Eros hodie. Cras mane putat. A te colendus est[8]. Istæ autem κολακεῖαι[9] [non] longe absunt a scelere. Te, ut spero, perendie. Mihi, sicunde potes, erues, qui decem legati[10] Mummio fuerint. Polybius non nominat. Ego memini Albinum consularem, et Sp. Mummium. Videor audisse ex Hortensio, Tuditanum. Sed in Libonis[11] Annali, XIV annis post prætor est factus Tuditanus, quam consul Mummius: non sane quadrat[12]. Volo[13] aliquem Olympiæ, aut ubi visum, πολιτικὸν[14] σύλλογον, more Dicæarchi, familiaris tui.

7. *Negat.* Venturum. CORR.

8. *A te colendus est.* Faberius ut Cæsarianus, ut solvat libentius. CORR.

9. Κολακεῖαι. *Assentationes.* Τὸ *non* dele. Sensus enim hic est. Nam sic assentari licet, nempe ut a debitore potente pecuniam recipiamus. J.F.GRON.

10. *Decem legati.* Supra, epist. 4.

11. *Libonis.* De quo in Brut. c. 23.

12. *Non sane quadrat.* Quoniam sic annis XIV ante, quam prætor est factus, legatus esse potuisset. CORR.

13. *Volo* primus edidit Manutius; idque et in MS reperit Grævius. Edd. pr. *quadrutulo.* Unde Bosius e conjectura, Ὑλλῶ. Alii habent, *Nolo.* Nihil vero certius lectione Manutii. J. V. L.

14. Πολιτικὸν σύλλογον. *Conventum et sermonem de republica.* Cicero fingere volebat disputationem illam, quam instituebat de republica ordinanda, habitam fuisse Olympiæ. Quo exemplo fortasse Dicæarchus Ὀλυμπικὸν scripserat: vide Athenæum, XIV, p. 620. Fertur enim librum hoc titulo edidisse. BOSIUS.

EPISTOLA XXXI.

De Attici adventu exspectato; de Dicæarchi libris mittendis; de epistola ad Cæsarem mittenda; de hortis Scapulanis emendis; de Quinti filii luxuria. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

QUINTO kal. mane accepi a Demea literas pridie datas, ex quibus aut hodie, aut cras te exspectare deberem. Sed, ut opinor, idem ego, qui exspecto tuum adventum, morabor te. Non enim puto tam expedi-

tum Faberianum negotium futurum, etiamsi est futurum, ut non habeat aliquid moræ. Quum poteris igitur, quoniam etiamdum abes[1]. Dicæarchi, quos scribis, libros sane velim mihi mittas: addas etiam καταβάσεως[2]. De epistola ad Cæsarem, κέκρικα[3]. Atque id ipsum, quod isti aiunt illum scribere, se, nisi constitutis rebus, non iturum in Parthos; idem ego suadebam in illa epistola: sin...., utrum liberet, facere posse, auctore me. Hoc enim ille exspectat videlicet, neque est facturus quidquam, nisi de meo consilio. Obsecro, abjiciamus ista, et semiliberi saltem simus; quod assequemur et tacendo, et latendo. Sed et aggredere Othonem, ut scribis: confice, mi Attice, istam rem. Nihil enim aliud reperio, ubi et in foro non sim, et tecum esse possim. Quanti autem, hoc mihi venit in mentem. C. Albanius proximus est vicinus: is CIƆ jugerum de M. Pilio emit, ut mea memoria est, H-S cxv. Omnia scilicet nunc minoris. Sed accedit cupiditas; in qua, præter Othonem, non puto nos ullum adversarium habituros. Sed eum ipsum tu poteris movere: facilius etiam, si Kanum[4] haberes.

1. *Quoniam etiamdum abes.* Nondum in viam te dedisti. MANUTIUS. — Mallem: « quoniam diu habes ». MURET.

2. Καταβάσεως. Hoc est, Dicæarchi librum, περὶ τῆς εἰς Τρωφονίου καταβάσεως, de descensu in antrum Trophonii.

3. Κέκρικα. Hæc lectio est e Lambini conjectura, quam cum Grævio et Ernestio præfert J. V. L. Probat quoque Tunstallus, ep. ad Middlet. pag. 146. Lectio prima in ed. Rom. est κίλτικα, estque sine dubio vitiosa, nisi comminiscaris aliquid de Gallico bello. Victor. conj. κέπφικα, id est, fatua, insana; Corradus πέφρικα, alii κέλτκα, etc. Lambini lectionem κέκρικα fere omnes probant. — Κεκύβικα. « In cubi et tesseræ modum me conformavi, firmissime sto, certum habeo et constitutum, quid scribam ». ERN.

4. *Canum.* Q. Gellius Canus, de quo Nepos in Attici vita, cap. 10. — *Pudet me patris.* Ita Vict. Man. Lamb. Quod habent Gruter. et Græv. « putet me patris », nibili est. Illud autem « O gulam insulsam! » dictum intelligunt de Othone, qui tantummodo ut bibacitatis haberet domicilium, hortos emere illos volebat, quos alium honestiorem in usum appetebat Cicero. Ego de Q. filio interpretor. Nam et ille aliquid temporis tunc commune habuit cum Cano, ut mox dicetur epist. 41. *Pudet me patris*, hoc est,

O gulam insulsam! pudet me patris. Rescribes, si quid voles.

Q. patris. Quod si facias cum Mongaltio, qui de M. filio interpretatur, legendum erit: *Pudetne patris?* Athenis enim, ut supra dictum est, strenuum agebat M. filius ganeonem. Ad eum literas dederat Atticus severas ac temperatas, quibus responderat adolescens parum decenter. Hinc illa indignatio: O insulsum helluonem! Eumne ergo pudet, quod me patrem habeat? adeo studet mei esse dissimilis. Oliv.—Cui adsentit J. V. L. in not. Ed.

EPISTOLA XXXII.

De negotio Faberiano conficiendo; de Dicæarchi libris mittendis; de quæstione Attico proposita de decem legatis. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Alteram a te epistolam quum hodie accepissem, nolui te una mea contentum. Tu vero age, quod scribis, de Faberio. In eo enim totum est positum id, quod cogitamus: quæ cogitatio si non incidisset (mihi crede istuc, ut cetera), non laborarem. Quamobrem, ut facis (istuc enim addi nihil potest), urge, insta, perfice. Dicæarchi περὶ ψυχῆς [1] utrosque [2] velim mittas, et καταβάσεως [3]. Τριπολιτικὸν [4] non invenio, et epistolam ejus, quam ad Aristoxenum misit. Tres eos libros maxime nunc vellem: apti essent ad id [5], quod

1. Περὶ ψυχῆς. *De animo:* quem quidem Dicæarchus ipse vult efficere esse mortalem. Tusc. I, 10, 18, 31.

2. *Utrosque.* Muretus, *utique.* — *Utrosque.* Scilicet utrumque sermonem de immortalitate animorum; alterum Corinthi, alterum Mytilenis habitum. Ed.

3. Καταβάσεως. Supra, ep. 31. Ed.

4. Τριπολιτικόν. Scripsit Dicæarchus librum, cui titulus, τριπολιτικὸς, ex quo quædam adducit Athenæus Deipnos. IV. Victorius.

5. *Id quod cogito.* Tusculanas disputationes. In his enim Dicæarchi Corinthiacos libros, et c. 31, Lesbiacos s. sermones Mitylenis habitos memorat. Sch.

cogito. Torquatus[6] Romæ est. Misi, ut tibi[7] daretur. Catulum et Lucullum[8], ut opinor, antea. His libris nova procemia sunt addita, quibus eorum uterque laudatur. Eas literas[9] volo habeas : et sunt quædam alia. Et, quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti; credo, quia διὰ σημείων[10] scripseram. De C. Tuditano enim quærebam, quem ex Hortensio audieram fuisse in decem : eum video in Libonis[11] prætorem P. Popillio, P. Rupilio consulibus. Annis XIIII ante, quam prætor factus est, legatus esse potuisset? nisi admodum sero quæstor[12] est factus; quod non arbitror : video enim curules magistratus eum legitimis annis perfacile cepisse. Postumium autem, cujus statuam in Isthmo meminisse te dicis, in iis sciebam[13] fuisse. Is autem est, qui cum Lucullo fuit; quem tu mihi addidisti, sane ad illum σύλλογον[14] personam idoneam. Videbis igitur, si poteris, ceteros; ut possimus πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις[15].

6. *Torquatus*. Liber I de Finibus, in quo Torquatus disputat.

7. Sic duo MSS Bosiani. Olim, « Jussi, ut tibi daretur ». Minus recte. J. V. L.

8. *Catulum et Lucullum*. Academicos libros, quos primum scripserat : quorum alterum, *Catulus*, alterum, *Lucullus*, inscripserat. Vide illud epist. 12. Manut. — Ex hoc loco apparet non bene a veteribus editoribus temporum ordinem servatum. Eo.

9. *Eas literas*. Ea procemia. Quandoque enim literæ pro scriptis ponuntur. Idem.

10. Διὰ σημείων. *Per notas*. Exstat de notis romanorum veterum liber Tyronis et Senecæ nomen præ se ferens, editus a Jano Grutero, et magno inscriptionum corpori subjectus. Græv.

11. *In Libonis*. Supple, annali.

12. Pighius, ad ann. 621, legere jubet *prætor*. Falso, si Mongaltius vere de h. l. sensit. J. V. L.

13. *Sciebam*. Lege *nesciebam*. Mur.

14. Σύλλογον. Conventum.

15. Πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις. Ex personarum dignitate quasi pompam agere.

EPISTOLA XXXIII.

De rebus ad hortos emendos pertinentibus; de quæstione, qui fuerint inter decem legatos ad Mummium; de Varronis et Capitonis adventu. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Negligentiam miram[1]! semelne putas mihi dixisse Balbum et Faberium, professionem relatam[2]? Quin etiam eorum[3] jussu miseram, qui profiteretur: ita enim oportere dicebant. Professus est Philotimus libertus. Nosti, credo, librarium[4]. Sed scribes, et quidem confestim. Ad Faberium, ut tibi placet, literas misi. Cum Balbo autem puto te aliquid fecisse H.[5] in Capitolio. In Virgilio mihi nulla est δυσωπία[6]. Nec

1. *Negligentiam miram!* Scil. Balbi et Faberii. Ed.

2. *Professionem relatam.* Quovis lustro, quum agebatur census populi romani, quilibet civium profitebatur, quantum in bonis haberet. Condito lustro, si quid accedebat ad possessiones, id quoque publicas in tabulas apud prætorem referri oportebat. Prior illa professio dici possit *censualis;* hæc posterior, *quotidiana.* De censuali hic agi plerique volunt interpretes: ego de altera: quemadmodum ad Div. XVI, 23. Actum enim esse censum a Cæsare non vidi usquam; neque illi demonstrant. Tum, cur hic appellatur Faberius, nisi quia ejus de negotio agitur? Mongaltius.

3. Ed. Rom. et codd. Balliol. et Helmst. habent *meorum*, quod Grævius et Ernest. probaverunt. J. V. L.

4. *Librarium.* Eum, qui cujuslibet professionem in tabulas publicas referebat. Manut.

5. *H.* intelligunt *hodie.* Schütz. lectionem misere corruptam putat, emendatque, « De hortis Scapulanis in Virg. ». J. V. L.

6. Δυσωπία. *Verecundia.* C. Virgilius in Africa adversus Cæsarem militarat, et Thapso præsidio fuerat, ut auctor belli Africani tradit cap. 78, 79, 86. Videtur post victoriam Cæsaris evasisse aliquo, et latitasse, neque enim ibi ejus mentio fit vel interfecti, vel dediti. Erat autem is Virgilius in Scapulanis heredibus. Fortasse pro ejus parte confiscata interveniebant procuratores Cæsaris. Dicit igitur Cicero; non inani verecundia absterreor de Virgilii parte emenda. Accedit quod hic Virgilius erga Ciceronem exsulem parum amice se gesserat, ut patet ex orat. pro Plancio, cap. 40. J. F. Gron.

enim ejus causa sane debeo: et, si emero, quid erit, quod postulet? Sed videbis, ne is quum sit in Africa, ut[7] Cœlius. De nomine, tu videbis cum Cispio: sed, si Plancus destinat[8], tum habet res difficultatem. Te ad me venire uterque nostrum cupit; sed ista res nullo modo relinquenda est. Othonem quod speras posse vinci, sane bene narras. De æstimatione, ut scribis, quum agere cœperimus: etsi nihil scripsit[9], nisi de modo agri. Cum Pisone, si quid poteris. Dicæarchi librum accepi; et καταβάσεως[10] exspecto. Negotium dederis[11]; reperiet[12] ex eo libro, in quo sunt senatusconsulta Cn. Cornelio, L. Mummio consulibus. De Tuditano autem, quod putas, εὔλογον[13] est, tum illum, quoniam fuit ad Corinthum (non enim temere dixit Hortensius), aut quæstorem, aut tribunum militum; idque potius fuisse credo. Tu de Antiocho[14] scire poteris. Vide etiam, quo anno quæstor, aut tribunus militum fuerit. Si neutrum quadret, in præfectis, an in contubernalibus fuerit, modo fuerit in eo bello.

[15]De Varrone loquebamur; lupus in fabula. Venit

7. *Ut Cœlius*. Verebatur Cicero, ne forte, quemadmodum C. Cœlius Caldus (de quo supra, X, 12) in Italia Marianarum partium reliquias collegerat, ita hic Virgilius in Africa novas Pompeianis faces subjiceret, instauratoque bello, viam sibi ad honestiores pacis conditiones muniret. Tunc enim exigere potuisset, sua sibi prædia ut redderentur ipsa, non modo pretium, quo venierant, coactusque esset Cicero eam restituere partem hortorum, quæ ad Virgilium e Scapulana hereditate pervenerat. Mongalt.

8. *Destinat*. Statuit hortos emere. Manut.

9. *Etsi nihil scripsit*. Cæsar in lege, vel Balbus ad me: etsi videri potest Ortho de hortis aliquid, sed de æstimatione nihil scripsisse. Corr.

10. Καταβάσεως. Supra, ep. 31.

11. *Dederis*. Cui videbitur ex tuis servis, ut quærat de decem L. Mummii legatis in eo libro, etc. Man.

12. Nullum forte nomen excidit liberti, aut scribæ; sed legendum videtur, *reperies*. Et sic multi olim edidere. J. V. L.

13. Εὔλογον. *Probabile*.

14. *Antiocho*. Servo tuo literato. Manut.

15. Putat Manutius hoc esse principium epistolæ: quod placeret, si certum esset, Atticum paullo ante

enim ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset. Sed ego ita egi, ut non scinderem penulam. Memini enim tuum[16]: et multi erant, nosque imparati. Quid refert? Paullo post C. Capito cum T. Carrinate. Horum ego vix attigi penulam; tamen remanserunt, ceciditque belle. Sed casu sermo a Capitone de Urbe augenda. A ponte Mulvio Tiberim duci[17] secundum montes Vaticanos; campum Martium coædificari[18]; illum autem campum Vaticanum fieri, quasi Martium campum. Quid ais? inquam. At ego ad tabulam[19]; ut, si recte possim[20], Scapulanos hortos. Cave facias, inquit: nam ista lex perferetur: vult enim Cæsar. Audire me facile passus sum; fieri autem, moleste fero. Sed tu quid ais? Quamquam quid quæro? nosti diligentiam Capitonis in rebus novis perquirendis. Non concedit Camillo. Facies me igitur certiorem de idibus. Ista enim me res adducebat[21]. Eo adjunxeram ceteras, quas consequi tamen biduo aut triduo post facile potero. Te tamen in via[22] confici minime volo. Quin etiam Dionysio ignosco[23]. De Bruto quod scribis, feci ut ei liberum esset, quod ad me

quam ista scriberet apud Ciceronem in Tusculano fuisse. Sed «loquebamur» ad colloquium cum alio quondam amico referendum est. Ed.

16. *Tuum*. Feci, inquit, quod memini te solere; qui sic interdum ad cœnam invitas, ut penulam tamen non scindas. Man. — Κατ' ἔλλειψιν dixit *tuum*, quum morem, aut institutum tacite intelligeret. Sic Terentius, «Pol Crito antiquum obtines». Bosius. — Bessarionis liber, *tui*. J. V. L.

17. *Duci*. *Perduci*. Bosius. Baluz.

18. Editio Manutii, *tum ædificari*, quod illi tamen non placet. J. V. L.

19. *Ad tabulam*. Iturus eram, ut emerem Scapulanos hortos, *si recte*, id est, æquo pretio possem. Tabula proponebatur inscriptis nominibus earum rerum, de quibus auctio futura erat. Man.

20. Reposui *possim* pro vulgato *possem*, ut legendum esse mea sponte dudum conjeci. Nunc in ed. pr. reperi. Ernest. J. V. L.

21. *Adducebat*. Romam, ut auctioni interessem. Ed.

22. *In via*. Id est, dum ad me accedis, in itinere nimium laborare et defatigari. Victor.

23. *Dionysio ignosco*. Quod ad me non veniat. Sch.

attineret. Scripsi enim ad eum heri, idib. [mai.[24]] ejus opera mihi nihil opus esse.

24. *Idibus maii.* Manifestum mendum. Nec dubito, quin legendum sit, *idibus quint.* vel *idibus*, mense subaudito. Nam de maio absurdum est intelligi : quum e Tusculano profectus esset Arpinum VIII kal. quint. et recurrere nonis Brinnianæ auctionis causa cogitaret, nonis, inquam, quintilis. MANUT. — Schützius omittit; immo *idib.* omittit. ED.

EPISTOLA XXXIV.

De munerum in ludis Cæsaris curatione a Lepta petita. (Asturæ, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

ASTURAM veni VIII kal.[1] Vitandi enim caloris causa Lanuvii III horas acquieveram. Tu velim, si grave non erit, efficias, ne ante nonas mihi illuc veniendum sit. Id potes per Egnatium Maximum. Illud in primis, ut cum Publilio[2], me pæne absente, conficias : de quo quæ fama sit, scribes. « Id populus curat scilicet[3] ». Non mehercule arbitror. Etenim hæc decantata erat fabula. Sed complere paginam volui. Quid plura? ipse enim adsum, nisi quid tu prorogas. Scripsi enim ad te de hortis.

1. *VIII kal.* Olim *jul.* quod Sch. corrigit et pronuntiat *quintilis*. ED.

2. *Cum Publilio.* Fratre Publiliæ uxoris, cui restitutio dotis debebatur post divortium; quod non arbitrabatur populum improbaturum, quum vulgo jam ante jactatum fuisset, et quasi fabula decantatum, hoc futurum. POPM.

3. *Id populus curat scilicet.* Terent. And. act. I, sc. 2. CORR.

EPISTOLA XXXV.

De Urbe per Atheniensem quemdam augenda; de libris Academicis Varroni datis. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

O rem indignam! gentilis[1] tuus Urbem auget; quam hoc biennio primum vidit: et ei parum magna visa est, quæ etiam ipsum capere potuerit. Hac de re igitur exspecto literas tuas. Varroni, scribis, te, simul ac venerit[2]. Dati igitur jam sunt; nec tibi integrum est: hui, si scias quanto periculo tuo! aut fortasse literæ meæ te retardarunt. Sed eas nondum legeras, quum has proximas scripsisti. Scire igitur aveo, quo modo res se habeat.

1. *Gentilis*. Aliquis eodem nomine quo tu es, hoc est, Atticus vel Atheniensis artifex Geometres, a Cæsare adhibitus designando spatio proferendi pomœrii. Proprie gentilis est, qui habet idem nomen familiæ, et est ejusdem gentis, sed postea qui habet idem cognomen. Cicer. Tusc. I, 16. J. F. Gronov. — *Gentilem* vocat sc. popularem Attici. Ed.

2. *Simul ac venerit*. Subaudi, daturum quatuor Academicos. Man.

EPISTOLA XXXVI.

De Bruti erga se amore. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

De Bruti amore[1], vestraque ambulatione, etsi mihi nihil novi affers, sed idem, quod sæpe; tamen hoc audio libentius, quod sæpius; eoque mihi jucundius est, quod tu eo lætaris, certiusque eo est, quod a te dicitur.

1. *De Bruti amore*. Schutz. epistolam hanc cum superiore conjungit. J. V. L.

EPISTOLA XXXVII.

De Xenonis nomine; de Quinti filii maledictis; de laudatione Porciæ; de gladiatoribus; de auctione Cluvianorum bonorum proscribenda. (In Tusculano, anno U.C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Has alteras hodie literas. De Xenonis nomine[1], et de Epiroticis xxxx, nihil potest fieri nec commodius, nec aptius, quam ut scribis. Id erat loquutus mecum eodem modo Balbus minor. Novi nihil sane, nisi Hirtium cum Quinto acerrime pro me litigasse; omnibus eum locis facere[2], maximeque in conviviis; quum multa de me, tum redire ad patrem; nihil autem ab eo tam ἀξιοπίστως[3] dici, quam alienissimos nos esse a Cæsare; fidem nobis habendam non esse; me vero etiam cavendum (φοβερὸν ἦν[4], nisi viderem scire regem[5], me animi nihil habere); Ciceronem vero meum vexari[6]. Sed id quidem arbitratu suo.

Laudationem[7] Porciæ gaudeo me ante dedisse Leptæ tabellario, quam tuas acceperim literas. Eam tu igitur, si me amas, curabis, si modo[8] mittetur,

1. *De Xenonis nomine*. Pecuniam quam Xeno tibi debet, et sestertia quadraginta quæ in Epiro habes in nominibus, bene fecisti quod Ciceroni filio Athenis curasti. Lib XIV, epist. 16. Popma.

2. *Facere*. Probant viri docti optimam Faerni emendationem, furere. J. V. L.

3. Ἀξιοπίστως. Fide dignum.

4. Φοβερὸν ἦν. Formidabile erat.

5. *Regem*. Cæsarem, insidiose.

6. *Vexari*. Filium a me male et indigne haberi, sic ut hoc quoque sit inter crimina Q. Filii in M. patrem. J. F. Gronov.

7. *Laudationem*. Mortuos Romani veteres in funere laudabant, præsertim ortos illustri familia. Laudabant autem non modo propinqui, sed et amicitia conjuncti. Cicero Porciam laudavit, Catonis sororem, laudatione non habita, sed scripta. Man.

8. *Si modo mittetur*. Ut nunc est, non adhibita lima ista, quam tu desideras. J. F. Gron. — Immo adhibita illa. Vide infra epist. 48, quæ hanc præcessit. Mong.

isto modo mittendam Domitio et Bruto. De gladiatoribus, de ceteris, quæ scribis ἀνεμοφόρητα[9], facies me quotidie certiorem. Velim, si tibi videtur, appelles Balbum et Offilium de auctione[10] proscribenda. Equidem loquutus sum cum Balbo. Placebat. Puto conscripta habere Offilium omnia[11]; habet et Balbus: sed Balbo placebat, propinquum diem, et Romæ[12]; si Cæsar moraretur, posse diem differri. Sed is quidem adesse videtur. Totum igitur considera. Placet enim Vestorio.

9. Ἀνεμοφόρητα. Digna, quæ ventis ferantur; inania, levia.

10. *Auctione.* Cluvianorum bonorum. Vid. infra, l. XVI, ep. 5. Man.

11. *Omnia.* Cluviana bona, quæ in auctione venibant. Idem.

12. *Romæ.* Proscribi auctionem Romæ, non Puteolis. Idem.

EPISTOLA XXXVIII.

De contumeliosis Q. filii literis, et de ratione eum excipiendi. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Ante lucem quum scriberem contra[1] Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te, et ante lucem dedi. Deinde quum, somno repetito, simul cum sole experrectus essem, datur mihi epistola a sororis tuæ filio, quam ipsam tibi misi; cujus est principium non sine maxima contumelia. Sed fortasse οὐκ ἐπέστησεν[2]. Est autem sic: « Ego enim non probo, quidquid non belle in te dici potest ». Posse vult in me multa dici non belle, sed ea se negat ap-

1. *Contra Epicureos.* Tusculanam secundam, de tolerando dolore, contra Epicuri sententiam. Ed.

2. Οὐκ ἐπέστησεν. Non animadvertit, non satis cogitanter scripsit: lapsus est per ignorantiam.

probare : hoc quidquam pote[3] impurius? Jam cetera leges (misi enim ad te), judicabisque[4]. Bruti nostri quotidianis assiduisque laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renuntiaverunt, commotum istum aliquando, scripsisse[5] aliquid ad me, credo et ad te; idque ut sciam, facies : nam, ad patrem de me quid scripserit, nescio; de matre quam pie? « Volueram, inquit, ut quam plurimum tecum essem, conduci mihi domum; et id ad te scripseram : neglexisti. Ita minus multum una erimus. Nam ego istam domum videre non possum; qua de causa, scis ». Hanc autem causam pater odium matris esse dicebat. Nunc me juva, mi Attice, consilio, πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον[6], id est[7], utrum aperte hominem asperner, et respuam, ἢ σκολιᾶς ἀπάτας[8]. Ut enim Pindaro, sic δίχα μοι νόος[9], ἀτρέκειαν εἰπεῖν. Omnino moribus meis illud aptius, sed hoc fortasse temporibus. Tu autem, quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato. Equidem vereor maxime, ne in Tusculano opprimar[10]. In turba hæc essent faciliora.

3. *Pote.* Ita Victorius et Bosius. Sed habent *potest esse*, Man. et Lamb.

4. Forte interpungendum sic, « judicabisque, Bruti nostri quot. ass. » J. V. L.

5. Vulg. *scripsisti.* J. V. L.

6. Πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον. Supplendum ex Platone, qui hæc itidem refert, ἀναβὰς, « utrum exscenso alto muro justitiæ ». Alludit Cicero ad locum Pindari ex libro deperdito, quo jam usus erat, sed alio, quam Cicero, sensu Plato, lib. II de Republica. Verba Pindari apud Platonem integra hæc sunt : Πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιᾶς ἀπάτας ἀναβάς : « utrum rectis et justis artibus, an dolis fraudibusque utens, etc. » Ad hunc murum justitiæ alludit Hor. epist. I, 1, 61 : « Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa ». En. — Cicero ad aliam rem transtulit. Scire cupit ex Attico, quid sibi suadeat, utrum putet præ se ferendam esse justam iram in Quintum filium, quam insectando et criminando patruum apud Cæsarem meruerat, an dissimulandam. Ern.

7. Hæc, « id est.. respuam, » insititia judicat Walckenarius, ad Eurip. fragm. pag. 194. J. V. L.

8. Ἢ σκολιᾶς. Vide notam superiorem 6, et infra ep. 35.

9. Δίχα μοι νόος. « Ambigit animus ad verum dicendum ». Pind. ibid.

10. *In Tusculano opprimar.* Q. filii

Utrum igitur Asturæ? Quid, si Cæsar[11] subito? Juva me, quæso, consilio: utar eo, quod tu decreveris.

repentino adventu eum Cæsare ex Hispania. Epistola libri hujus 39. Poема.

11. *Cæsar*. Asturam Cæsar quum venisset, apud Ciceronem cœnavit. Lib. XIV, ep. 4. Man.

EPISTOLA XXXIX.

De impiis Q. filii literis. Romam se venturum, sed invitum. Dicæarchi aliquot libros poscit. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

O incredibilem vanitatem! ad patrem, domo sibi carendum propter matrem: plena pietatis. Hic autem jam languescit, et ait sibi illum jure iratum. Sed utar tuo consilio. Σκολιὰ[1] enim tibi video placere. Romam, ut censes, veniam, sed invitus: valde enim in scribendo hæreo[2]. Brutum, inquis, eadem[3] scilicet. Sed nisi hoc esset, res me ista non cogeret. Nec enim inde venit[4], unde mallem, neque diu abfuit, neque ullam literam ad me. Sed tamen scire aveo, qualis ei totius itineris summa fuerit. Libros mihi, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas, et maxime Φαίδρου περισσῶν, et Ἑλλάδος[5].

1. Σκολιά. Obliqua, simulationes.

2. *Hæreo*. Totus in scribendo sum. Scribebat autem quæstiones Tusculanas. Man.

3. *Eadem*. Adverbium est, significatque eadem via, ut ex Charisio alias docui. Tu, inquit, scribis me, quum Romam veniam, eadem via Brutum scilicet visurum. Sed nisi Romam ire decrevissem Quinti vitandi causa, occasio illa Brutum visendi me hinc non moveret. Brutus Cæsari tunc valde familiaris erat: idcirco eum videre Cicero nolebat. Bos.

4. *Nec inde venit*. Non inde venit, ubi sunt boni viri, qui, quod inimicum habeant Cæsarem, patria exsulant. Id.

5. Φαίδρου περισσῶν, *et* Ἑλλάδος. Videntur his verbis duo libri Dicæarchi significari: sed manifeste, inquit Ernestus, corrupti sunt. Alii aliter emendant. Vide in primis Th. Reinesium, Var. Lect. III, 3. — Conjiciunt multi multa, vel περὶ ὅρων τῆς Ἑλλάδος, vel, quod maxime ridiculum, περὶ ὄσσων τῆς Λαΐδος, etc. Th. Reinesius, Var. lect. III, 3, restituit veterem lectionem, περὶ θεῶν. Schütz. in Indice Græco, Mongaltii rationem probat. J. V. L.

EPISTOLA XL.

De Bruti ad Atticum literis, et de Q. filii adventu. (In Tusculano anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Itane nuntiat Brutus, illum[1] ad bonos[2] viros? εὐαγγέλια[3]. Sed ubi eos[4]? nisi forte se suspendit. Hic autem ut fultum est[5]? ubi igitur φιλοτέχνημα[6] illud tuum, quod vidi in Parthenone[7], Ahalam et Brutum? Sed quid faciat[8]? illud optime, « Sed ne is[9] quidem, qui omnium flagitiorum auctor[10], bene de nostro ».

1. *Illum*. Cæsarem. Man.

2. Vulg. *ad bonos virus* εὐαγγέλια. Sed interrogative hoc capiendum videtur. J. V. L.

3. Εὐαγγέλια. Vide II, 3 et 12.

4. *Ubi eos*. Ubi bonos viros inveniet, nisi forte ipse se suspendit, ut eos apud inferos visat? nam ejus scelere omnes boni perierunt. Bos.

5. *Ut fultum est*. Scilicet ejus imperium, milite, amicis, pecunia, etc. Græv.—Lambinus sic legendum conjicit, « ut fuit tum, est ». Tunstall. p. 22, simplicius, « ut stultum est? » quod Ernest. recepit. Sed ipse fatetur omnino hanc epistulam multis locis vitiosam esse, in quibus frustra laboretur. J.V. L.

6. Φιλοτέχνημα. « Opus ingeniose, summoque studio elaboratum », cujusmodi erant statuæ Ahalæ, et Bruti assertorum libertatis populi romani, quas Atticus habebat in Parthenone. Ubi, inquit, est opus illud artificiosum, quod ipse vidi in Parthenone tuo, quum Brutus diceret se moveri et excitari ejus adspectu ad liberandam tyrannide rempublicam, exemplo gentilis sui L. Junii Bruti, et Servilii Ahalæ? Bos. — Intelligit stemma Bruti ab Attico compositum, in quo M. Brutus a L. Bruto, qui Tarquinium expulit, et Servilio Ahala, qui Spurium Mælium occidit, deducebatur quasi a duobus tyrannicidis. Gronov.—Recte conjicit J. V. L. ex hoc stemmate explicandos nummos quosdam adhuc exstantes, in quibus capita Bruti et Ahalæ cum eorum nominibus insculpta sunt. Vid. Thesaur. Morell. Famil. Junia, I, 1. Ed.

7. *In Parthenone*. Parthenon dicebatur templum Minervæ in arce Athenarum, de quo vide Meursii Cecropiam, cap. 14. Sed hic haud dubie est pars ædium Attici, aut prætorii alicujus, vel villæ lautioris. Gron.

8. *Sed quid faciat?* Quasi dicat, nihil. Neque enim possit. Itaque foro utendum est, quum nequeat, quod instituerat, efficere. Hic Brutum excusat. Bos.

9. *Sed ne is quidem*. Verba sunt Attici ex ejus ad Ciceronem epistola repetita. Bos.

10. *Auctor*. Hirtius potius, quam

At ego verebar, ne etiam Brutus eum diligeret. Ita enim significarat iis, quas ad meas[11]. At vellem aliquid degustasse[12] de fabulis[13]. Sed coram, ut scribis. Etsi quid mi auctor es? advolone, an maneo? Equidem et in libris[4] hæreo, et illum hic excipere nolo: ad quem, ut audio, pater hodie ad Saxa Acronoma[15]. Mirum, quam inimicus ibat, ut ego objurgarem. Sed ego ipse κεκφοῦμαι[16]. Itaque posthac[17]. Tu tamen vide, quid de adventu meo censeas; et τὰ ὅλα[18], cras si perspici potuerint, mane statim ut sciam.

Cæsar. Nam is ad Cæsarem Quinto filio aditum aperuit (lib. XI, ep. 20); ut quæcunque flagitia Quintus committit, Cæsaris gratia fretus, Hirtio adscribi jure possint. MAN.

11. *Ad meas*. Rescripsit. Supple, *literas*. CORRAD. Recte *ad me*, scilicet dedit Quintus filius. Vide sup. epist. 38. GRON. — Gronovius conj. *ad me*. Frustra. J. V. L.

12. *Degustasse*. Vellem Brutus aliquid degustasset de fabulis et fictis sermonibus, quos Q. filius de me et te habuit; certe illum non amaret. POPMA. — Scribe, *degustasses*, scilicet tu patrue, Marce Cicero, vellem gustasses aliquid de suavitate sermonum, quos cum Bruto habui, dum una in Hispania sumus. GRON. — Facit cum Gronovio Mongaltius: neque alteram tamen interpretationem prorsus repudiat.

13. Victorius jubet accuratius videre, an *tabulis* legendum sit. J. V. L.

14. Al. *et in his libris*. J. V. L.

15. *Acronoma*. Quod nomen, etsi proprium sit alicujus loci, videtur tamen ex eo fictum, quod summa pars eorum saxorum a pecore depasta esset. BOS. — P. Pithœus marginem notaverat, ex ingenio, an ex vetere libro non liquet, legendum: « Ad saxa Acherontia. » GRÆV. — Lectio incerta. Pithœus conj. *Acherontia*, quod Ernestio haud absurdum videbatur. J. V. L.

16. Κεκφοῦμαι. Fluctuo, animo suspenso huc illuc impellor.

17. *Posthac*. Nihil illi dicam. CORR.

18. Τὰ ὅλα. Omnia.

EPISTOLA XLI.

De epistola ad Attici sororem Q. fratri missa, et de ratione ejus filium accipiendi. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

EGO vero Quinto epistolam ad sororem misi. Quum ille quereretur filio cum matre bellum, et se ob eam

causam domo cessurum filio diceret, dixi illum commodas ad matrem literas, ad te nullas. Ille alterum mirabatur[1]; de te autem suam culpam, quod sæpe graviter ad filium scripsisset de tua in illum injuria. Quod autem relanguisse se dicit, ego ei, tuis literis lectis, σκολιᾶς[2] ἀπάτας, significavi me non fore. Tum enim mentio Canæ[3]. Omnino, si id consilium placeret, esset necesse[5]. Sed, ut scribis, ratio est habenda gravitatis, et utriusque nostrum idem consilium esse debet: etsi in me graviores injuriæ, et certe notiores. Si vero etiam Brutus aliquid afferet, nulla[6] dubitatio est. Sed coram. Magna enim res, et multæ cautionis. Cras igitur; nisi quid a te commeatus[7].

1. *Alterum mirabatur.* Commodas ad matrem literas misisse. Man.

2. Σκολιᾶς. Vide supra, epist. 38. Jam locum hunc omnem sic putat Mongaltius esse intelligendum. Quia vero dicit Quintus frater, se jam minus esse iratum filio; lectis ego tuis literis, quibus me a sinceritate revocas, dissimulata mente *significavi*, *me* quoque *non fore* iratum. Hoc *iratum* latet in verbo *relanguisse*. Cicero non vocem respexit, sed ejus vim. Ab eo genere loquendi non abhorret epistolaris familiaritas. Oliv. — Al. habent σκολιαῖς ἀπάταις. Et sic cod. Tornæsian. J. V. L.

3. Schütz. sine MSS inserit *iratum*. J. V. L.

4. *Canæ.* Significat filiam Gellii Cani (cujus mentio supra, epist. 31), de qua nuptui danda Q. Ciceroni filio nescio quid actum fuerat. Bos.— Vulgati olim libri, *Canai*. J. V. L.

5. *Necesse.* Ut ego iracundiam meam premerem. Ed.

6. *Nulla dubitatio.* Quin placatos Quinto filio nos præbeamus. Manut.

7. *Commeatus.* Est permissio ac venia domo abeundi, aut peregre proficiscendi, aut diutius, si profectus fueris domo, remanendi. Suet. Tib. 10: « Tunc autem bonorum satietatem, ac requiem laborum prætendens commeatum petiit ». Hoc est, discedendi potestatem. Et cap. 12: « Centuriones a commeatu castra petentes ». A commeatu, est, elapso tempore, quo illis, indultu imperatoris, castris licebat abesse. Hoc ipsum quoque voluit Cicero. Cras, inquit, ad te veniam, nisi mihi scripseris me nondum desiderari, licere mihi diutius abesse. Tuæ literæ mihi commeatum facient, hoc est, longius manendi in agro potestatem. Græv. — Olim, *commotus*. Legendum autem videtur Lipsio, *commonitus;* vel, quod probabilius putat, ultima vox ad principium sequentis epistolæ ableganda est hoc modo, « Commodus venit ille ad me ». J. V. L.

EPISTOLA XLII.

Colloquium cum Q. filio habitum exponit; ad diem natalem suum Atticum invitat. Se Lepidi rogatu Romam venturum ostendit. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

VENIT ille ad me, καὶ μάλα[1] κατηφής. Et ego, Σὺ[2] δὲ δὴ τί σύννους; Rogas? inquit; cui[3] iter instet, et iter ad bellum, idque quum periculosum, tum etiam turpe. Quæ vis igitur? inquam. Æs, inquit, alienum: et tamen ne viaticum quidem. Hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquentia. Nam tacui. At ille: Sed me maxime angit avunculus. Quidnam? inquam. Quod mihi, inquit, iratus est. Cur pateris? inquam. Malo enim ita dicere, quam, cur committis? Non patiar, inquit: causam enim tollam. Et ego, Rectissime quidem. Sed si grave non est, velim scire quid sit causæ. Quia, dum dubitabam quam ducerem, non satisfaciebam matri, ita ne illi quidem. Nunc nihil mihi tanti est. Faciam quod volunt. Feliciter velim, inquam, teque laudo. Sed quando? Nihil ad me, inquit, de tempore, quoniam rem probo. At ego, inquam, censeo prius, quam proficiscaris: ita patri quoque morem gesseris. Faciam, inquit, ut censes. Hic dialogus sic conclusus est. Sed heus tu, diem meum[4] scis esse III non. jan. Aderis igitur. Scripseram jam: ecce tibi, orat[5] Lepidus ut veniam. Opinor

1. Καὶ μάλα, etc. « Et admodum tristis ».

2. Σὺ δὲ, etc. « Tu vero quid cogitabundus? »

3. *Quod* edd. omnes ante Bosium, qui e libro scr. edidit *quoi*. Probant docti. J. V. L.

4. *Diem meum*. Natalem. Lib. VII, epist. 5.

5. Præstat forte distinctio Manutii

augures nil habere ad templum effandum [6]. Eatur: μίας κόρδου [7]. Videbimus te igitur.

et aliorum, « orat Lepidus ut veniam (opinor augures nil habere) ad templum effandum ». J. V. L.

6. *Effandum.* Augurale et religiosum verbum: nam « effata sunt augurum preces », teste Servio. Ritum ex parte describit Varro, lib. VI. Jun.

7. Μίας κόρδου. Locus corruptus. Ancipiti remedio, ut in morbo desperato, suspicabatur Franc. Odinus legi posse: « Eatur. Μίας ὁδοῦ videbimus te igitur ». Quod probat Olivetus et explicat: Eamus ergo. Eadem via, eadem itione videbo te denique. Nam *igitur*, ut monet Donatus, non raro est *denique*. Quæ emendatio Ernestio videtur facillima. Sch. — Schützius plaudit Gronovio legenti, μίασμα δρυὸς, quasi hoc proverbium sit de quercu Dodonæa. Negat recte J.V. L.

EPISTOLA XLIII.

Gratias agit, quod sibi de prorogatione diei, quo Romam veniendum sit, scripserit. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sext.)

CICERO ATTICO S.

Ego vero utar prorogatione diei [1]: tuque humanissime fecisti, qui me certiorem feceris, atque ita, ut eo tempore acciperem literas, quo non exspectarem, tuque ut ab ludis [2] scriberes. Sunt omnino mihi quædam agenda Romæ; sed consequemur biduo post.

1. *Utar prorogatione diei.* Abero diem a Lepido, vel potius a te prorogatum, hujus libri epist. 34. Vel certe propter ferias concessum, hujus libri ep. 4. Corr.

2. *Ludis.* Scil. Circensibus. Ed.

EPISTOLA XLIV.

De Cæsaris statua in pompa Circensi gestata; de libris academicis Varroni datis; de Atticæ ludorum spectatione; de libris aliquot mittendis, et loco Ligarianæ corrigendo. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Suaves tuas literas! etsi acerba pompa [1]. Verumtamen scire omnia non acerbum est, vel de [2] Cotta. Populum vero præclarum, quod propter malum vicinum ne Victoriæ [3] quidem plauditur [4]. Brutus apud me fuit: cui quidem valde placebat, me aliquid ad Cæsarem. Annueram; sed pompam videret [5]. Tu tamen ausus es Varroni dare [6]? Exspecto quid judicet. Quando autem perleget? de Attica, probo [7]. Est quiddam etiam animum levari quum spectatione, tum

1. *Pompa.* Pompam intelligit Circensem, qua Cæsaris signum inter deorum signa gestatum est decreto senatus. Dio, lib. XLIII, et Sueton. in Julio. Man.

2. *Vel de Cotta.* Vel id, quod scribis de Cotta percrebrescere. Percrebuerat enim, ut ait Suetonius in Julio, L. Cottam xv-virum sententiam dicturum proximo senatu, ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse vinci, Cæsar rex appellaretur. Quæ causa conjuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Vide Divin. II, 54. Manut.

3. *Victoriæ.* Quia prope ejus signum gestabatur signum Cæsaris, mali vicini. Popma. — Deorum autem signis plaudebatur. Nautæ Neptuno, milites Marti, amatores Veneri, totus populus plaudebat Victoriæ. Vide Ovid. Am. III, eleg. 2. Græv.

4. Al. *ploditur.* J. V. L.

5. *Sed pompam videret.* Opinor hoc intelligi: Non videtur ad eum esse scribendum, qui jam colatur ut deus, quum in solemni pompa inter deorum statuas ejus quoque statua gestetur. Quidquid enim scripsero, fastidiet. In eamdem sententiam scripsit, ep. 18: « Quid tu, inquit, hunc de pompa, Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis lætaturum putas? » Manut.

6. *Dare.* Libros Academicos.

7. *Probo.* Quos ludos spectarit. Manut.

etiam religionis opinione et fama. Cottam[8] mihi velim mittas. Libonem[9] mecum habeo, et habueram ante Cascam[10]. Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiavit, quod appelletur L. Curfidius in oratione Ligariana, erratum esse meum; sed, ut aiunt, μνημονικὸν[11] ἁμάρτημα. Sciebam Curfidium peruecessarium Ligariorum; sed eum video ante esse mortuum. Da igitur, quæso, negotium Pharnaci[12], Antæo, Salvio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur[13].

8. *Cottam*. Librum Cottæ, qui, quum Cæsaris esset legatus, περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας græce scripsit. Athen. lib. VII. Man.

9. *Libonem*. Ejus annales. De hoc jam supra scripsit epist. 32. Ed.

10. *Cascam*. Cascæ librum, quamvis ea de re nihil scriptum viderimus. Illud quidem scimus, duos Servilios Cascas in Cæsarem postea conjurasse. Phil. 2. Manut.

11. Μνημονικόν. *Memoriæ peccatum*.

12. *Pharnaci*, etc. Librariis tuis. Man. — Appellatur c. 11. Neque enim Tullio morem librarii gesserunt. Vide Jac. Perizonii Animadv. Histor. c. 1.

13. *Non factum*. Sed habet Ligariana, cap. 11, *Corfinium*.

EPISTOLA XLV.

De adventu Cæsaris in epistola ejus nuntiato, et de divisione hereditatis. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Fuit apud me Lamia post discessum tuum, epistolamque ad me attulit missam sibi a Cæsare: quæ quamquam ante data erat, quam illæ Diocharinæ[1], tamen plane declarabat, illum ante ludos romanos esse venturum. In qua extrema scriptum erat, ut ad ludos omnia pararet, neve committeret, ut frustra ipse properasset. Prorsus ex his literis non videbatur esse dubium, quin ante eam diem venturus esset: idemque Balbo, quum eam epistolam legisset, videri La-

1. *Diocharinæ*. A Diochare scriptæ, Cæsaris liberto. Ep. 6, lib. XI. Man. — *Diocharinæ*. Al. legunt *illa Diocharina*. J. V. L.

mia dicebat. Dies feriarum mihi additos[2] video; sed quam multos fac, si me amas, sciam. De Bæbio poteris[3], et de altero vicino Egnatio. Quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda, currentem tu quidem : sed cum Dolabella vivendum esse istis diebus vides. Quod nisi me Torquati[4] causa teneret, satis erat dierum, ut Puteolos[5] excurrere possem, et ad tempus[6] redire. Lamia quidem a Balbo (ut videbatur) audiverat, multos nummos[7] domi esse numeratos, quos oporteret quam primum dividi[8]; magnum pondus argenti, præter prædia; auctionem primo quoque tempore fieri oportere. Scribas ad me velim, quid tibi placeat. Equidem, si ex omnibus esset eligendum, nec diligentiorem, nec officiosiorem, nec nostri studiosiorem facile delegissem Vestorio : ad quem accuratissimas literas dedi, quod idem te fecisse arbitror. Mihi quidem hoc satis videtur. Tu quid dicis? Unum enim pungit, ne negligentiores[9] esse videamur. Exspectabo igitur tuas literas.

2. *Dies feriarum mihi additos.* Nempe Brinniana auctione dilata. Conf. h. l. epist. 12, 18. Ed.

3. *Poteris.* Scire. Sic epist. 34 hujus libri. Corrad.

4. *Torquati causa.* Ut agam de ejus re cum Dolabella. Vide epist. 9 et 21. Manut.

5. *Puteolos.* Ut cretionem Cluvii Puteolani (de quo ad Div. XIII, 56), et rationem testamenti cognoscerem. Vide infra epist. 46. Man.

6. *Ad tempus.* Ut advenientem Cæsarem possim excipere. Man.

7. *Nummos.* A Cluvio relictos. Man.

8. *Dividi.* Coheredibus. Man.

9. *Negligentiores.* Qui nostram rem non agamus, alteri mandantes. Man.

EPISTOLA XLVI.

Scribit Pollicem sibi præsto fuisse; Balbum a se conventum. Petit, ut Vestorium negligentiæ accuset; de Cossinii morte dolet; Quinto fratri, si fieri possit, pecuniam delegaturum ostendit; Vestorium excusat. (In Lanuvino, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

POLLEX quidem, ut dixerat ad idus sext. ita mihi Lanuvii pridie idus præsto fuit; sed plane Pollex[1], non index. Cognosces igitur ex ipso. Balbum conveni (Lepta enim de sua vi[2] in curatione[3] laborans, me ad eum perduxerat); in eo autem Lanuvino, quod Lepido tradidit. Ex eo hoc primum[4]: « Paullo ante acceperam eas literas, in quibus magnopere confirmat[5], ante ludos romanos ». Legi epistolam: multa de meo Catone, quo sæpissime legendo se dicit copiosiorem factum; Bruti Catone lecto, se sibi visum disertum. Ex eo[6] cognovi cretionem Cluvii (o Vesto-

1. *Plane Pollex.* Nullas a Vestorio literas attulit, ut cognoscere quidquam possem de cretione Cluvii. Itaque fuit « plane Pollex, non index ». Jocus in ambiguitate nominis. Pollex enim etiam digitus in manu, quem index pone sequebatur. MAN.

2. *Sua vi.* Sua facultate, quam vellet in curatione ludorum ostendere. CORR. — Sic etiam loquutus est, Orat. I, 49: « philosophi... qui *de sua vi* ac sapientia unus omnia pæne profitetur, etc. ». ANONYM. — Pantagathus et Bosius, multis probantibus aliis, « de sua vini curatione ». Alii malunt, « de sua re ac ratione ». Gronovius, « de sua ligurritione »; Tunstallus, de συνωνύμῳ *curatione*, ut ad nomen Leptæ respiciatur, et illud curationis munus λεπτὸν appelletur. Nimis ingeniose. Fatendum tamen est vulgatam lectionem aliquanto durius explicari. J. V. L.

3. *In curatione.* Cupiebat enim Lepta sibi tradi curationem ludorum, quos Cæsar parabat ex Hispania revertens, utebaturque opera Ciceronis, qui cum Balbo et Oppio familiaribus Cæsaris conficeret, ut hoc negotium sibi committeretur. De quo agit etiam in epistola ad Leptam ipsum scripta, ad Div. VI, 20. VICT.

4. *Hoc primum.* Supple, cognovi.

5. *Confirmat.* Cæsar, se venturum.

6. *Ex eo.* Id est, ex Balbo.—Græv. conjicit *tum ex eo*, quod satis verum

rium negligentem !), liberam cretionem [7], testibus præsentibus, sexaginta diebus. Metuebam ne ille arcendus [8] esset; nunc mittendum est [9], ut meo jussu cernat. Idem igitur Pollex [10]. Etiam de hortis Cluvianis egi cum Balbo [11] : liberalius; se enim statim ad Cæsarem scripturum; Cluvium autem a T. Hordeonio legare [12] et Terentiæ H-S ↀↄↄ, et sepulcro, multisque rebus; nihil a nobis. Subaccusa, quæso, Vestorium. Quid minus probandum, quam Plotium unguentarium per suos pueros omnia tanto ante Balbo; illum mi ne per meos quidem? De Cossinio [13] doleo; dilexi hominem. Quinto delegabo, si quid æri meo alieno superabit [14], et emptionibus; ex quibus mi etiam æs alienum faciendum puto. De domo Arpini, nihil scio.

Vestorium nihil est quod accuses. Jam enim obsignata hac epistola, noctu tabellarius noster venit, et ab eo literas diligenter scriptas attulit, et exemplum testamenti.

videtur; nam *tum* absorberi potuit ab ultima syllaba in *disertum*. J. V. L.

7. *Liberam cretionem*. Libera cretio est, quum heres habet potestatem cernendi, vel per semetipsum, vel per alium, vel per epistolam. Popma.

8. *Arcendus*. Est *arcere*, ut notat Festus, *continere*, *reprimere*. Prius, inquit, metuebam, ne Vestorius, ut est diligens, officiosus, meique studiosissimus, in hereditatis cretione precipitaret nimium, et ante cerneret, quam mature considerasset omnia : contra nunc video, mittendum esse aliquem, qui ipsum excitet. Mong.

9. Ed. Rom. « non committendum est ». J. V. L.

10. *Pollex*. Puteolos remittendus. Man.

11. *Cum Balbo*. Hic interpunge : nam quod sequitur, *liberalius*, per se consistit : ut sit, liberalius respondit. Manut.

12. *A T. Hordeonio legare*. I. e. in testamento scripsisse, ut heres Hordeonius solveret Terentiæ sestertium quinquaginta millia, et sepulcrum sibi strueret, et alia multa curaret e portione sua. *Nihil a nobis*, meam portionem nullo legato oneravit. Ernest.

13. *De Cossinio doleo*. His diebus mortuo. Ed.

14. *Superabit*. Ex nummis hereditatis.

EPISTOLA XLVII.

Post alia quædam breviter tacta, se Lepidi literis commotum mox ad Urbem venturum significat. (Asturæ, anno U. C. 708, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

« POSTEAQUAM abs te[1] Agamemno, » non « ut venirem » (nam id quoque fecissem, nisi Torquatus esset[2]), sed ut scriberem, « tetigit, » omnia, quæ in manibus habebam, abjeci[3]; quod jusseras, edolavi. Tu velim e Pollice cognoscas rationes[4] nostras sumptuarias. Turpe est enim nobis, illum, qualiscumque est, hoc primo anno egere. Post moderabimur diligentius. Idem Pollex remittendus est, ut ille[5] cernat. Plane Puteolos non fuit eundum, quum ob ea, quæ ad te scripsi, tum quod Cæsar adest. Dolabella scribit se ad me postridie idus. O magistrum[6] molestum! Lepidus ad me heri

1. *Abs te*. Versum poetæ veteris trochaicum, quo Cicero hic per parodiam utitur, talem fuisse : « Posteaquam abs te, Agamemno, ut venirem tetigit nuntius », docet Casp. Scioppius. GRÆV. — Sic J. Gulielmus, Plautin. Quæst. pag. 130, versum Ennii, vel alius tragici, constituit, ut sit trochaicus catalectus, « Posteaquam abs ted, Agamemno, tetigit aures nuntius », et hoc Schütz. in textum recepit. Ita enim legitur in MSS compluribus, etsi codd. Balliol. et Helmst. non agnoscant illud *aures nuntius*. Alii habent *nuntiis*. J. V. L.

2. *Nisi Torquatus esset*. Cujus causa hic me tenet. Epist. 44. MAN.

3. *Abjeci*. Faerno redundare videbatur *abjeci*. Grævio, *omisi*.

4. *Rationes*. Rationes sumptuum, quos fecimus Athenis in Marcum filium. Nolo enim illum primo anno egere, etiamsi prodigus sit, et assignata pecunia non sufficiat. Epist. 1. POPMA.

5. *Ille*. Vestorius supra.

6. *Magistrum*. Sic etiam appellat eum ad Div. epist. 7, lib. IX, quia docebat Ciceronem, quonam modo se gereret adversus Cæsarem, et quibus maxime rebus posset illius animum recolligere. *Molestum* : quod apud Ciceronem frequentior erat; quam ille, otii cupidus, voluisset. MANUT. — Interpretor, magistrum cœnandi, qui me docebit quo cœnæ apparatu Cæsarem accipiam. In epistola ad Pætum : « Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros ». POPMA. — Facit cum Manutio Græv. cum Popma Mongaltius.

vesperi literas misit Antio; nam ibi erat: habet enim domum, quam nos vendidimus. Rogat magnopere, ut sim kal. in senatu; me et sibi, et Cæsari vehementer gratum esse facturum. Puto equidem nihil esse. Dixisset enim tibi fortasse aliquid Oppius; quoniam Balbus est æger. Sed tamen malim venire frustra, quam desiderari, si opus esset: moleste ferrem postea. Itaque hodie Antii; cras ante meridiem, domi. Tu velim, nisi te impedivisti, apud nos[7] pridie kal. cum Pilia. Te spero cum Publilio confecisse. Equidem kal. in Tusculanum recurram: me enim absente omnia cum illis transigi[8] malo. Q. fratris epistolam ad te misi, non satis humane illam quidem respondentem meis literis, sed tamen quod tibi satis sit, ut equidem existimo. Tu videbis.

7. *Apud nos*. Cœnet, ut epist. 2, lib. II. Corr.

8. *Transigi*. De dote nempe reddenda. Manut.

EPISTOLA XLVIII.

De Leptæ hereditate, et de laudatione Porciæ. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense septembri.)

CICERO ATTICO S.

Heri nescio[1] quid in strepitu videor exaudisse, quum diceres, te in Tusculanum venturum: quod utinam! iterum utinam! tuo tamen commodo. Lepta me rogat, ut, si quid sibi opus sit, accurram. Mortuus enim Babullius[2]. Cæsar, opinor, ex uncia[3]; etsi nihil adhuc[4]: sed Lepta ex triente. Veretur autem,

1. *Heri nescio*. Forte kal. septembr. quibus Cicero dimisso senatu recurrere in Tusculanum volebat. Ed.

2. *Babullius*. Qui Leptam et Cæsarem heredes instituerat. Ed. — Lamb. add. *est*. J. V. L.

3. *Ex uncia*. Est heres. Corr.

4. *Nihil adhuc*. Certi scio. Corr.

ne non liceat tenere hereditatem, ἀλόγως[5] omnino, sed veretur tamen. Is igitur si accierit, accurram; sin minus, haud antequam[6] necesse erit. Tu Pollicem, quum poteris[7].

[8]Laudationem Porciæ tibi misi correctam[9]; ac eo properavi, ut, si forte aut Domitii filio, aut Bruto mitteretur, hæc mitteretur. Id si tibi erit commodum, magnopere cures velim : et velim M. Varronis et Lollii mittas laudationem; Lollii[10] utique. Nam illam legi : volo tamen regustare. Quædam enim vix mihi credo legisse me[11].

5. Ἀλόγως. Sine ratione.

6. *Sin minus, antequam.* Sententia postulat ut legamus : «sin minus, non antequam necesse erit». GRÆVIUS. — *Haud* abest edd. pr. etiam edd. Grævii. Sed sine eo non constat sensus. Ernest. J. V. L.

7. *Quum poteris.* Scil. remitte. ED.

8. *Laudationem*, etc. In multis vett. editionibus hoc est sequentis epistolæ principium. J. V. L.

9. *Laudationem Porciæ tibi misi correctam; ac eo properari, ut*, etc. Videtur scriptum fuisse, «atque eo»; nam Cicero non solet *ac* dicere sequente vocali. Verissime id ab Ernest. observatum; sed forte in epistola minus accurata compositio. J. V. L.

10. In multis quoque legebatur *Ollii*. J. V. L.

11. Priscæ edd. nonnullæ non agnoscunt *me*. J. V. L.

EPISTOLA XLIX.

De Tigellii iniqua erga se iracundia. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense septembri.)

CICERO ATTICO S.

ATTICÆ primum salutem, quam equidem ruri[1] esse arbitror. Multam igitur salutem et Piliæ. De Tigellio, si quid novi; qui quidem, ut mihi Gallus Fabius scripsit, μέμψιν ἀναφέρει[2] mihi quamdam ini-

1. *Ruri*, etc. Al. *rure*. J. V. L.

2. Μέμψιν ἀναφέρει. *Reprehensionem, seu accusationem intendit.* Vid. ad Div. II, 24.

quissimam, me Phameæ defuisse, quum ejus causam recepissem : quam quidem receperam contra pueros Octavios Cn. filios non libenter; sed et Phameæ causa volebam. Erat enim, si meministi, in consulatus petitione per te mihi pollicitus, si quid opus esset : quod ego perinde tuebar, ac si usus essem. Is ad me venit, dixitque, judicem operam dare sibi constituisse eo die ipso, quo de Sextio nostro lege Pompeia in consilium iri necesse erat : scis enim dies illorum judiciorum præstitutos fuisse. Respondi, non ignorare eum, quid ego deberem Sextio : quem vellet, alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. Ita tum ille discessit iratus. Puto me tibi narrasse. Non laboravi scilicet, nec hominis alieni injustissimam iracundiam mihi curandam putavi. Gallo autem narravi, quum proxime Romæ fui, quid audissem, neque nominavi Balbum minorem. Habuit suum negotium Gallus[3], ut scribit. Ait illum, me animi conscientia, quod Phameam destituissem, de se suspicari. Quare tibi hactenus mando, de illo nostro[4], si quid poteris, exquiras, de me ne quid labores. Est bellum, aliquem libenter odisse, [5]quemadmodum non omnibus servire. Etsi mehercule, ut tu intelligis, magis mihi isti serviunt, si observare servire est.

3. *Habuit suum negotium Gallus.* Hac de re ita laboravit, ut ipsius res si ageretur. Duxit suum negotium. Eadem figura usus est epist. 22. MAN.

4. *De illo nostro.* Q. fratris filium sic jam designavit antea. Hoc unum, inquit, tibi mando, ut *exquiras*, et cognoscere omni modo satagas, quid sentiat dicatve de nostro illo juvene. A quo autem *exquiras?* A Tigellio, quicum acturus erat Atticus, ut apparet ex epistola, quæ hanc sequitur. MONG.

5. Addebant veteres edd. *et*, quam particulam delere suadet Manutius. Bosius e suo cod. mutavit in *est*, in quo aliquam emphasin videt, quam Ernest. non agnoscit. Lambin. autem, ex epist. ad Div. VII, 24, suspicatur hic lacunam esse librariorum culpa natam quam sic explere tentat ipsis Tullii verbis de eodem negotio, « et quemadmodum non omnibus dormire, ita non omnibus servire ». Hanc emendationem recepit Sch. J. V. L.

EPISTOLA L.

De epistola ad Cæsarem scripta; de Vestorii negotio; de conventu Cæsaris; de Tigellio; de obviam itione Cæsari. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense septembri.)

CICERO ATTICO S.

Admonitus quibusdam tuis literis, ut ad Cæsarem uberiores literas mittere instituerem, quum mihi Balbus nuper in Lanuvino dixisset, se et Oppium scripsisse ad Cæsarem, me legisse libros contra Catonem, et vehementer probasse; conscripsi de his ipsis libris epistolam Cæsari, quæ deferretur ad Dolabellam: sed ejus exemplum misi ad Oppium et Balbum, scripsique ad eos, ut tum deferri ad Dolabellam juberent meas literas, si ipsi exemplum probassent. Ita mihi rescripserunt, nihil umquam se legisse melius, epistolamque meam jusserunt dari Dolabellæ. Vestorius ad me scripsit, ut juberem mancipio[1] dari servo suo[2], pro mea parte, Hetereio cuidam, fundum Brinnianum; ut ipse ei Puteolis recte mancipio dare posset. Eum servum, si tibi videbitur, ad me mittes: opinor enim, ad te etiam scripsisse Vestorium. De adventu Cæsaris idem, quod ad te, mihi scriptum est ab Oppio et Balbo. Miror te nihildum cum Tigellio, vel ut hoc ipsum, quantum acceperit: prorsus aveo scire, nec tamen flocci facio. Quæris, quid cogitem de obviam itione; quid censes, nisi Alsium? et quidem ad Murenam de hospitio scripse-

1. *Mancipio dari.* Vendi lege mancipii. *Pro mea parte:* nam etiam ad alios, quos heredes cum Cicerone Brinnius reliquerat, is fundus pertinebat. Confer. epist. 13 hujus libri. Manut.

2. Hotoman. Observ. V, 5, correxit « mancipio dare servum suum ». Sch. probavit. J.V. L.

ram; sed opinor cum Matio profectum. Sallustius[3] igitur urgebitur. Scripto jam superiore versiculo, Eros mihi dixit, sibi Murenam liberalissime respondisse. Eo igitur utamur; nam Silius culcitas non habet; Dida autem, opinor, hospitibus totam villam concessit.

3. *Sallustius.* Schütz. et hic et infra *Silius.* Man. utrobique *Sallustius.* Ed.

EPISTOLA LI.

De epistola ad Cæsarem scripta; de Atticæ valetudine; de Tigellio; de Q. filii adventu. (In Tusculano, anno U. C. 708, mense sept.)

CICERO ATTICO S.

Ad Cæsarem quam misi epistolam, ejus exemplum fugit me tum tibi mittere, nec id fuit, quod suspicaris, ut me puderet tui, ne ridicule hemicillus[1]: nec mehercule scripsi aliter, ac si πρὸς ἴσον[2] ὅμοιόνque scriberem. Bene enim existimo de illis libris, ut tibi coram. Itaque scripsi, et ἀκολακεύτως[3], et tamen sic,

1. *Hemicillus.* Olim vitiose *micillus.* Bosius, approbante Grutero, reposuit *Hemicillus*, quod interpretatur ex græco ἡμικιλλὸς, *semiasinus*, vel ἡμίονος. Admittat, si quis vult, atque ex hac emendatione ceteras æstimet, quibus describendis abstineo. Quum igitur non haberem quos hic sequerer, volui a doctore meo Fr. Odino per literas expiscari, quonam modo possem ex difficili loco emergere. Is, ubi *Micillus* est, putat Cicer. scripsisse μικκύλος, *parvulus, humilis, demissus*: sententia facili sane, aperta. Si ejus, inquit Cicero, epistolæ, quam dedi ad Cæsarem, tibi exempla non misi, non ea feci causa, quam tu suspicaris, quod me puderet tui, nollemque a te videri sic ad Cæsaris abjectus pedes, et *ridicule* parvulus. Non enim summisi memet, neque ita scripsi ut inferior ad superiorem, sed omnino ut æqualis ad æqualem. Conjecturam hanc, opinatur Oliv. criticis valde probandum iri. Hanc certe sequitur in interpretatione Mongalt. et J. V. L. Tentatus a multis locus. Bosii nunc recepta lectio. Tunstallus, *Fui*, *nec ridicule*, ἡμίκαλος. Schütz. ex Odino apud Olivetum, edidit, *ne ridicule* μικκύλος, *ut me puderet tui.* Ed.

2. Πρὸς ἴσον ὁμοιόνque. Ad æqualem similemque.

3. Ἀκολακεύτως. Citra assentationem.

ut nihil eum existimem lecturum libentius. De Attica nunc demum mihi est exploratum. Itaque ei de integro gratulare. Tigellium totum mihi, et quidem quam primum; nam pendeo animi. Narro tibi, Quintus cras[4]. Sed ad me, an ad te, nescio. Mihi scripsit Romam[5] VIII kal. Sed misi, qui invitaret: etsi hercle jam Romam veniendum est, ne ille[6] ante advolet.

4. *Quintus cras.* Quinti filius cras venturus est. Corr.

5. *Romam.* Se venturum. Idem.

6. *Ille.* Cæsar.

EPISTOLA LII.

Narrat Cæsarem a se hospitio acceptum, hospitemque tam gravem sibi tamen molestum non fuisse. (In Puteolano, anno U. C. 708, mense decembri.)

CICERO ATTICO S.

O hospitem mihi tam gravem[1]! ἀμεταμέλητον; fuit enim perjucunde. Sed quum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa ita completa militibus est, ut vix triclinium, ubi cœnaturus ipse Cæsar esset, vacaret: quippe hominum CIƆ CIƆ[2]. Sane sum commotus[3], quid futurum esset postridie: ac mihi Barba Cassius[4] subvenit; custodes dedit. Castra in agro; villa defensa est. Ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam[5] VII, nec quemquam admisit. Rationes opinor cum Balbo. Inde ambulavit in litore.

1. *Gravem.* Timebat Cicero, ne Cæsar, quem hospitio excepturus erat, sibi gravis et molestus hospes esset. Sed periculo facto, eum facilem agnovit. Idcirco ait, « O mihi hospitem tam gravem! » quasi dicat, quem mihi valde gravem fore putabam, is mihi minime molestus fuit. Itaque subjungit, ἀμεταμέλητον, quod eum *non pœniteret* hospitio illum accepisse. Bosius.

2. Olim vulgabatur CCCCM. Emendavit Victorius. J. V. L.

3. *Sum commotus.* Quia Cæsar postridie apud me cœnaturus erat.

4. *Barba Cassius.* Philip. XIII. Corr.

5. Vict. e MSS ita correxit pravam lectionem, *ad* IIX *nonas*. J. V. L.

Post horam VIII in balneum; tum audivit de Mamurra[6]; vultum non mutavit. Unctus est; accubuit; ἐμετικὴν[7] agebat. Itaque et edit, et bibit ἀδεῶς[8] et jucunde; opipare sane, et apparate: nec id solum,

> Sed bene cocto [9], et
> Condito sermone bono, et, si quæri'[10], libenter.

Præterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν[11] valde copiose. Libertis minus lautis, servisque nihil defuit. Nam lautiores eleganter accepti. Quid multa? homines visi sumus. Hospes tamen non is, cui diceres, Amabo te, eodem ad me, quum revertere. Semel satis est. Σπουδαῖον οὐδὲν[12] in sermone; φιλόλογα[13] multa. Quid quæris? delectatus est, et libenter fuit. Puteolis se aiebat unum diem fore, alterum ad Baias.

Habes hospitium, sive ἐπισταθμίαν[14] odiosam, mihi, dixi, non molestam. Ego paullisper hic, deinde in Tusculanum. Dolabellæ villam quum præteriret, omnis armatorum copia, dextra sinistra ad equum, nec usquam alibi. Hoc ex Nicia[15].

6. *Mamurra*. Quum et Mamurram, et seipsum a Catullo versibus perstrictum intellexit, non est tamen perturbatus. Suet. Corr. — Vide Catull. epigr. XXX.

7. Ἐμετικήν. Hoc est, vomere volebat. Vide Orat. pro Dejotaro, cap. 7. Ex quo intelligitur post cœnam ad vomitum isse homines, ut cibo alvum exonerarent, ne large sumptus noceret. Adde Casaub. ad Sueton. Vitell. 13; Senecæ. consol. ad Helviam, c. 9. Man. — Sed est verisimilius Cæsarem vomuisse mane; nam id fecit, quod tum imperabant medici: « qui mane vomuit, ambulare debet, tum ungi, deinde cœnare ». Celse, I, 3. Pantagathus suadet *egerat* pro *agebat*. Ed.

8. Ἀδεῶς. Fidenter, copiose.

9. *Sed bene cocto*. Verba Lucilii poetæ, quæ adducuntur lib. II de Fin. c. 8.

10. *Quæri'*. Pro *quæris*. Postrema litera, ut carminis ratio constet, eliditur: cujusmodi multa apud veteres.

11. Οἱ περὶ αὐτόν. Qui in ejus comitatu.

12. Σπουδαῖον οὐδέν. Serium nihil.

13. Φιλόλογα. Erudita, literata. Ed.

14. Ἐπισταθμίαν. *Hospitii procurationem*. Habes, inquit, odiosam ἐπισταθμίαν, id est, quam ego initio, ut gravem, oderam et refugiebam; quæ tamen mihi, ut dixi, molesta non fuit.

15. *Hoc ex Nicia*. Audivi ex Curtio Nicia grammatico Dolabellæ familiari.

ARGUMENTUM

LIBRI DECIMI ET QUARTI.

Tres amplius menses nullæ exstant scriptæ literæ: ex tertiis videlicet Saturnalibus, quæ fuerunt XII jan. ad post. id. martias, quo die Cæsar occisus est. Occisus est autem, ut Velleius ait, quum quinque menses post reditum ex Hispania Romæ fuisset. Scriptæ sunt autem hæ, M. Antonio, et P. Cornelio Dolabella coss. Nam is, interfecto Cæsare, fasces statim, ut ait Paterculus, et insignia consulatus sibi arripuit, antea designatus ab illo, quem sibi substitueret, in Parthos proficiscens. Continent vero potissimum reip. tempestates, quæ, illo cæso, consequutæ sunt. Cicero quidem primis illis diebus, quum senatum in suam sententiam perduxisset, ut communis concordiæ causa, injuriarum memoria sempiterna oblivione tolleretur, Roma egressus est in suas villas, unde dedit has literas, modo spei, modo desperationis plenas. Privatim vero continent querelam de ementitis actis Cæsaris: factum Dolabellæ: de Amatio humillimæ sortis homine, qui ausus fuerat in C. Marii nomen invadere, seque pro nepote illius gerere: et domestica quædam privatius. Datæ sunt post. id. mart. ad XVI circiter kal. junii.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD ATTICUM
LIBER DECIMUS ET QUARTUS.

EPISTOLA I.

Refert quæ Matius, ad quem deverterat, dixerit. (In suburbano, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Deverti ad illum[1], de quo tecum mane. Nihil perditius[2]: explicari rem non posse. Etenim si ille[3] tali ingenio exitum non reperiebat, quis nunc reperiet? Quid quæris? periisse omnia aiebat; quod haud scio an ita sit: verum ille gaudens; affirmabatque minus diebus xx tumultum Gallicum; in sermonem se post idus mart. præterquam Lepidi, venisse neminis; ad summam, « non posse isthæc siç abire[4] ». O prudentem[5] Oppium! qui nihilo minus illum desiderat, sed

1. *Ad illum.* Sine dubio Matium intelligit: quem aperte nominat duabus epistolis, quæ post proximam inferiorem leguntur. Et, si loca conferas inter se, Matium hic significari, non obscure videbis: quem quidem et Calvenam, et Madarum, ficto nomine, appellat ep. 5 et 9. Man.

2. *Nihil perditius.* Aiebat, subintelligitur: ut sit sensus: republica nihil aiebat esse perditius, nihil desperatius; periisse omnia. Augurabatur quanta perturbatio esset sequutura. Ed.

3. *Ille.* Cæsar, interfectus id. mart.

4. Forte ex Andria, I, 2, 4: « Mirabar, hoc si sic abiret ». J. V. L.

5. Nescio an melius *pudentem.* Ernest. J. V. L.

loquitur nihil, quod quemquam bonum offendat. Sed hæc hactenus. Tu, quæso, quidquid novi (multa autem exspecto) scribere ne pigrere. In his, de Sexto[6] satisne certum; maxime autem de Bruto nostro: de quo quidem ille, ad quem deverti, Cæsarem solitum dicere, « Magni refert, hic quid velit: sed quidquid volt, valde volt[7]; » idque eum animadvertisse, quum pro Dejotaro Niceæ[8] diceret[9]; valde vehementer eum visum et libere dicere; atque etiam (ut enim quidquid succurrit, libet scribere) proxime, quum Sextii rogatu apud eum[10] fuissem, exspectaremque sedens, quoad vocarer, dixisse eum, « Ego dubitem, quin summo in odio sim, quum M. Cicero sedeat, nec suo commodo me convenire possit? Atqui si quisquam est facilis, hic est: tamen non dubito, quin me male oderit ». Hæc et ejusmodi multa. Sed ad propositum. Quidquid erit non modo magnum, sed etiam parvum, scribes. Equidem nihil intermittam.

6. *De Sexto*. Pompeio; eum in armis esse. Ep. 4 et 13. Popma.

7. Sic multi MSS. Alii, *vult;* alii, ut Lallem. e MSS regiis, *volet*. J.V. L.

8. *Niceæ*. Quo Cæsari obviam profectus videtur ep. 37, lib. XIII. Quæ civitas in Liguribus ponitur a Plin. lib. V, c. 32. Corr. — Malit tamen J. V. L. intelligere de Nicea in Bythinia; nam vix putat Brutum Cæsari obvium fuisse usque ad Niceam Ligurum. Ed.

9. Sic Longolii liber, quod Ursino jam placebat. Fere omnes edd. *dixerit*. J. V. L.

10. *Apud eum*. Quum ad Cæsarem venissem, ut agerem cum eo de P. Sextio. Man.

EPISTOLA II.

Duobus Attici epistolis respondet. (In suburbano, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Duas a te accepi epistolas heri. Ex priore theatrum Publiumque [1] cognovi; bona signa consentientis multitudinis. Plausus vero L. Cassio [2] datus, etiam facetus mihi quidem visus est. Altera epistola de Madaro [3] scripta; apud quem nullum φαλάκρωμα [4], ut putas. Processi [5] enim, sed minus: diutius sermone enim sum retentus. Quod autem ad te scripseram, obscure fortasse, id ejusmodi est: aiebat, Cæsarem

1. *Theatrum Publiumque.* Hoc est, theatri plausum, et Publii mimi dicta. De Publio Macrobius, Saturn. lib. II, 7, et Gellius, XVII, 14.

2. *L. Cassio.* Is fuit tribunus plebis, C. Cassii frater, ejus, qui Cæsarem occiderat. Man.

3. *Madaro.* Id est, Matio, qui erat calvus. Hoc autem Græcis μαδαρός. Jun.

4. Φαλάκρωμα. Bis in eadem epistola hoc verbo usus est: *apud Madarum nullum est* φαλάκρωμα. Post: *habes* φαλάκρωμα *inimicissimum otii.* Jam in posteriori loco φαλάκρωμα esse ipsum Matium, quem propter calvitiem ita appellat, facile intelligitur. In priori alio sensu est: nempe φαλάκρωμα est quoque *promontorium* ob saxa qui ex longinquo alba videntur. Φαλὰ τὸ ἄκρον. Ludit igitur in ambiguitate verbi, et dicit apud Matium nullam esse tutam stationem. Ed. — Ernestius conjicit, Atticum scripsisse, Matium pacis otiique amicum et studiosum fore. Probat igitur *nullum* φαλάκρωμα intelligi *pacis otiique studium.* Calvorum capita similia cælo sereno et tranquillo. Unde apud Suidam est φαλακρωτέρως εὐδίας, quod jam e Demetrii Phalerei libello de elocutione laudavit Bosius. Hinc φαλάκρωμα pro tranquillitate, et otio dici potuit. J. F. Gronovii σαλακώνισμα non placet. Manifestum enim est, Ciceronem et Atticum pro more suo in Matii calvitie ludere voluisse. — Habent *ut putas* edd. pr. et MSS Grævii. Bosius e suo cod. induxit *ut putat*, quemadmodum et φαλάκρωμα pro vulg. σαλάκωμα. Illud retinemus. J. V. L.

5. *Processi.* A Matio, ad quem diverteram, ulterius progressus sum: quamquam tantum in via procedere nequivi, quantum voluissem; nam ille me diutius suo sermone remoratus est. Bosius.

secum, quo tempore Sextii rogatu veni ad eum, quum exspectarem sedens, dixisse : « Ego nunc tam sim stultus, ut hunc ipsum facilem[6] hominem, putem mihi esse amicum, quum tamdiu sedens meum commodum exspectet? » Habes igitur φαλάκρωμα[7], inimicissimum otii, id est, Bruti. In Tusculanum hodie, Lanuvii cras; inde Asturæ cogitabam. Piliæ paratum est hospitium : sed vellem Atticam (verum tibi ignosco[8]); quarum utrique salutem.

6. *Facilem*. Scribe, *tam facilem hominem*. MURET. — Sed non est necesse.

7. Φαλάκρωμα. Vide supra not. 4.

8. *Tibi ignosco*. Si tam dulcem filiam tecum vis retinere. IDEM.

EPISTOLA III.

Breviter de publicis quibusdam et privatis negotiis. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

TRANQUILLÆ tuæ quidem literæ; quod utinam diutius! nam Matius posse negabat. Ecce autem structores nostri[1] ad frumentum profecti, quum inanes rediissent, rumorem afferunt magnum, Romæ domum ad Antonium frumentum omne portari : πανικὸν[2] certe; scripsisses enim. Corumbus Balbi[3] nullus adhuc; et[4] mihi notum nomen : bellus enim esse dicitur architectus. Ad obsignandum[5] tu adhibitus non sine causa videris. Volunt enim nos ita putare. Nescio

1. *Structores nostri*. Ii, quorum hic utor opera ad villam ædificandam. MANUT.

2. Πανικόν. « Inanis terror ».

3. *Corumbus Balbi*. Subintellige, servus. *Nullus adhuc*. Nondum ad me venerat. ED.

4. Pro *et* Ernest. conjiciebat *sed;* Schütz. conjecturam in textum admisit. J. V. L.

5. *Ad obsignandum*. Testamenta. *Tu adhibitus*. A quibusdam Cæsarianis. *Non sine causa*. Ut tu hoc mihi indices. CORR.

cur[6] non animo quoque sentiant. Sed quid hæc ad nos? Odorare tamen Antonii διάθεσιν[7] : quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quam quidquam mali cogitare. Tu, si quid pragmaticon[8] habes, scribe : sin minus, populi ἐπισημασίαν[9], et mimorum dicta perscribito. Piliæ et Atticæ salutem.

6. *Nescio cur.* Quum isti me heredem faciant, et hac re se mihi amicos esse ostendant, nescio, cur non animo quoque idem sentiant, et ita vere sint amici. Hoc, inquam, nos volunt putare. Corr.

7. Διάθεσιν. « Animum, et quasi voluntatem ».

8. Melius forte Græcis literis, πραγματικόν. J. V. L.

9. Ἐπισημασίαν. Significationem, plausum in theatro. Ed.

EPISTOLA IV.

Dolet non una cum libertate rempublicam recuperatam. (Lanuvii, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Nunc quid putas me Lanuvii[1]? at ego te istic quotidie aliquid novi suspicor. Tument negotia. Nam quum Matius[2], quid censes ceteros? Equidem doleo, quod numquam in ulla civitate accidit, non una cum libertate rempublicam recuperatam. Horribile est, quæ loquantur, quæ minitentur. Ac vereor Gallica etiam bella; ipse Sextus[3] quo evadat. Sed omnia licet concurrant, idus martiæ consolantur[4]. Nostri autem ἥρωες[5], quod per ipsos[6] confici potuit, glorio-

1. *Putas me Lanuvii.* Novi habere. Manut.

2. *Quum Matius.* Lib. IX, ep. 6 : « Matius ad me venit, homo, ut mihi visus est, temperatus, et prudens : existimatus quidem est semper auctor otii ». Dicit igitur : quum Matius, quem studiosum reipublicæ putabamus, is nunc inimicissimus otii sit, quid censes ceteros? Man.

3. *Sextus.* Sextus Pompeius.

4. *Idus martiæ consolantur.* Quod in his interfectus sit tyrannus. Corr.

5. Ἥρωες. *Heroes*, Brutus, Cassius, etc.

6. Al. *se ipsos.* J. V. L.

sissime et magnificentissime confecerunt : reliquæ res opes et copias desiderant, quas nullas habemus. Hæc ego ad te, ut, si quid novi (nam quotidie aliquid exspecto), confestim ad me: et, si novi nihil, nostro more tamen ne patiamur intermitti literulas. Equidem non committam.

EPISTOLA V.

Exponit quæ sibi de republica metuenda esse videantur. (Asturæ, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

SPERO tibi jam esse, ut volumus, quoniam quidem ἠσίτησας[1], quum leviter commotus esses: sed tamen velim scire, quid agas. Signa bella, quod Calvena[2] moleste fert, se suspectum esse Bruto. Illa signa non bona, si cum signis[3] legiones veniunt e Gallia. Quid tu illas putas, quæ fuerunt in Hispania, nonne idem[4] postulaturas? quid, quas Annius transportavit[5]? Caninium volui, sed μνημονικὸν[6] ἁμάρτημα. Ab aleatore[7] φυρμὸς[8] πολύς. Nam ista quidem Cæsaris libertorum conju-

1. Ἠσίτησας. Cibo abstinuisti.

2. *Calvena*. Matius. *Suspectum* : quasi Cæsarianum, et reipublicæ, id est, libertati, non amicum. Cur autem signa bella dicit esse, quod Matius moleste ferret, se suspectum esse Bruto? quia, quum de Bruti gratia Matius laboraret, apparebat eum Cæsarianorum partibus diffidere, ut infirmis. MANUT.

3. *Cum signis*. Hoc, quod ad sententiam spectat, minime necessarium videbatur (quis nescit sua cuique legioni esse signa?); sed addidit, ut quasi jocaretur ambiguo *signorum* nomine. MANUT.

4. *Idem*. Rumor enim erat, legiones, quæ in Gallia fuerant præsidii causa, Romam venire, postulaturas, ut promissum sibi a Cæsare solveretur. MAN.

5. *Transportavit*. In Græciam jussu Cæsaris expeditionem in Dacos, et inde in Parthos destinantis. MAN.

6. Μνημονικόν. Peccatum memoriæ.

7. *Ab aleatore*. A M. Antonio, consule. Conferatur cum hoc loco Philipp. II, 23. ED.

8. Φυρμὸς πολύς. Perturbatio magna.

ratio[9] facile opprimeretur, si recta saperet Antonius[10]. Meam stultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere viderer hunc rerum tumorem; cui certe si possem mederi, deesse non deberem. Sed vides magistratus, si quidem illi magistratus : vides tamen tyranni satellites in imperiis; vides ejusdem exercitus, vides in latere[11] veteranos; quæ sunt εὐρίπιστα[12] omnia : eos[13] autem, qui orbis terræ custodiis non modo septi, verum etiam magni esse debebant[14], tantum non laudari atque amari, sed[15] parietibus contineri. Atqui illi quoquo modo beati; civitas misera. Sed velim scire, quid adventus Octavii; num qui concursus ad eum, num quæ νεωτερισμοῦ[16] suspicio. Non puto equidem : sed tamen quidquid est, scire cupio. Hæc scripsi ad te proficiscens Astura III idus.

9. *Conjuratio*. In sepultura, et busto faciendo. Corrad. Vide Philip. I.

10. Nomen hoc videtur esse ab interprete; nam est in *aleatore*. Ernest. J. V. L.

11. *In latere*. Nam agri Campani partem incolebant a Cæsare assignatam. Hos quingenis denariis Octavianus in suas postea partes traduxit, lib. XVI, ep. 7. Man.

12. Εὐρίπιστα. *Mobilia*, qualis Euripus, et fortuna, quæ τύχη εὔριπος proverbio dicitur. Corr. — Legend. ἀνέλπιστα *omnia*. Muret. — Sed hic non est quod de Euripo cogitemus. Εὐρίπιστα est a ῥιπίζειν; et sic dicuntur quæ facile sufflari possunt, ut majus incendium, seu periculosi motus erumpant. Ed.

13. *Eos*. Maxime Brutum, et Cassium.

14. Manutius conjicit, « vagi esse debebant ». J. V. L.

15. Rectius esset, « se parietibus continere ». J. V. L.

16. Νεωτερισμοῦ. Rerum novarum.

EPISTOLA VI.

Queritur Cæsaris quidem interfectores laudari, tyranni tamen facta defendi. (Fundis*, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

PRIDIE idus Fundis accepi tuas literas cœnans. Primum igitur melius[1] esse; deinde meliora te nuntiare. Odiosa illa enim fuerant, legiones venire. Nam de Octavio susque deque[2]. Exspecto quid de Mario[3]: quem quidem ego sublatum rebar a Cæsare. Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata[4] non incommodum. Sed tamen adhuc me nihil delectat præter idus mart. Nam, quoniam Fundis sum cum Ligure nostro, discrucior, Sextilii fundum[5] a verberone Curtilio possideri: quod quum dico, de toto genere dico. Quid enim miserius, quam ea nos tueri, propter quæ illum oderamus? Etiamne consules et tribunos plebis in biennium, quos ille[6] voluit? Nullo modo reperio, quemadmodum possim πολιτεύεσθαι[7]. Nihil enim tam σόλοικον[8], quam τυραννοκτόνους[9] in cælo esse, tyranni facta defendi. Sed vides consules, vides reliquos magistratus, si isti magistratus; vides lan-

* *Fundis.* Inter Formias et Tarracinam in agro Cæcubo. ED.

1. *Melius.* Te rectius valere. MAN.

2. *Susque deque.* Supple, habeo. Id est, non laboro. MAN. — Sic MSS Victoriani. Antea legebatur, « scis quæ exspecto ». J. V. L.

3. *De Mario.* Infra, ep. 8.

4. *Pro re nata.* Ut se res habent.

5. *Fundum.* Quem Cæsar ademptum Sextilio, qui Pompeianas partes sequutus erat, Curtilio tradiderat. MAN.

6. *Quos ille.* Quos Cæsar designavit? Cæsar enim, contra Parthos profecturus, consules et tribunos plebis designavit in biennium. Dio, lib. XLIII. MANUT.

7. Πολιτεύεσθαι. Remp. administrare.

8. Σόλοικον. Vitiosum, absurdum.

9. Τυραννοκτόνους. Tyrannicidas ad cælum efferri laudibus.

guorem bonorum. Exsultant lætitia in municipiis: dici enim non potest, quanto opere gaudeant, ut ad me concurrant, ut audire cupiant verba mea ea de re[10]; nec ulla interea decreta[11]. Sic enim πεπολιτεύμεθα[12], ut victos[13] metueremus. Hæc ad te scripsi apposita secunda mensa; plura et πολιτικώτερα[14] postea: et tu, quid agas, quidque agatur.

10. *De re.* De nece Cæsaris. Man.

11. *Decreta.* Senatus, quæ Brutum et Cassium defendant. Ed.

12. Πεπολιτεύμεθα. Rempublicam gessimus.

13. *Victos.* Cæsarianos, Antonium præsertim. Sch.

14. Πολιτικώτερα. Ad reipublicæ administrationem magis pertinentia postea scribam. Ed.

EPISTOLA VII.

Quærit, ubi Brutus futurus sit, ac de literis filii sui, suoque in Græciam proficiscendi consilio scribit. (In Formiano, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Postridie idus Paullum in Caieta[1] vidi. Is mihi de Mario et de republica alia quædam sane pessima. A te scilicet nihil[2]: nemo enim meorum. Sed Brutum nostrum audio visum sub Lanuvio. Ubi tandem est futurus? nam quum reliqua, tum de hoc scire aveo omnia. Ego e Formiano exiens xvii kal. ut inde altero die in Puteolanum, scripsi hæc. A Cicerone mihi literæ sane πεπινωμέναι[3], et bene longæ. Cetera autem vel fingi possunt; πῖνος[4] literarum significat doctio-

1. *In Caieta.* Alii, *Caietæ*; alii, *in Caietano.* Vide VIII, 3.

2. *Nihil.* De his rebus tu nihil ad me dedisti literarum: nec mirum: nemo enim meorum Roma profectus est, cui dare posses. Man.

3. Πεπινωμέναι. Elegantes.

4. Πῖνος. Nitor, elegantia dictionis. — Recurrit hæc vox XII, 6: « Quod erat εὔπινὲς et urbanum »; XV, 16: « literæ πεπινωμένως scriptæ »; XV, 17: « φιλοστόργως et εὐπινῶς ». Sed de hoc verbo apud Dionysium Halicarnassensem multæ inter doctos ortæ sunt

rem. Nunc magnopere a te peto, de quo sum nuper tecum loquutus, ut videas ne quid ei desit. Id quum ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationem et dignitatem; quod idem intellexi tibi videri omnino. Si ergo est[5], volo mense quintili in Græciam : sint omnia faciliora. Sed quum sint ea tempora, ut certi nihil esse possit, quid honestum mihi sit, quid expediat, quid liceat; quæso, da operam, ut illum quam honestissime copiosissimeque tueamur. Hæc et cetera, quæ ad nos pertinebunt, ut soles, cogitabis; ad meque, aut quod ad rem pertineat, aut, si nihil erit, quod in buccam venerit, scribes.

controversiæ. E quibus Hardionis sententiam, εὔπινὲς, purum, simplex, concinnum explicantis, J. V. L. in notis amplectitur. Ed.

5. *Si ergo est.* Sc. unde utar; si argentum mihi suppetierit in sumptus itineris. Sic Græv. et Gronov. Ed. — Bosius, *si* ἀγὼν *est.* J. V. L.

EPISTOLA VIII.

Respondet Attici literis, de iis potissimum quæ nuper de republ. resciverat, petitque ut de omnibus diligenter perscribat. (In Sinuessano, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Tu me jam rebare, quum scribebas, in actis[1] esse nostris : et ego accepi XVII kal. in deversoriolo Sinuessano tuas literas. De Mario[2] probe : etsi doleo[3] L. Crassi nepotem. Optime tam etiam Bruto nostro

1. *In actis.* Id est, in litoribus nostris. Cicero enim prædia habebat mari finitima, ut Pompeianum, et Cumanum. Bosius. — Maluisset Muretus, « in agris esse nostris ». — Servandum *actis.* Usurpat quoque hanc vocem Noster in Verr. V, 25, 31; et Virgil. Æn. V, 613 : « At procul in sola secretæ Troades acta ». Ed. — Male olim, *in agris.* J. V. L.

2. *Mario.* Pseudomarium intelligit, qui ab Antonio interfectus est. Bos.

3. *Doleo.* Εἰρωνικῶς, quasi Pseudomarius nepos fuerit L. Crassi, quod pro certo habendum erat, si is γνήσιος C. Marii filius exstitisset. Bos.

probari Antonium[4]. Nam quod Juniam scribis moderate et amice scriptas[5] literas attulisse, mihi Paullus dedit ad se a fratre missas : quibus in extremis erat, sibi insidias fieri; se id certis auctoribus comperisse. Hoc nec mihi placebat[6], et multo illi minus. Reginæ[7] fuga mihi non molesta. Sed Clodia[8] quid egerit, scribas ad me velim. De Byzantiis curabis, ut cetera; et Pelopem[9] ad te arcesses. Ego, ut postulas, Baiana[10] negotia, chorumque[11] illum, de quo scire vis, quum perspexero, tum scribam; ne quid ignores. Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, vehementer exspecto : ea scilicet tu declarabis, qui cetera. Nauseolam tibi tum causam otii dedisse facile patiebar : videbare[12] enim mihi legenti tuas literas requiesse paullisper. De Bruto semper ad me omnia perscribito, ubi sit, quid cogitet : quem quidem ego spero jam tuto vel solum tota urbe vagari posse. Verumtamen[13].

4. *Antonium*. Factum Antonii in tollendo isto Mario. Philip. I. Corr.

5. *Scriptas*. A M. Lepido, Juniæ Bruti sororis marito, fratre L. Æmilii Pauli : ex Gallia transalpina, ubi cum exercitu erat. Ad Div. X, 34. Popma.

6. *Nec mihi placebat*. Cicero interpretabatur hoc fingere Lepidum, ut causam tumultuandi et secedendi a bonis haberet. J. F. Gron.

7. *Reginæ*. Cleopatræ, Ægypti reginæ : quam Cæsar amavit, filiumque natum appellare suo nomine passus est. Man.

8. *Clodia*. Lib. II, ep. 37. Corr.

9. *Pelopem*. Byzantinum, ad quem Cicero græce scripsit. Plut. in Cicer. Tunc fortasse Byzantiorum negotia Romæ procurabat. Corr.

10. *Baiana negotia*. Hæc dicit per ironiam. Nulla ibi negotia : sed est civitas otiosorum. Suet. Aug. 98. J. F. Gronov.

11. *Chorumque*. Turbam quæ illic versatur voluptatis causa. Nam chorus proprie symphoniacorum, aut saltantium in sacris. J. F. Gron.

12. *Videbare*. Sententia hæc est : Te fastidio ciborum et propensione ad vomitum leviter tentatum abstinuisse propterea a negotiis, et corpori curando vacasse, non ægre ferebam. Videbar enim mihi agnoscere in tuis literis, te novo quodam impetu post receptas vires ad scribendum venisse. J. F. Gron.—Sic omnino legendum, ut jam Corradus, Gronov. al. censuerunt. Vulg. *Videbar*. J. V. L.

13. *Verumtatem*. Ne nimis fidat. J. F. Gron. — Subaudi, scribito ad me ubi sit, et quid cogitet. Gronovii emendationem probamus. Ed.

EPISTOLA IX.

Breviter primum de domesticis, deinde de publicis rebus. (Puteolis, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

De republica[1] multa cognovi ex tuis literis, quas quidem multijuges[2] accepi uno tempore a Vestorii liberto. Ad ea autem, quæ requiris, brevi respondebo. Primum vehementer me Cluviana[3] delectant. Sed quod quæris, quid arcessierim Chrysippum[4]; tabernæ mihi duæ corruerunt, reliquæque rimas agunt. Itaque non solum inquilini, sed mures etiam migraverunt[5]. Hanc ceteri calamitatem vocant; ego ne incommodum quidem. O Socrates, et Socratici viri! numquam vobis gratiam referam. Dii immortales, quam mihi ista pro nihilo! Sed tamen ea ratio ædificandi initur, consiliario quidem et auctore Vestorio, ut hoc damnum quæstuosum sit. Hic turba magna est, eritque, ut audio, major. Duo quidem quasi designati consules. O dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit! ejus interfecti[6] morte lætamur, cujus facta defendimus! Itaque quam severe nos M. Curtius[7] accusat, ut pudeat vivere: neque injuria; nam mori millies præstitit, quam hæc pati, quæ mihi

1. Hæc duo verba superiori adhærent epistolæ in vett. edd. J. V. L.

2. *Multijuges.* Hoc est, plures.

3. *Cluviana.* A Cluvio relicta, quæ erant in Puteolano. Corr.

4. *Chrysippum.* Architectum.

5. *Mures etiam migraverunt.* Opinio vetus quæ etiamnunc obtinet. Plin. VIII, 28. Ed.

6. E Ciceroniana forma debebat esse, « cujus interfecti morte lætamur, ejus facta defendimus! » Atque etiam concinnitas postulat, « ejus vivi facta defendimus! » Hæc Ernest. sed nihil tale MSS. J. V. L.

7. *M. Curtius.* De quo supra, XII, 49. Is Cæsaris interfectores accusabat, eosque, qui iis favebant. Ed.

videntur habitura etiam vetustatem. Et Balbus hic est, multumque mecum: ad quem a Vetere literæ datæ pridie kal. januar. quum a se Cæcilius[8] circumsederetur, et jam teneretur, venisse cum maximis copiis Pacorum Parthum; ita sibi esse eum ereptum, multis suis amissis: in qua re accusat Volcatium. Ita mihi videtur bellum illud instare. Sed Dolabella[9] et Nicias viderint. Idem Balbus meliora de Gallia; XXI die literas habebat; Germanos illasque nationes, re audita de Cæsare, legatos misisse ad Aurelium, qui est præpositus ab Hirtio, se, quod imperatum esset, esse facturos. Quid quæris? omnia plena pacis, aliter ac mihi Calvena[10] dixerat.

8. *Cæcilius.* Q. Cæcilium Bassum, qui Pompeium Magnum sequutus fuerat, excitasse bellum in Syria, et a C. Antistio Vetere Apameæ circumsessum, tamen, Parthis auxiliantibus, maximeque Alchandonio Arabe, obsidione esse liberatum, scribit Dio, lib. XLVII. MAN. — Restituit Victorius. Antea legebatur *Catilius.* J. V. L.

9. *Dolabella et Nicias.* Dolabellæ enim Syria provincia et Parthicum bellum erat decretum, ad quod Curtium Niciam grammaticum familiarem suum secum duxit, lib. XIII, ep. 26, et lib. XV, ep. 21. POPMA.

10. *Calvena.* Matius: qui dixerat, omnia periisse, lib. XIII, epist. 46. MANUT.

EPISTOLA X.

Queritur acta Cæsaris, omniaque ejus promissa et cogitata, post necem plus valere quam si viveret. Adjicit alia de itinere suo, de Cluviano, de Q. fratris adversus filium querelis. (In Puteolano, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

ITANE vero[1]? hoc meus et tuus Brutus egit, ut Lanuvii esset? ut Trebonius itineribus deviis proficisce-

1. *Itane vero.* Hæc cum indignatione sunt scripta. Ideone, inquit, Brutus Cæsarem occidit, ut deinde Lanuvii esset? ut in urbe tuto esse non posset? ut Trebonius, quasi fugiens occulte proficisceretur? MAN.

retur in provinciam? ut omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Cæsaris plus valerent, quam si ipse viveret? Meministi me clamare[2], illo ipso primo Capitolino die, senatum in Capitolium a prætoribus vocari[3]? Dii immortales! quæ tum opera effici potuerunt, lætantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus? Liberalia[4] tu accusas. Quid fieri tum potuit? jam pridem perieramus. Meministine te clamare, causam periisse, si funere elatus esset? At ille etiam in foro combustus, laudatusque miserabiliter; servique et egentes in tecta nostra cum facibus immissi. Quæ deinde? ut audeant dicere, « Tune contra Cæsaris nutum? » Hæc et alia ferre non possum. Itaque γῆν πρὸ γῆς[5] cogito. Tua tamen ὑπηνέμιος. Nausea

2. Hæc emendatio est Faerni et Anton. Augustini. Olim, « Meministine clamare ». J. V. L.

3. *Vocari*. Vocandum esse, vocari debere. Et est figura, quæ properationem significat: ut hoc loco, nam dixit, « Illo ipso primo Capitolino die ». Brutus autem et Cassius magnam occasionem amiserunt, quum primo Capitolino die senatum in Capitolium non vocarunt. Itaque et infra epist. 12 et 14, reprehendit Cicero sessionem illam, id est, moram Capitolinam. « Studio vehementius incitari, totam suscipere rempublicam ». MAN.—Manutius hoc dictum esse putat pro *vocari debere*, sive *vocandum esse*. At hoc est insolens; omissum arbitror a librariis *oportere*. Hæc Schütz. cui non assentior. Præcipitat enim per ἐλλείψεις oratio, quasi et nunc res agatur. J. V. L.

4. *Liberalia*. Quo die factum est senatusconsultum de præmiis veteranorum, epist. 14, multaque alia in æde Telluris decreta. Philipp. I. MAN.

5. Γῆν πρὸ γῆς, *cogito. Tua tamen* ὑπηνέμιος. Olim nulla interpunctio post ὑπηνέμιος, ut referatur ad *nausea*, et interpretes explicant de nausea levi et non durabili, qualis hæc ipsa Attici nausea fuit, quam appellat *nauseolam*, ep. 8. Ὑπηνέμιον dicitur quidquid inane est et futile, cui tamquam ventus inest. Sed quidquid sit, mihi ὑπηνέμιος non videtur commode jungi *nauseæ*. Græci enim semper dicunt de iis rebus, quæ speciem aliquam habent, sed vi destituuntur, semperque in deteriorem partem adhibent. Itaque mihi videbatur interpungendum esse post ὑπηνέμιος, quod sequimur. Monebat etiam illud, *tamen*, quod ad antecedentia relationem habet, nempe ad hæc: *itaque* γῆν πρὸ γῆς *cogito. Tua tamen*, intellige *terra*, ὑπηνέμιος est. Atticus erat in Græcia et habebat prædia in Epiro. Eo invitaverat Ciceronem, eo etiam ire Cicero cogitabat interdum. Sed dubitabat tamen. Cogito quidem de mutanda terra, sed tuam tamen ὑπηνέμιον esse

jamne plane abiit? mihi quidem ex tuis literis conjectanti ita videbatur. Redeo ad Tebassos, Scævas, Frangones[6]. Hos tu existimas confidere se illa[7] habituros, stantibus nobis? in quibus plus virtutis putarunt, quam experti sunt. Pacis isti scilicet amatores, et non latrocinii auctores? At ego quum tibi de Curtilio[8] scripsi, Sextilianoque fundo, scripsi de Censorino, de Messalla[9], de Planco, de Postumio, de genere toto. Melius fuit periisse illo interfecto, quod numquam[10] accidisset, quam hæc videre. Octavius Neapolim venit XIIII kal. Ibi eum Balbus mane postridie, eodemque die mecum in Cumano, illum hereditatem aditurum. Sed, ut scribis, ῥιζόθεμιν[11] magnam

arbitror. Ὑπηνέμιος idem hoc loco est, quod ὑπήνεμος, nisi fortasse ὑπήνεμος legendum, hoc est, vento exposita, aperta, in loco aperto posita, quales sunt *nidi* ὑπηνέμιοι, non in terra, aut cava arbore positi, sed in libero aere, ubi non sunt pulli a vi tempestatis, ventorumque tuti. *Tua tamen* ὑπηνέμιος ergo mihi videbatur hanc vim habere. Sed etiam Græcia, in quam ire volebam, non esse mihi tuta satis videtur, ibi quoque obnoxius esse videor hostibus meis. ERNEST. — Hanc omnino sententiam probamus cum J. V. L. Respicit, ut videtur, Æschyli Prometh. v. 682.

6. *Tebassos, Scævas, Frangones.* Nomina veteranorum qui ex Cæsaris largitione Pompeianorum bona possidebant. *Cassium* quidem *Scævam* centurionem, insigni fortitudine virum, nominat Plutarchus in Cæsare, et Florus, lib. IV. *Frangonem* puto esse, quem Dio, lib. XLVIII, C. Fuficium Frangonem vocat, cui regendam Africam cum Numidia Octavius dedit. MANUT.

7. *Illa.* Agros a Cæsare donatos. Copiont igitur omnia misceri. MAN.

8. *De Curtilio.* Quum scripsi, indignum esse, quod Sextilii fundum Curtilius verbero possideret; significavi etiam de fundo Censorini, de Messallæ, de Planci, de Postumii: quorum fundos Cæsariani, a Cæsare donatos, possiderent. MAN.

9. *Messalla.* Contra veteres libros opinor legendum esse, *Mustela.* Nam neque mutatio magna fit: et inter Antonii sodales Mustelam, non Messallam invenio. Philipp. II, 4, V, 6. MANUT.

10. *Quod numquam.* Lege, « quod utinam accidisset », et ista verba parenthesi include. J. F. GRONOV. — Ernest. qui falso intelligebat, « quod nunc, eo interfecto, accidit », probat conjecturam Gronovii, « quod utinam accidisset! » Uterque errat, ut aiunt, toto cælo. J. V. L.

11. Ῥιζόθεμιν. Litem, concertationem. Subintellige, futuram constat. MAN. — Sic MSS. Bosius, ῥοιζόθεμιν. J. V. L.

cum Antonio. Buthrotia mihi tua res[12] est, ut debet, eritque curæ. Quod quæris, jamne ad centena[13] Cluvianum : adventare videtur; sed primo anno LXXX detersimus[14]. Q. pater ad me gravia de filio, maxime quod matri nunc indulgeat, cui antea bene merenti fuerit inimicus. Ardentes in eum literas ad me misit. Ille autem[15] quid agat, si scis, neque dum Roma es profectus, scribas ad me velim; et hercule, si quid aliud. Vehementer delector tuis literis.

12. *Buthrotia mihi tua res.* Buthrotii quum pecuniam imperatam non solverent, Cæsar eorum agrum proscripsit. Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo, et a Cæsare decretum abstulit, quo Buthrotii liberabantur. Illud decretum Atticus interfecto Cæsare, quum a consulibus confirmari vellet, quibus et senatusconsultum, et lex cognitionem dabat earum rerum, quas Cæsar statuisset, decrevisset, egisset : Ciceronis in ea re tum gratia, tum auctoritate utebatur. Confer. hujus libri epist. 14, et lib. XVI, ep. 15. Man.

13. *Ad centena.* Subaudi, perducatur. Ut sensus hic sit : quod scire vis, num ego hic Cluviana bona ita constituerim, ut ex iis posthac centena H-S quotannis capere possim. Manut.

14. *Detersimus.* Ex illa summa detraximus et diminuimus LXXX H-S, quæ impendimus ad ea reficienda, quæ erant ruinosa. Sic enim hunc locum interpretor ex epistola 9 hujus libri, et ea quæ proxime sequitur. Bos.

15. *Ille autem.* Quintus filius.

EPISTOLA XI.

Queritur interfecto Cæsare se liberos non esse. Addit quædam de Cicerone filio, de Buthrotiis, de Cluviano, de Octavii adventu. (Puteolis, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Nudius tertius dedi ad te epistolam longiorem; nunc ad ea, quæ proxime. Velim mehercule[1], Asturæ Brutus. Ἀκολασίαν[2] istorum scribis. An censebas aliter? equidem etiam majora exspecto. Quum equidem con-

1. Al. olim, *mehercle.* J. V. L.

2. Ἀκολασίαν. Intemperantiam.

cionem lego, DE TANTO[3] VIRO, DE CLARISSIMO CIVI, ferre non queo: etsi ista jam ad risum. Sed memento: sic alitur consuetudo perditarum concionum, ut nostri illi, non heroes, sed dii, futuri quidem in gloria sempiterna sint, sed non sine invidia[4], ne sine periculo quidem. Verum illis magna consolatio, conscientia maximi et clarissimi facti: nobis quæ? qui interfecto rege, liberi non sumus. Sed hæc fortuna viderit, quoniam ratio non gubernat. De Cicerone, quæ scribis, jucunda mihi sunt: velim, sint prospera. Quod vero curæ tibi est, ut ei suppeditetur ad usum et cultum copiose, per mihi gratum est; idque ut facias, te etiam rogo. De Buthrotiis et tu recte cogitas, et ego non dimitto istam curam. Suscipiam omnem etiam actionem; quam video quotidie faciliorem. De Cluviano, quoniam in re mea me ipsum diligentia vincis, res ad centena perducitur. Ruina[5] rem non fecit deteriorem, haud scio an jam fructuosiorem. Hic mecum Balbus, Hirtius, Pansa. Modo venit Octavius, et quidem in proximam villam Philippi[6], mihi totus deditus. Lentulus Spinther[7] hodie apud me; cras mane vadit[8].

3. *De tanto.* Verba sunt ex Antonii concione, quibus Cæsarem appellaverat. MAN.

4. Edidit sic Bosius ex integriore scriptura vett. codicum. Antea in publicatis edd. verba hæc tria, « non sine invidia », nusquam in hac epistola legebantur. Nunc omnes recepere. J.V. L.

5. Victorius, ex antiquis codicibus, in quibus erat *una ;* legendum conjecit *ruina ;* prius legebatur *nam.* J.V. L.

6. *Philippi.* Is vitricus Octavii. ED.

7. *Lentulus Spinther.* Filius ejus qui ad senatum de Cicerone revocando retulerat. SCH.

8. *Cras mane vadit.* Proquæstor in Asiam. SCH.

EPISTOLA XII.

Indignatur multa quasi ex decretis Cæsaris ab Antonio fieri; sperat tamen eo magis de Buthrotiis confici posse. Deinde de Octavio et coss. designatis. (Puteolis, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

O mi Attice, vereor, ne nobis idus mart. nihil dederint præter lætitiam, et odii[1] pœnam ac doloris. Quæ mihi istinc afferuntur? quæ hic video? ὦ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ[2]. Scis, quam diligam Siculos, et quam illam clientelam honestam judicem. Multa illis Cæsar, neque me invito; etsi latinitas[3] erat non ferenda: verumtamen[4]. Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem[5], a dictatore[6] comitiis latam, qua Siculi cives romani; cujus rei, vivo illo, mentio nulla. Quid? Dejotari nostri causa non similis? Dignus ille quidem omni regno, sed non per[7] Fulviam.

1. Victorius corrigit *plenam*. Minus εὐστόχως. J. V. L.

2. Ὦ πράξεως καλῆς. O factum præclarum quidem, sed imperfectum.

3. *Latinitas*. Aliud est habere jus Latii; aliud, civitatem romanam. Cæsar Siculos, non civitate romana, sed Latinitate donavit: quod ipsum vix ferendum Ciceroni videbatur. Antonius post etiam civitatem dedit: quod gravissimum, nec ullo modo ferendum, Cicero significat. Man.

4. Male olim, « verumtamen autem ecce Antonius ». Verum ordinem Victorius restituit.

5. *Fixit legem*. Putavit Servius ad Antonium respexisse Virgil. Æn. VI, 622: « Fixit leges pretio, atque refixit ». Ed.

6. *A dictatore*. Impudens Antonii mendacium. Nam Cæsar non modo legem comitiis non tulerat de civitate Siculis danda, sed nec mentionem ejus rei ullam fecerat. Quoniam autem Cæsaris acta senatus rata esse voluerat; Antonius, ut ostenderet legem esse Cæsaris, non suam, incidit in tabula eam legem, et fixit, ut a dictatore, et comitiis latam, id est, ut jure latam, et a dictatore, et comitiis. Man.

7. *Per Fulviam*. Ad hoc spectavit Philipp. V: « Mulier sibi felicior, quam viro, auctionem provinciarum, regnorumque faciebat ». Man.

Sexcenta similia. Verum illuc[8] referor : tam claram, tamque testatam rem, tamque justam, Buthrotiam, non tenebimus aliqua ex parte? et eo quidem magis, quo iste plura? Nobiscum perhonorifice et amice Octavius : quem quidem sui Cæsarem salutabant, Philippus[9] non ; itaque ne nos quidem : quem nego posse bonum[10] civem, ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur. Negant[11] hæc ferri posse. Quid censes, quum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuti esse non possunt? qui quidem semper erunt clari; conscientia vero facti sui etiam beati. Sed nos, nisi me fallit, jacebimus. Itaque exire aveo, « ubi nec Pelopidarum, » inquit[12]. Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare[13] me coegerunt; ut ne apud aquas[14] quidem acquiescere liceret. Sed hoc meæ nimiæ facilitatis. Nam id erat quondam quasi necesse; nunc, quoquo modo se res habet, non est item. Quam dudum[15] nihil habeo, quod ad te scribam : scribo tamen, non ut delectem his literis, sed ut eliciam tuas. Tu, si quid erit de ceteris; de Bruto utique, quidquid. Hæc conscripsi x kal. accu-

8. *Illuc*. Hæc ideo dico, ut ostendam; quum hæc de Siculis et Dejotaro fiant, quæ sunt iniquissima ; rem jure non ferendam, si nos tam testatam rem, tamque justam Buthrotiam non teneamus. Quænam autem res esset Buthrotia, supra diximus. MAN.

9. *Philippus*. Vitricus Octavii. *Non*. Quia lege curiata de ejus adoptione nondum lata, quam postea tulit Octavianus ipse consul, cognomen Cæsaris jure sibi adsciscere non poterat. Dio, lib. XLI. MAN.

10. *Posse bonum civem*. Esse Octavium. MAN.

11. Bosius e MSS edidit *Negan'*, i. e. *negasme?* Durius. J. V. L.

12. *Inquit*. Supple, Accius. Versum integrum recitat infra, XV, 11.—Hoc Ernest. malit abesse; nam et alibi Cicero hæc verba nude ponit, et ad se accommodat. J. V. L.

13. *Declamare*. Nunc hujus libri ep. 26, et ante, lib. VIII, ep. 26, ad Div. et lib. IX, ep. 18. ad Div. MAN.

14. *Apud aquas*. Puteolanas. SCH.

15. Conjiciunt alii, « Jam dudum »; alii, ut Gronovius, « Quanquam dudum », quod magis placet, et Sch. recepit. J. V. L.

bans apud Vestorium[16], hominem remotum a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatum.

16. *Vestorium*. Nummularium Puteolanum, et ideo magis exercitatum in numeranda pecunia et rationibus subducendis, quam disputationibus instituendis. Popma. — De hoc argentario sæpe alias. Ed.

EPISTOLA XIII.

Rogat ut secum deliberet, utrum sibi in Græciam proficiscendum sit, an in Italia manendum: addit quædam de Q. fratre; et mittit scriptæ ab Antonio ad se epistolæ, suæque responsionis exemplum. (Puteolis, U. C. 709, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Septimo denique die literæ mihi redditæ sunt, quæ erant a te xiii kal. datæ; quibus quæris, atque etiam me ipsum nescire arbitraris, utrum magis tumulis[1] prospectuque, an ambulatione ἁλιτενεῖ[2] delecter. Est mehercule, ut dicis, utriusque loci tanta amœnitas, ut dubitem, utra anteponenda sit.

. . . . Ἀλλ' οὐ δαιτὸς[3] ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν·
Ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφὲς, εἰσορόωντες
Δείδιμεν· ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι.

Quamvis enim tu magna et mihi jucunda scripseris de D. Bruti adventu ad suas legiones, in quo spem maximam video: tamen, si est bellum civile futurum,

1. *Tumulis*. Cicero erat in hortis Cluvianis prope Puteolos in ora maritima. Quæsierat vero Atticus utrum in Arpinati magis delectaretur tumulis et collibus, an ambulatione circa mare plana et explicata, quam in Cluviano habebat. Ed.

2. Ἁλιτενεῖ. Plana et humili.

3. Ἀλλ' οὐ δαιτός. Sed nobis curæ non est convivio suavi operam dare: verum magnam cladem a Jove immissam intuentes extimescimus; incertumque est, salvine futuri, an interituri simus. Iliad. I, 228. — Verba sunt Ulyssis apud Homerum. Significat Cicero se ob pericula temporum non adeo magnam ex utroque prædio capere voluptatem. Ed.

quod certe erit; si Sextus[4] in armis permanebit, quem permansurum esse certo scio; quid nobis faciendum est[5]? ignoro. Neque enim jam licebit, quod Cæsaris bello licuit, neque huc, neque illuc[6]. Quemcumque enim hæc pars perditorum lætatum morte Cæsaris putabit (lætitiam autem apertissime tulimus omnes), hunc in hostium numero habebit: quæ res ad cædem maximam spectat. Restat, ut in castra Sexti, aut, si forte, Bruti nos conferamus. Res odiosa, et aliena nostris ætatibus, et incerto exitu belli; et nescio quo pacto tibi ego possim, mihi tu dicere,

> Τέκνον ἐμὸν[7], οὔ τοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
> Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

Sed hæc fors viderit, ea, quæ talibus in rebus plus, quam ratio, potest. Nos autem id videamus, quod in nobis ipsis esse debet, ut, quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus, et accidisse hominibus meminerimus; nosque quum multum literæ, tum non minimum idus quoque mart. consolentur. Suscipe nunc meam deliberationem, qua sollicitor: ita multa veniunt in mentem in utramque partem. Proficiscor[8], ut constitueram, legatus in Græciam? cædis impendentis periculum nonnihil vitare videor, sed casurus in aliquam vituperationem, quod reipublicæ defuerim tam gravi tempore. Sin autem mansero, fore me quidem video in discrimine; sed accidere posse suspicor, ut

4. *Sextus*. Pompeius. Ed.

5. Lallem. post fere omnes, « quid nobis faciendum est, ignoro ». Male. J. V. L.

6. *Neque huc, neque illuc.* Neque jam licebit neutram partem sequi. Sch.

7. Τέκνον ἐμόν. « Non tibi, nata mea, data sunt opera bellica, verum tu placida persequere munera eloquentiæ ». Verba sunt Jovis ad Venerem, Iliad. V, 458, nisi quod pro γάμοιο, *nuptiarum*, quod apud poetam est, Cicero, ut inserviret senili personæ, dixit λόγοιο, *eloquentiæ*. Man.

8. Hæc videntur cum interrogatione legenda. Jam monuerat Bosius. J. V. L.

prodesse possim reipublicæ. Jam illa consilia privata sunt, quod sentio valde esse utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire; nec alia causa profectionis mihi ulla fuit tum, quum consilium cepi legari ab Cæsare [9]. Tota igitur hac de re, ut soles, si quid ad me pertinere putas, cogitabis. Redeo nunc ad epistolam tuam. Scribis enim esse rumores, me, ad lacum quod habeo [10], venditurum; minusculam vero villam utique Quinto traditurum, vel impenso [11] pretio, quo introducatur [12], ut tibi Quintus filius dixerit, dotata Aquillia. Ego vero de venditione nihil cogito, nisi quid, quod magis me delectet, invenero. Quintus autem de emendo nihil curat hoc tempore. Satis enim torquetur debitione dotis : in qua mirificas Egnatio [13] gratias agit. A ducenda autem uxore sic abhorret, ut libero lectulo neget esse quidquam jucundius. Sed hæc quoque hactenus. Redeo enim ad miseram, seu nullam potius rempublicam. M. Antonius ad me scripsit de restitutione [14] Sext. Clodii : quam honorifice, quod ad me attinet, ex ipsius literis cognosces; misi enim tibi exemplum : quam dissolute, quam turpiter,

9. *Legari ab Cæsare*. Nam etiam vivo Cæsare liberam legationem ab eo cogitaverat; hanc unam ob caussam, ut in Græciam filii causa proficisceretur. Man.

10. *Ad lacum quod habeo*. Prædium in agro Cumano ad lacum Lucrinum. Popma. — Ed. Jenson. habet *quem*, in quo intelligendum esset *fundum* ; sed vulg. lectio longe verior. J. V. L.

11. *Impenso*. Impensum pretium est ingens, profusum, immoderatum : cujus scilicet magnitudinem emptor non expendit, nec reformidat. Horat. II, sat. 3 : « Luscinias soliti impenso prandere coemptas ». Popma.

12. *Quo introducatur*. Ut eo domum ducatur locuples et dotata Aquillia : quam Q. pater ducere cogitabat post dimissam Pomponiam, ut constat ex epist. 17. Popma.

13. *Egnatio*. Trapezita : quod ipsi obtulerit pecuniam ad solutionem dotis, quam Pomponia, mulier morosa, acerbe exigebat. De Egnatio, lib. II, epist. 3. Popma. — Editio Victoriana, *Q. Egnatio*. J. V L.

14. *Restitutione*. Ab exsilio, quo fuerat molestatus, quod P. Clodii corpus in curiam intulerat, et cremaverat subselliis et mensis et codicibus librariorum, quo igne et ipsa curia, et curiæ juncta Porcia basilica flagraverat. Asconius in orat. pro Mil. Corr.

quamque ita perniciose, ut nonnumquam Cæsar desiderandus esse videatur, facile existimabis. Quæ enim Cæsar numquam neque fecisset, neque passus esset, ea nunc ex falsis ejus commentariis proferuntur. Ego autem Antonio facillimum me præbui : etenim ille, quoniam semel induxit animum, sibi licere quod vellet, fecisset nihilo minus me invito. Itaque mearum quoque literarum misi exemplum.

ANTONIUS CONSUL M. CICERONI S. D.

Occupationibus est factum meis, et subita tua profectione, ne tecum coram de hac re agerem. Quam ob causam vereor[1], ne absentia mea levior sit apud te. Quod si bonitas tua responderit judicio meo, quod semper habui de te, gaudebo. A Cæsare petii, ut Sext. Clodium restitueret : impetravi. Erat mihi in animo etiam tum, sic uti beneficio ejus, si tu concessisses. Quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat. Quod si duriorem te ejus miseræ et afflictæ fortunæ præbes, non contendam ego adversus te. Quamquam videor debere tueri commentarium Cæsaris[2]. Sed mehercule, si humaniter, et sapienter, et amabiliter in me cogitare vis, facilem profecto te præbebis; et voles P. Clodium[3], in optima spe[4] pue-

1. Sic omnes libri vett. Henric. tamen Stephanus arbitratur legendum, *non vereor*. Repugnat Lambin. atque ipsa sententia. J. V. L.

2. *Commentarium Cæsaris.* Quasi ille Sex. Clodium reduci voluisset, idque in commentario suo scripsisset. Antonius enim in commentariis Cæsaris delebat et reponebat arbitratu suo, quum in eo manu Q. Faberii, scribæ Cæsaris, uteretur. Hæc diserte confirmat Appian. de B. Civ. lib. III. Ed.

3. *P. Clodium.* Antonii privignum, P. Clodii filium, quocum inimicitias Cicero gravissimas gesserat : privignum autem, quia Fulviam ejus matrem Antonius duxerat uxorem. Man.

4. *In optima spe.* Spem fefellit, non solum amori meretricis vulgatissimæ turpiter deditus, verum etiam erubescendo mortis genera absumptus. Abdomine enim avide devorato, fœdæ ac sordidæ intemperantiæ spiritum edidit. Valer. Maxim. III, 5. Ed.

rum repositum[5], existimare, non te insectatum esse, quum potueris, amicos paternos. Patere, obsecro te, pro republica videri gessisse simultatem cum patre ejus. Non contempseris hanc familiam. Honestius enim et libentius deponimus inimicitias reipublicæ nomine susceptas, quam contumaciæ. Me deinde sine ad hanc opinionem jam nunc dirigere puerum, et tenero animo ejus persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. Quamquam, tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abesse, certum habeo; tamen arbitror, malle te quietam senectutem, et honorificam potius agere, quam sollicitam. Postremo meo jure te hoc beneficium rogo : nihil enim non tua causa[6] feci. Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum : ut intelligas, quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem præbeas.

5. Ernestio suspectum est *repositum*. Sed si deleas, legendum sit *optima spe*. Nihil vero suspectum debet esse in epistola Antonii, quem ob scribendi genus exagitat Cicero in Philip. III, 9; XIII, 19. J. V. L.

6. *Tua causa*. De his Antonii beneficiis vid. Philipp. II, 20, 24.

CICERO ANTONIO COS. S.

Quod mecum[1] per literas agis, unam ob causam mallem coram egisse : non enim solum ex oratione, sed etiam ex vultu, et oculis, et fronte (ut aiunt) meum erga te amorem perspicere potuisses. Nam quum te semper amavi, primum tuo studio, post etiam beneficio provocatus; tum his temporibus res-

1. *Quod mecum*. Hanc epistolam a Cicerone scriptam postea Antonius palam recitavit, quam ob rem eum Cicero acerbe perstringit, Philip. II, 14. Sch. — Sane hic confitendum est Ciceronem in laudibus Antonii parum cautum videri : quod jam animadverterunt viri docti, in primis J. V. L. in præfatione Epistolarum ad Atticum, tom. XXI, pag. 21, seqq. et V. C. *Gueroult* ad Philipp. II, tom. XV, pag. 435. Ed.

publica te mihi ita commendavit, ut cariorem habeam neminem. Literæ vero tuæ, quum[2] amantissime, tum honorificentissime scriptæ, sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te, ita petente, ut inimicum meum, necessarium tuum, me invito servare nolles, quum id nullo negotio facere posses. Ego vero tibi istuc, mi Antoni, remitto; atque ita, ut me a te, quum his verbis scripseris, liberalissime atque honorificentissime tractatum existimem: idque quum totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati et naturæ meæ. Nihil enim umquam non modo acerbum in me fuit, sed ne paullo quidem tristius, aut severius, quam necessitas reipublicæ postulavit. Accedit, ut ne in ipsum quidem Clodium meum insigne odium fuerit umquam; semperque ita statui, non esse insectandos inimicorum amicos, præsertim humiliores; nec his præsidiis nosmet ipsos esse spoliandos. Nam de puero Clodio tuas partes esse arbitror, ut ejus animum, tenerum, quemadmodum scribis, his opinionibus imbuas, ut ne quas inimicitias residere in familiis nostris arbitretur. Contendi cum P. Clodio, quum ego publicam causam, ille suam defenderet. Nostras certationes respublica dijudicavit. Si viveret, mihi cum illo nulla contentio jam maneret. Quare, quoniam hoc a me sic petis, ut, quæ tua potestas est, ea neges te me invito usurum; puero quoque hoc a me dabis[3], si tibi videbitur[4]: non quo aut ætas nostra ab illius ætate quidquam debeat periculi suspicari,

2. Al. *tum*. J. V. L.

3. *Hoc a me dabis*. Scilicet illi dices hoc me illi dare. Sumpta locutio e re pecuniaria in qua dicimus ab aliquo dare, solvere. Ed.

4. Post hæc verba, *si tibi videbitur*, ex duorum MSS Palatinorum fide addit alia Junius, quæ in edd. omnibus desunt, « ut animum ejus conciliatum mihi reddas »; quæ interpretatio videtur, et quidem falsa. Schützius plane hanc neglexit. J. V. L.

aut dignitas mea ullam contentionem extimescat; sed ut nosmet ipsi inter nos conjunctiores simus, quam adhuc fuimus. Interpellantibus enim his inimicitiis, animus tuus mihi magis patuit, quam domus. Sed hæc hactenus. Illud extremum; ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitror, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam: hoc velim tibi penitus persuadeas.

EPISTOLA XIV.

Indignatur Q. filium Parilibus coronatum fuisse. Exponit uberius quid in Cæsaris nece desideret; sublato enim tyranno, tyrannida manere. (In Puteolano, anno U. C. 708, mense aprili.)

CICERO ATTICO S.

Iteradum [1] eadem ista mihi. Coronatus [2] Quintus noster Parilibus [3]? Parilibus? solusne? etsi addis Lamiam; quod demiror equidem; sed scire cupio, qui fuerint [4] alii: quamquam satis scio, nisi improbum neminem. Explanabis igitur hoc diligentius. Ego autem casu quum dedissem ad te literas vi kalend. satis multis verbis, tribus fere horis post accepi tuas, et magni quidem ponderis. Itaque joca tua plena facetiarum, de hæresi Vestoriana [5], et de Pherio-

1. *Iteradum.* H. e. repete, quæso, et rursus dic quæ dixisti: sunt enim talia, ut vix credam me audisse. Formula dicendi, qua utebantur in rebus nec opinatis, ex Iliona Ennii. Cic. IV Academ. 27. Sic *memoradum*, Plaut. Pœn. IV, 1, 54. J. F. Gronov.

2. *Coronatus*, Infra, epist. 17. Vide Athenæum, Deipnos. VIII.

3. *Parilibus.* Puto Parilia illa significari, quæ dedisse Octavium suo sumptu, ut populum muneribus caperet, scribit Dio, lib. XLV. Man.

4. Vulgo, *fuerunt*. Pro quo *fuerint* scribendum latinitas docet. Sed sic etiam ed. Romana. Ernest. J. V. L.

5. *De hæresi Vestoriana.* Quia, quum ego ad te scripsissem, Vestorium « a dialecticis remotum, in arithmeticis satis exercitatum »; ipse eos, qui pe-

num[6] more Puteolano, risisse me satis nihil est necesse scribere. Πολιτικώτερα[7] illa videamus. Ita Brutos Cassiumque defendis, quasi eos ego reprehendam : quos satis laudare non possum. Rerum ego vitia collegi, non hominum. Sublato enim tyranno, tyrannida manere video. Nam quæ ille facturus non fuit, ea fiunt, ut de Clodio[8] : de quo mihi exploratum est, illum non modo non facturum, sed etiam ne passurum quidem fuisse. Sequetur Rufio Vestorianus, Victor, numquam scriptus[9], ceteri, quis non? Cui servire ipsi non potuimus, ejus libellis paremus. Nam Liberalibus quis potuit in senatum non venire[10]? Fac id potuisse aliquo modo : num, etiam quum venissemus, libere potuimus sententiam dicere? nonne omni ratione veterani, qui armati aderant, quum præsidii

cuniæ studiosiores essent, quam doctrinæ, hæresim Vestorianam appellasti. Man. — Al. *Vestorina*. J. V. L.

6. *Pherionum*. Alii, *Pharionum*, Gruter. *Phariorum*, ceteri *Pherionum*. Neutrum ita quisquam explicat, ut possit intelligi. Olivet. *Phetriorum*, et sic explicat : Sodalitia hominum ex eadem tribu ad sacra et epulas, dicebantur *Phatria* et *Phetria*, ut notavit Maussacus ad Harpocration. verbo φράτορες. Posterior ætas dixit *Frerias*, quæ vox in populari sermone nostro vim eamdem retinet. Strabo, lib. V, narrat, Neapoli, ac vicinis in urbibus, adeoque Puteolis fuisse, Græcorum imitatione, *Phatria*. Horum quis Puteolanus mos esset, frustra curiositas inquiret. Tantum hinc intelligimus, aliqua fuisse ridicula, quæ Atticus fuerat cavillatus. De tribulibus conviviis, quæ Romanis id erant, quod Græcis *Phetria*, jocatur Horatius, lib I, epist. 13, 15. — Certum est tantum Ciceronem de argentariis quibusdam Puteolanis loqui, sed cur argentarios *Pheriones* dicat, quos et alibi *Nicasiones*, utrumque nescio. Gronovius legebat « de Pharionum, more Puteolano »; ut intelligantur fariones pisces, agaturque de more eorum emendorum et vendendorum, vel apparandorum. Græv. autem conjiciebat « et de Vestorianorum Puteolano », putabatque Atticum allusisse similitudine soni ad *puteal* fœneratorum. Ed. — Bosius, « de Phario nummo, re Puteolano ». Locus obscurus, nec sine melioribus libris facile sanandus, aut potius sine ipsa Attici epistola. J. V. L.

7. Πολιτικώτερα. Quæ ad reipublicæ administrationem magis pertineant.

8. *De Clodio*. Exsule, ex falsis Cæsaris commentariis restituto. Ed.

9. *Numquam scriptus*. Quem Cæsar numquam in commentariis scripsit se velle restitui. Man.

10. *In senatum non venire*. Venimus enim coacti ab Antonio consule. Manut.

nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? Illam sessionem[11] Capitolinam mihi non placuisse, tu testis es. Quid ergo? ista culpa Brutorum? Minime illorum quidem; sed aliorum brutorum[12], qui se cautos ac sapientes putant: quibus satis fuit lætari; nonnullis, etiam gratulari; nullis, permanere. Sed præterita omittamus: istos omni cura præsidioque tueamur; et, quemadmodum tu præcipis, contenti idibus mart. simus; quæ quidem nostris amicis, divinis viris, aditum ad cælum dederunt, libertatem populo romano non dederunt. Recordare tua. Nonne meministi clamare te, omnia periisse, si ille funere elatus esset? sapienter id quidem. Itaque ex eo quæ manarint, vides. Quæ scribis kalendis juniis Antonium de provinciis relaturum, ut et ipse Gallias habeat, et utrisque dies prorogetur, licebitne decerni libere? Si licuerit, libertatem esse recuperatam lætabor; si non licuerit, quid mihi attulerit ista domini mutatio præter lætitiam, quam oculis cepi justo interitu tyranni? Rapinas scribis ad Opis[13] fieri: quas nos quoque tum videbamus. Næ[14] nos et liberati ab egregiis viris, nec liberi sumus. Ita laus illorum est, culpa nostra. Et hortaris me, ut historias scribam? ut colligam tanta eorum scelera, a quibus etiam nunc obsidemur? Poterone eos ipsos non laudare, qui te obsignatorem[15]

11. *Sessionem.* Reprehendit Bruti et Cassii moram et ignaviam. Nam *sedere*, quandoque valet nihil agere, tempus otiose terere. MANUT.

12. *Aliorum brutorum.* Non M. Bruti, non D. Bruti, sed aliorum qui vere sunt bruti, id est, insulsi et stupidi. BOSIUS.

13. *Ad Opis.* Antonius Cæsaris pecunias, in Opis templo positas, ad se transtulit; et quum diceret in actis Cæsaris esse, ut ea pecunia distribueretur, his tribuit ex sua libidine quibus voluit, et quantum voluit: Dolabellamque ære alieno oppressum, data ei grandi pecunia, quasi in actis Cæsaris ita scriptum esset, in suas partes facile traduxit. Vide Philip. I et II. MAN.

14. Al. *Ne.* Perperam. J.V.L.

15. *Obsignatorem.* Ciceroni aliquid testamento relictum fuerat a quibusdam, qui Cæsaris partes fovebant;

adhibuerunt? nec mehercule me raudusculum movet; sed homines benivolos, qualescumque sunt, grave est insequi contumelia. Sed de omnibus meis consiliis, ut scribis, existimo exploratius nos ad kalendas junias statuere posse : ad quas adero; et omni ope atque opera enitar, adjuvante me scilicet auctoritate tua, et gratia, et summa æquitate causæ, ut de Buthrotiis senatusconsultum, quale scribis, fiat. Quod me cogitare jubes, cogitabo equidem : etsi tibi dederam superiore epistola cogitandum. Tu autem, quasi jam recuperata republica, vicinis tuis [16] Massiliensibus sua reddis [17]. Hæc armis, quæ, quam firma habeamus, ignoro, restitui fortasse possunt, auctoritate non possunt.

quod intellexerat ab Attico, qui adhibitus fuerat ad obsignanda eorum testamenta. Eo ergo beneficio quum illis obstrictus esset, non poterat illos in historiis non laudare, nisi omnino ingratus videri vellet. Bosius.—Vide supra epist. 3.

16. *Vicinis tuis*. Massilienses vicini dicuntur Attici, vel quod Atticus prædium aliquod in Allobrogibus, aut Gallia propter Massiliensium fines possideret : vel, quod magis puto, quod Massiliensium legati in vicinia ædium Attici in Urbe versarentur, et domum conductam haberent. J. F. Gronov.

17. *Reddis*. Ita de iis scribis, quasi propediem futurum sit, ut illis adempta a Cæsare, senatusconsulto restituantur. Vide lib. XIII, epistol. 15. J. F. Gronov.

EPISTOLA XV.

Lætatur Dolabellæ severitate seditiosam plebem coercentis, et sperat res melius ituras, quam fuerint. (In Puteolano, anno U.C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Epistola brevis, quæ postea a te scripta est, sane mihi fuit jucunda. De Bruti ad Antonium, et de ejusdem ad te literis, posse videntur esse meliora, quam adhuc fuerunt : sed nobis, ubi simus, et quo jam

nunc nos conferamus, providendum est. O mirificum Dolabellam meum! jam enim dico meum; antea, crede mihi, subdubitabam. Magnam ἀναθεώρησιν[1] res habet: de saxo[2]; in crucem[3]; columnam tollere[4]; locum illum sternendum locare. Quid quæris? heroica. Sustulisse mihi videtur simulationem desiderii, adhuc quæ serpebat in dies, et inveterata, verebar ne periculosa nostris tyrannoctonis esset. Nunc prorsus assentior tuis literis, speroque meliora: quamquam istos ferre non possum; qui, dum se pacem velle simulant, acta[5] nefaria defendunt. Sed non possunt[6] omnia simul. Incipit res melius ire, quam putaram. Nec vero discedam, nisi quum tu me id honeste putabis facere posse. Bruto certe meo nullo loco deero; idque, etiamsi mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter ejus singularem incredibilemque virtutem. Piliæ nostræ villam totam, quæque in villa sunt, trado, in Pompeianum ipse proficiscens kalend. maiis. Quam velim Bruto persuadeas, ut Asturæ sit!

1. Ἀναθεώρησιν. Animadversionem.

2. *De saxo*. Subaudi, præcipitare eos, qui Cæsari columnam erexerant. Manut.

3. *In crucem*. Tollere. Nam ex illa seditiosorum manu, qui liberi homines fuerunt, eos Dolabella, de saxo Capitolino dejecit: servos in crucem egit. Manut. — Anton. Augustin. emendat *vel cruce*; emendantem probat Ursin. Uterque, nostra quidem sententia, fallitur. J. V. L.

4. *Columnam tollere*. Quam prope xx pedum lapidis Numidici, ut Suetonius tradit, de plebe homines perditi in foro statuerant inscriptam Caesari parenti patriae. Sch.

5. *Acta*. Cæsaris. Man.

6. *Non possunt*. Explicari eodem tempore omnia non possunt. Idem.

EPISTOLA XVI.

Laudat Dolabellam; addit de itinere suo in Græciam; Atticoque negotium Tullii Montani commendat. (Puteolis, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Quinto non. conscendens ab hortis Cluvianis in phaselum epicopum [1] has dedi literas, quum Piliæ nostræ villam ad Lucrinum, villicos [2], procuratores tradidissem. Ipse autem eo die in Pæti nostri tyrotarichum [3] imminebam; perpaucis diebus in Pompeianum; post in hæc Puteolana, et Cumana regna renavigaro [4]. O loca ceteroqui [5] valde expetenda, interpellantium autem multitudine pæne fugienda! Sed ad rem ut veniam, o Dolabellæ nostri magnam ἀριστείαν [6]! quanta est ἀναθεώρησις? Equidem laudare eum et hortari non desisto. Recte tu omnibus epistolis significas, quid de re, quid de viro sentias. Mihi quidem videtur Brutus noster jam vel coronam auream per forum ferre posse. Quis enim audeat violare [7], proposita cruce, aut saxo? præsertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum? Nunc, mi Attice, me fac ut expedias. Cupio, quum Bruto nostro affatim satisfecerim, excurrere in Græciam. Magni interest Ciceronis, vel mea potius, vel mehercule utriusque, me in-

1. *Epicopum*. Qui remis agitatur.

2. Vulg. *villicosque*. Pignorius, de Servis, emendandum putat, *villicosque, et procuratores*. J. V. L.

3. *Tyrotarichum*. Obsonium, ex caseo et salmentis. Vide ad Divers. lib. IX, epist. 16.

4. Sic Bosius e MSS. Vulg. *renavigare*, quod Ernest. retinuit, intell. *cogitabam*. J. V. L.

5. *Ceteroqui valde expetenda*. Ernest. post Grævium maluit, « cetera quam valde expetenda ». Minus, ut nobis videtur, feliciter. J. V. L.

6. Ἀριστείαν. Præclarum facinus.

7. Al. *laudare*. J. V. L.

tervenire discenti. Nam epistola Leonidæ, quam ad me misisti, quid habet, quæso, in quo magnopere lætemur? Numquam ille mihi satis laudari videbitur, quum ita laudabitur, « Quomodo nunc est[8] ». Non fidentis hoc testimonium, sed potius timentis. Herodi autem mandaram, ut mihi κατὰ μίτον[9] scriberet : a quo adhuc nulla litera est. Vereor, ne nihil habuerit, quod mihi, quum cognoscerem[10], jucundum putaret fore. Quod ad Xenonem scripsisti, valde mihi gratum est. Nihil enim deesse Ciceroni, quum ad officium, tum ad existimationem meam pertinet. Flammam Flaminium audio Romæ esse. Ad eum scripsi, me tibi mandasse per literas, ut de Montani negotio[11] cum eo loquerere : et velim cures epistolam, quam ad eum misi, reddendam; et ipse, quod commodo tuo fiat, cum eo colloquare. Puto, si quid in homine pudoris est, præstaturum eum, ne pro se[12] quodam modo dependatur. De Attica pergratum mihi fecisti, quod curasti, ut[13] ante scirem recte esse, quam non belle fuisse.

8. *Quomodo nunc est*. Verba Leonidæ, qui ita scribebat : quomodo nunc est, Cicero filius laudandus est : adhuc laudandus est, adhuc eum non possum non laudare : aut quid simile. Epist. 18 hujus libri, et ep. 17, lib. XV. Corr. — Apparet autem hunc hominem fuisse magna auctoritate et existimatione, quum Cicero filius ad Tironem ita scribat : « multum etiam mecum est Epicrates princeps Atheniensium et Leonidas, et horum ceteri similes ». Ed.

9. Κατὰ μίτον. Per filum, singillatim.

10. Al. *cognossem*. J. V. L.

11. *De Montani negotio*. Quid significet ipse declarat epistol. 52, lib. XII. Man.

12. *Ne pro se*, etc. Puto fore, ut ipse solvat quod Planco debet : non ut Montanus præs pro illo dependat. Idem.

13. Deest *ut* in multis. J. V. L.

EPISTOLA XVII.

Respondet Attici literis a Demetrio acceptis. (In Pompeiano, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

In Pompeianum veni v nonas mai. quum pridie, ut antea ad te scripsi, Piliam in Cumano collocavissem. Ibi mihi cœnanti literæ tuæ sunt redditæ, quas dederas Demetrio liberto prid. kal. in quibus multa sapienter, sed tamen talia, quemadmodum tute scribebas, ut omne consilium in fortuna positum videretur. Itaque his de rebus ex tempore, et coram. De Buthrotio negotio, utinam quidem Antonium conveniam! multum profecto proficiam. Sed non arbitrantur eum a Capua declinaturum. Quo quidem, metuo, ne magno reipublicæ malo venerit. Quod idem L. Cæsari [1] videbatur, quem pridie Neapoli affectum graviter videram. Quamobrem ista nobis ad kal. jun. tractanda et perficienda sunt. Sed hactenus. Q. filius ad patrem acerbissimas literas misit; quæ sunt ei redditæ, quum venissemus in Pompeianum: quarum tamen erat caput, Aquilliam [2] novercam non esse laturum. Sed hoc tolerabile fortasse: illud vero? se ab Cæsare habuisse omnia, nil a patre, reliqua sperare ab Antonio. O perditum hominem! sed μελήσει [3]. Ad Brutum nostrum, ad Cassium, ad Dolabellam epistolas scripsi. Earum exempla tibi misi, non ut deliberarem, reddendæne essent (plane enim judico esse reddendas),

1. *L. Cæsari.* Qui cos. fuerat cum C. Figulo ann. U. C. 689. Ejus sororis filius erat M. Antonius. Sch.

2. *Aquiliam.* Quam falso rumore audiverat Q. patrem uxorem ducere velle. Vid. ep. 13, supr. Ed.

3. Μελήσει. Ipse viderit, ipse cogitet.

sed quod non dubito, quin tu idem existimaturus sis. Ciceroni meo, mi Attice, suppeditabis quantum videbitur, meque hoc tibi onus imponere patiere. Quæ adhuc fecisti, mihi sunt gratissima. Librum meum illum ἀνέκδοτον [4] nondum, ut volui, perpolivi. Ista vero, quæ tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen exspectant. Ego autem (credas mihi velim) minore periculo existimo contra illas nefarias partes [5], vivo tyranno, dici potuisse, quam mortuo. Ille enim, nescio quo pacto, ferebat me quidem mirabiliter: nunc, quacumque nos commovimus, ad Cæsaris non modo acta, verum etiam cogitata revocamur. De Montano, quoniam Flamma venit, videbis. Puto rem meliore loco esse debere.

4. *Librum meum illum* ἀνέκδοτον. Non editum.

5. *Partes*. Mongalt. videtur legisse *pestes*. J. V. L.

CICERO DOLABELLÆ COS. SUO S.

Etsi [1] contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, satisque ex ea magnam lætitiam voluptatemque capiebam; tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conveni; convenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui valitudinis causa in his locis conveniant [2]; præterea ex municipiis frequentes necessarii mei; qui omnes, quum te summis laudibus ad cælum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agunt. Negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis et

1. Alterum hujus epistolæ exemplum inter epist. ad Div. IX, 14, conferenti, nonnulla occurrent dissimilia, quæ si notaremus omnia, vix operæ pretium faceremus. J. V. L.

2. *Conveniant*. Vulg. *conveniunt*. Alterum exemplum, *in hæc loca veniant*. Unde hic legimus, Ernestio duce, *conveniant*. Idem infra, *agant*, pro *agunt*. J.V. L.

consiliis obtemperans, præstantissimum te civem, et singularem consulem præbeas. Quibus ego quamquam verissime possum respondere, quæ facias, tuo judicio et tua sponte facere, nec cujusquam egere consilio; tamen neque plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis consiliis profecta videatur, neque valde nego. Sum enim avidior etiam, quam satis est, gloriæ. Et tamen non alienum[3] est dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiendis Nestorem; mihi vero gloriosum, te juvenem consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinæ meæ.

L. quidem Cæsar, quum ad eum ægrotum Neapolim venissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante, quam me plane salutavit, « O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, quum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, jam salvi esse possemus. Dolabellæ vero tuo et gratulor, et gratias ago; quem quidem, post te consulem, solum possum vere consulem dicere ». Dein[4] multa de facto ac de re gesta. Tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum umquam, nihil reipublicæ salutarius : atque hæc una vox omnium est. A te autem peto, uti me hanc quasi falsam hereditatem alienæ gloriæ sinas cernere, meque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare. Quamquam, mi Dolabella (hæc enim jocatus sum), libentius omnes meas, si modo sunt aliquæ meæ, laudes ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis. Nam quum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis

3. In altero exemplo, « Est tamen non alienum ». J. V. L.

4. *Dein*. In altero exemplo, *Deinde*. J. V. L.

sic incensus sum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut scis, M. Brutum, propter ejus summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atque constantiam : tamen idibus mart. tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.

Quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati et gloriæ servias? proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? Neminem habeo clariorem, quam te ipsum. Te imitere oportet, tecum ipse certes. Ne licet quidem tibi jam, tantis rebus gestis, non tui similem esse. Quod quum ita sit, hortatio non est necessaria; gratulatione magis utendum est. Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset, et quum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuæ : sed contigit magnitudine quum animi [5], tum etiam ingenii atque consilii. Legi enim concionem tuam. Nihil illa sapientius. Ita pedetentim [6] tum accessus a te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur et urbem periculo, et civitatem metu; neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum [7]. Quo facto, intelligere

5. Alterum exemplum, *tum animi.*

6. Ernest. addit, *et gradatim.* More satis Ciceroniano. J. V. L.

7. Rectius quam in epist. ad Div. IX, 14, « ad exemplum facti. Intelligere debes, etc. » J. V. L.

debes, in te positam esse rempublicam, tibique non modo tuendos, sed etiam ornandos illos viros, a quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura propediem, ut spero. Tu, quoniam rempublicam nosque conservas, fac, ut diligentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias.

EPISTOLA XVIII.

De Dolabella ob rem gestam a se laudato, ob pecuniam vero non solutam odioso; de aliis rebus maximam partem domesticis. (In Pompeiano, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Sæpius me jam agitas, quod rem gestam Dolabellæ nimis in cælum videar efferre. Ego autem, quamquam sane probo factum, tamen ut tanto opere laudarem, adductus sum tuis et unis, et alteris literis. Sed totum se a te abalienavit Dolabella, ea de causa, qua me quoque sibi inimicissimum reddidit. O hominem pudentem! kal. jan. debuit; adhuc non solvit, præsertim quum se maximo ære alieno Faberii [1] manu liberarit, et opem ab eo petierit. Licet enim jocari, ne me valde conturbatum putes. Atque ego ad eum IIX idus literas dederam bene mane: eodem autem die tuas literas vesperi acceperam in Pompeiano, sane celeriter, tertio abs te die. Sed, ut ad te eo ipso die

1. *Quum se maximo ære alieno Faberii*, etc. Foerat Cæsaris scriba, cujus manu Aotonius abotebatur, qua occasione Dolabella maguam partem ejus pecuniæ, quam Cæsar io templo Opis custodiæ causa deposuerat, accepit, quasi a Cæsare ipsi adscriptam et attributam: quum tamen id Antonius mano Faberii scribæ effecisset, qoo collegam magno ære alieno oppressum sibi obnoxium fidomqoe faceret. Hioc jocus Cicerooís, Dolabellam se maximo ære alieno Faberii manu liberasse, et *Opem* ab eo petiisse. Meminit Ep. 14, lib. XVI, et in Philippicis. Porma.

scripseram, satis aculeatas ad Dolabellam literas dedi: quæ si nihil profecerint, puto fore, ut me præsentem non sustineat. Albianum te confecisse arbitror. De Patulciano nomine, quod mihi suppeditatus es [2], gratissimum est, et simile tuorum omnium. Sed ego Erotem, ad ista expedienda factum, mihi videbar reliquisse; cujus non sine magna culpa vacillarunt. Sed cum ipso videro. De Montano, ut sæpe ad te scripsi, erit tibi tota res curæ. Servius proficiscens quod desperanter tecum loquutus est, minime miror; neque ei quidquam in desperatione concedo. Brutus noster, singularis vir, si in senatum non est kalend. juniis venturus, quid facturus sit in foro, nescio. Sed hoc ipse melius. Ego ex his, quæ parari video, non multum idibus martiis profectum judico. Itaque de Græcia quotidie magis et magis cogito. Nec enim Bruto meo, exsilium, ut scribis ipse, meditanti, video quid prodesse possim. Leonidæ me literæ non satis delectarunt. De Herode tibi assentior. Saufeii [3] legisse vellem. Ego ex Pompeiano VI idus mai. cogitabam.

2. *Mihi suppeditatus es.* Pro, mihi suppeditasti. Si tamen locus vacat mendo. Nam, suppeditor, cum agendi significatione, inusitatum. Ideo legendum putabat Montagnauus, *suppetiatus es:* pro subvenisti, tulisti opem: quo verbo Apuleius usus est. Man. *Suppetiatus* ingeniose. — Junius explicat: Quod tu mihi reus debendi suppeditatus es in locum Petulcii, et quod te ipse delegari ultro ab ipso voluisti in meum commodum, gratissimum est, etc. Edidit Lamb. « Quod mihi abs te suppeditatum est »; verum, ut fatetur ipse, ex ingenio.

3. *Saufeii legisse.* Supple, epistolam. Is tunc erat Athenis. Videtur de Ciceronis filio quædam scripsisse. Ed.

EPISTOLA XIX.

Respondet binis literis ab Attico acceptis. (In Pompeiano, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Non. mai. quum essem in Pompeiano, accepi binas a te literas, alteras sexto die, alteras quarto. Ad superiores igitur prius. Quam mihi jucundum, opportune tibi Barnæum literas reddidisse. Tu vero cum Cassio, ut cetera. Quam commode autem, quod [1], id ipsum, quod me mones, quatriduo [2] ante ad eum scripseram, exemplumque mearum literarum ad te miseram. Sed quum Dolabellæ ἀτισίᾳ (sic enim tu ad me scripseras) magna desperatione affectus essem; ecce tibi et Bruti, et tuæ literæ. Ille exsilium [4] meditari. Nos autem alium portum [5] propiorem huic ætati videbamus: in quem mallem equidem pervehi, florente Bruto nostro, constitutaque republica. Sed nunc quidem, ut scribis, non utrum vis. Assentiris enim mihi, nostram ætatem a castris, præsertim civilibus, abhorrere. Antonius ad me tantum de Clodio rescripsit, meam lenitatem et clementiam et sibi esse gratam, et mihi voluptati magnæ fore. Sed Pansa furere

1. Vox Ernestio suspecta, cui parum elegans videtur *quod* tam brevi intervallo iteratum. Et sane, si absit, nemo desideret. J. V. L.

2. *Quatriduo ante.* Nempe IV non. maii. Conf. ep. 17. Ed.

3. Ἀτισίᾳ. Defectu solutionis. Verbum Ernestio videtur insolens et fortasse ab Attico factum jocose ad formam ἀκοιτίας. Ed.

4. *Exsilium.* Scilicet Italiam relinquere. Ed.

5. *Alium portum.* Mors portus proximus senectuti. Bene Cato senex: « Mors mihi quidem tam jucunda est, ut quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus ». Popma. — Male Gronov. de secessu intelligit. Ed.

videtur de Clodio, itemque de Dejotaro; et loquitur severe, si velis credere[6]. Illud tamen non belle, ut mihi quidem videtur, quod factum Dolabellæ vehementer improbat. De coronatis[7], quum sororis tuæ filius a patre accusatus esset, rescripsit, se coronam habuisse honoris Cæsaris causa; posuisse luctus gratia; postremo, se libenter vituperationem subire, quod amaret etiam mortuum Cæsarem. Ad Dolabellam, quemadmodum tibi dicis placere, scripsi diligenter. Ego etiam[8] ad Sicam[9]. Tibi hoc oneris non impono: nolo te illum[10] iratum habere. Servii orationem[11] cognosco[12]; in qua plus timoris video, quam consilii. Sed quoniam perterriti omnes sumus, assentior Servio. Publilius tecum tricatus est. Huc enim Cærellia missa ab istis[13] est legata ad me; cui facile persuasi, mihi id, quod rogaret, ne licere quidem, non modo non lubere. Antonium si videro, accurate agam de Buthroto.

Venio ad recentiores literas; quamquam de Servio jam rescripsi. Me facere[14] magnam πρᾶξιν[15] Dolabellæ. Mihi meliercule ita videtur, non potuisset major[16] tali re, talique tempore. Sed tamen, quidquid ei tribuo, tribuo ex tuis literis. Tibi vero assentior, majo-

6. *Si velis credere.* Diffidebat ei Cicero; sed immerito. Pansa enim ad Mutinam pro senatu contra Antonium dimicans occubuit. Ed.

7. *De coronatis.* Supra, ep. 14.

8. Olim, *Ergo etiam.* J. V. L.

9. *Ad Sicam.* Al. fere omnes, *ad Siccam.* J. V. L.

10. *Illum.* Dolabellam.

11. *Orationem.* De facto Dolabellæ. Ed.

12. Ernest. conj. *agnosco.* J. V. L.

13. *Ab istis.* Publilio, matre, et sorore. Missa, ut ageret cum eo de reducenda Publilia. XIII, 43, et XV, 1. Man.

14. *Me facere.* Hæc cum interrogatione lego. Respondet enim Attico scribenti, factum illud Dolabellæ ea potissimum de causa magnum videri, quod ipse id laudando magnum faceret. Itane scribis, inquit, me laudatione mea magnam facere πρᾶξιν Dolabellæ? Bosius. — Interrogandi nota potuit carere hic locus.

15. Πρᾶξιν. Actionem.

16. *Potuisse.* Forte, « potuisse majora ». J. V. L.

rem πρᾶξιν ejus fore, si mihi, quod debuit, dissolverit. Brutus, velim, sit Asturæ. Quod autem laudas me, quod nihil ante de profectione constituam, quam, ista quo evasura sint, videro, muto sententiam. Neque quidquam tamen ante, quam te videro. Atticam meam gratias mihi agere de matre gaudeo : cui quidem ego totam villam cellamque tradidi; eamque cogitabam v idus videre. Tu Atticæ salutem dices. Nos Piliam diligenter tuebimur.

EPISTOLA XX.

Tribus Attici epistolis respondet. (In Neapolitano, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

E Pompeiano navi advectus sum in Luculli [1] nostri hospitium vi idus, hora fere iii; egressus autem e navi, accepi tuas literas [2], quas tuus tabellarius in Cumanum attulisse dicebatur, nonis mai. datas; a Lucullo postridie eadem fere hora, qua veni, vii idus Lanuvio datas. Audi igitur ad omnes. Primum, quæ de re mea gesta et in solutione, et in Albiano negotio, grata. De tuo autem Buthroto, quum in Pompeiano essem, Misenum venit Antonius : inde ante discessit, quam illum venisse audissem; a quo in Samnium. Vide, quid speres [3]. Romæ igitur de Bu-

1. *Luculli.* Est Cn. Lucullus, L. Luculli filius, quem infra familiarem suum vocat, XV, 1. Ed.

2. *Accepi tuas literas*, etc. Legendum forte : « duas literas ». Mox enim dicit : « Persolvi primæ epistolæ : venio ad secundam ». Et paullo post : « Venio ad tertiam », quæ videtur fuisse illa, quam reddidit Lucullus. Nic. Ruben.

3. *Quid speres.* Hoc non ad Buthrotum, sed ad rempublicam refertur. Nam Antonius cursabat huc illuc, ut agros veteranis divideret, quibus beneficio devinctis uteretur adjutoribus ad omnia. Vide supra, ep. 17. Man.

throto. L. Antonii[4] horribilis concio[5], Dolabellæ præclara. Jam vel sibi habeat nummos, modo numeret idibus[6]. Tertullæ[7] nollem abortum : tam enim Cassii sunt jam, quam Bruti serendi. De regina[8] velim, atque etiam de Cæsare[9] illo. Persolvi primæ epistolæ : venio ad secundam.

De Quintis[10], Buthroto, quum venero, ut scribis. Quod Ciceroni suppeditas, gratum. Quod errare me putas, qui rempublicam putem pendere e Bruto, sic se res habet. Aut nulla erit, aut ab isto istisve servabitur. Quod me hortaris[11], ut scriptam concionem mittam, accipe a me, mi Attice, καθολικὸν θεώρημα[12] earum rerum, in quibus satis exercitati sumus. Nemo umquam neque poeta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem, quam se, arbitraretur : hoc etiam malis contingit. Quid tu Bruto putas, et ingenioso, et erudito? de quo etiam experti sumus nuper in edicto[13]. Scripseram rogatu tuo. Meum mihi placebat, illi suum. Quin etiam, quum, ipsius

4. *L. Antonii*. Qui tribunus erat plebis, Marci frater. — Agebat de agris Pontinis populo distribuendis; intercedebat Dolabella. Ed.

5. Antea legebatur *contentio*. Emendavit Victorius. J. V. L.

6. *Idibus*. Quibus fiebat pecuniæ debitæ solutio cum usuris. Horat. «Omnem relegit idibus pecuniam». Popma.

7. *Tertullæ*. Juniæ Tertiæ, uxoris Cassii, sororis Bruti. Popma.

8. *Regina*. Cleopatra supra, ep. 8.

9. *Cæsare*. Quem Cæsarionem Cleopatra vocabat. Dion. lib. XLVII. Corrad. — Idem frustra putat latere hic aliquid mendi. Non videtur. J. V. L.

10. *De Quintis*. De Quinto Cicerone patre, inquit, et de Quinto ejus filio, de Buthroto etiam tuo videbo, quum venero. Bosius. — Olim, «De Quintis ac Buthrotiis». Male. Alii non rectius, «De Quinti Buthroto». J.V. L.

11. *Scriptam*. A me, sed tamquam a Bruto in Capitolio habitam, epist. 1 et 3, lib. XV, vel habendam paullo post. Corr.

12. Καθολικόν. Regulam generalem.

13. *In edicto*. Brutus edictum composuit, quo postulavit ab Antonio consule, ut sibi et Cassio prætoribus liceret ab urbe abesse : quod leges vetabant. Quibus ille item edicto respondit minaci et contumelioso. Epist. 3, lib. XI, ad Div. Man. — Schütziús de hoc nunc agi non putat, sed de edicto priore, cujus mentionem faciunt Brutus et Cassius in epist. ad Antonium, XI, 2. Ed.

precibus pæne adductus, scripsissem ad eum de optimo genere [14] dicendi, non modo mihi, sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari. Quare sine, quæso, sibi quemque scribere. « Suam cuique [15] sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum ». Non scite [16] : hoc enim Attilius, poeta durissimus [17]. Atque utinam liceat isti concionari! cui si esse in Urbe tuto licebit, vicimus. Ducem [18] enim novi belli civilis aut nemo sequetur, aut ii sequentur, qui facile vincantur.

Venio ad tertiam. Gratas fuisse meas literas Bruto et Cassio, gaudeo. Itaque iis rescripsi. Quod Hirtium per me meliorem fieri volunt, do equidem operam; et ille optime loquitur : sed vivit habitatque cum Balbo, qui item bene loquitur. Quid credas, videris. Dolabellam valde placere tibi video : mihi quidem egregie. Cum Pansa vixi in Pompeiano. Is plane mihi probabat, se bene sentire [19], et cupere pacem. Causam armorum quæri plane video. Edictum Bruti et Cassii probo. Quæris [20], ut suscipiam cogitationem, quidnam istis agendum putem : consilia temporum sunt; quæ in horas commutari vides. Dolabellæ et prima illa actio, et hæc contra Antonium concio mihi profe-

14. *De optimo.* Titulus libri quem ad Brutum scripsit, quique exstat, *Orator.* — Brutus et Cicero de vera eloquentia dissidebant. Cæsar vero, gnarus rei existimator, sibi Bruti Catone lecto disertus videbatur: Ciceronis Catonem sæpissime legendo se dicit copiosiorem factum. Vide lib. XIII, epist. 46. Ed.

15. Junius bosce senarios ita constituendos putat : « Suam cuique sinas sponsam, mihi meam; Suum cuique sinas morem, mihi meum ». J. V. L. — In quibus nobis nulla durities apparet, nisi quod *cui* duarum syllabarum est. Ed.

16. *Non scite.* Non eleganter.

17. *Poeta durissimus.* Eum, de Finibus lib. I, cap. 2, *scriptorem ferreum* vocat. Ed.

18. *Ducem.* Antonium. Ed.

19. Male, ante Victorium, *se assentire.* J. V. L.

20. Lambinus ait videri potius Ciceronem scripsisse *Quod rogas*, sive *Quod hortaris*, et ex eo factum esse *Quæris.* Nihil mutandum, nisi malis legere, *Quod quæris.* J. V. L.

cisse permultum videtur. Prorsus ibat[21] res. Nunc autem videmur habituri ducem : quod unum municipia, bonique desiderant. Epicuri mentionem facis, et audes dicere, μὴ πολιτεύεσθαι[22] ? Non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret ? Quintus filius, ut scribis, Antonii[23] est dextella. Per eum igitur, quod volemus[24], facile auferemus. Exspecto, si, ut putas, L. Antonius produxit[25] Octavium, qualis concio[26] fuerit. Hæc scripsi citatim. Statim enim Cassii tabellarius. Eram continuo Piliam salutaturus; deinde ad epulas Vestorii[27] navicula. Atticæ plurimam salutem.

21. *Ibat res.* Erat, cur bene speraremus. Epist. 15 : « Incipit res melius ire ». Man.—*Ducem.* Octavium, Man. sed Mongaltius de Dolabella intelligit, qui æque ac Antonius erat consul. Ed.

22. Μὴ πολιτεύεσθαι. Accedendum non esse ad rempublicam.

23. Deerat olim *Antonii.* J. V. L

24. *Quod volemus.* Impetrare de Buthroto ab Antonio. Epist. 23 hujus libri. Corr.

25. *Produxit.* In concionem ut tribunus plebis : nam tribuni plebis in concionem sæpe producebant (Orat. in Vatin.), quum concionem habere privato non liceret, nisi magistratus aliquis dedisset. Octavium postea produxit Canutius tribunus plebis. Dion. lib. XLV. Corr.

26. *Concio.* Octavii ipsius. Corrad.

27. *Ad epulas Vestorii.* Scilicet Puteolos. Ed.

EPISTOLA XXI.

Refert, quæ Balbus secum loquutus sit, seque postridie ad Hirtium iturum denuntiat. (Puteolis, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Quum paullo ante dedissem ad te Cassii tabellario literas, v idus venit noster tabellarius, et[1] quidem, portenti simile, sine tuis literis. Sed cito conjeci, Lanuvii te fuisse. Eros autem festinavit, ut ad me literæ

1. Videtur significare Victorius h. l. in suis codd. non esse integrum, utpote qui ejus emendationem Germanis tribuat; neque tamen de suis codd. ullum verbum facit. Nunc inter editores nulla dubitatio. J. V. L.

Dolabellæ perferrentur, non de re mea (nondum enim meas acceperat), sed rescripsit ad eas, quarum exemplum tibi miseram, sane luculente. Ad me autem, quum Cassii tabellarium dimisissem, statim Balbus. O dii boni, quam facile perspiceres timere otium! et nosti virum[2], quam tectus: sed tamen Antonii consilia narrabat; illum circumire veteranos, ut acta Cæsaris sancirent, idque se facturos esse jurarent, ut rata omnes haberent; eaque duumviri[3] omnibus mensibus inspicerent. Questus est etiam de sua invidia; eaque omnis ejus oratio fuit, ut amare videretur Antonium. Quid quæris? nihil sinceri. Mihi autem non est dubium, quin res spectet ad castra. Acta enim illa res est animo virili, consilio puerili. Quis enim hoc non vidit, regni heredem relictum? quid autem absurdius, «hoc metuere[4], alterum in metu non ponere?» Quin etiam hoc ipso tempore multa ὑποσόλοικα[5]. Pontii[6] Neapolitanum a matre tyrannoctoni possideri? Legendus mihi sæpius est Cato major[7], ad te missus. Amariorem enim me senectus facit. Stomachor omnia. Sed mihi quidem βεβίωται[8]. Viderint juvenes. Tu mea curabis, ut curas. Hæc scripsi, seu dictavi, apposita

2. Cod. reg. *vultum*. J. V. L.

3. *Duumviri*. Non de duumviris municipiorum intellige. J. V. L. conjicit fuisse religiosos magistratus, ut illi duumviri sacrorum, quos Tarquinius Superbus servandis libris Sibyllinis præposuerat. Lib. IV, 21. Dionys. Halicarn. Antiq. IV, 62. Sane divi Cæsaris acta pro oraculis haberi poterant.

4. *Hoc metuere*. Senarius est ex veteri quodam poeta sumptus, quem Cicero sæpe adducit suppresso auctoris nomine. Bosius.

5. Ὑποσόλοικα. Subabsurda.

6. *Pontii*. Fuit Pontius Aquila inter Cæsaris conjuratos, qui postea Mutinensi prælio cecidit, ut est etiam in epistola quadam Pollionis: «Ibi Hirtium quoque periisse, et Pontium Aquilam», ut hujus fortasse hoc prædium Cæsaris hastæ subjectum sit, quod ille Serviliæ matri Bruti dederit: cui amplissima prædia ex auctionibus hastæ nummo addixit, ut Suetonius tradidit. Ὑποσόλοικον nunc, et subabsurdum videtur Ciceroni, Bruti matrem prædia ejus possidere, quem filius præclari illius facinoris socium habuerit. Vict.

7. *Cato major*. De senectute.

8. Βεβίωται. Vita transacta est.

secunda mensa, apud Vestorium. Postridie apud Hirtium cogitabam: et quidem πεντέλοιπον[9]. Sic hominem traducere ad optimates paro. Λῆρος πολύς[10]. Nemo est istorum, qui otium non timeat. Quare talaria videamus[11]. Quidvis enim potius, quam castra. Atticæ salutem plurimam velim dicas. Exspecto Octavii concionem, et, si quid aliud; maxime autem, ecquid Dolabella tinniat[12]; an in meo nomine[13] tabulas novas fecerit.

9. Πεντέλοιπον. *Qui de quinis superest.* Ita vocare Hirtium videtur, qui de quinque Cæsarianis restabat unus, quem ad optimates traducere posset: quamquam alii aliter. Ernest. — Sed restabant quoque Balbus et Pansa. Igitur Schütz. hanc lectionem vix agnoscit, et malit aliquid significari, quod ad solum Hirtium pertineat, e. c. δειπνολόγον. Nam Hirtius lautitias in epulis amabat, earumque se gnarum existimatorem profitebatur, unde eum Cicero se *cœnandi magistrum* habere dicit. Vide lib. IX, epistol. 16. Ed.

10. Λῆρος πολύς. Nugæ multæ.

11. Vett. quidam libri, *induamus.* Jam olim Gifanius damnaverat. Lambinus reperit *videamus* in omnibus MSS suis. J. V. L.

12. *Tinniat.* An pecuniam mihi debitam annumeret, quæ tinnire ac sonare solet. J. F. Gronov.

13. *An in meo nomine.* An propter pecuniam, quem mihi debet, legem tulerit de tabulis novis: qua creditæ pecuniæ debitoribus condonabantur.

EPISTOLA XXII.

Scribit se mox Arpinum discessurum, significatque Cæsarianos otium timere, et ad bellum spectare. (In Puteolano, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Certior a Pilia factus, mitti ad te idibus tabellarios, statim hoc nescio quid exaravi. Primum igitur scire te volui, me hinc Arpinum xvi kal. jun. Eo igitur mittes, si quid erit posthac: quamquam ipse jam jamque adero. Cupio enim ante, quam Romam venio, odorari diligentius, quid futurum sit. Quamquam ve-

reor, ne nihil conjectura aberrem. Minime enim obscurum est, quid isti moliantur (meus vero discipulus [1], qui hodie apud me cœnat, valde amat illum, quem Brutus noster sauciavit), et, si quæris (perspexi enim plane), timent otium; ὑπόθεσιν [2] autem hanc habent, eamque præ se ferunt, virum clarissimum interfectum, totam rempublicam illius interitu perturbatam; irrita fore, quæ ille egisset, simul ac desistemus [3] timere; clementiam illi malo fuisse, qua si usus non esset [4], nihil ei tale accidere potuisse. Mihi autem venit in mentem, si Pompeius cum exercitu firmo veniat, quod est εὔλογον [5], certo fore bellum. Hæc me species cogitatioque perturbat. Neque enim [6], quod tibi tum licuit [7], nobis nunc licebit. Nam aperte lætati sumus. Deinde habent in ore, nos ingratos. Nullo modo licebit, quod tum et tibi licuit, et multis. Φαινοπροσωπητέον [8] ergo, et ἰτέον [9] in castra? Millies mori melius, huic præsertim ætati. Itaque me idus mart. non tam consolantur, quam antea. Magnum enim mendum continent. Etsi illi juvenes [10]

Ἄλλοις [11] ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται ψόγον.

Sed, si tu melius quippiam speras, quod et plura

1. *Discipulus.* Hirtius. « Hirtium et Dolabellam dicendi discipulos habes». Ad Div. IV, 16.

2. Ὑπόθεσιν. Prætextum, occasionem.

3. Faernus conj. *desisteremus*, quod Ursino magis placet. J. V. L.

4. Al. *fuisset.* J. V. L.

5. Εὔλογον. Consentaneum.

6. Victorius, « Neque enim jam, quod t. t. l.» Sed quum *jam* locum non habeat, quia mox *nunc* est, illud Ernestius delevit. J V. L.

7. *Quod tibi tum licuit.* Cæsaris bello, ut neutram partem sequereris.

8. Φαινοπροσωπητέον. Levato velo, posita dissimulatione, agendum.

9. Ἰτέον. Eundum.

10. *Illi juvenes.* E conjuratis vix unus aut alter quadragesimum annum excesserat; multi non attigerant; unus consularis, Trebonius. Ed.

11. Ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς. « Aliis in bonis hanc effugiunt vituperationem ». Hoc dicit: ita de republica meriti sunt, ut ad eos hoc dedecus non pertineat. Versus est veteris cujusdam tragici græci. Walkenaer, Diatrib. ad Euripid. pag. 192, Sophoclis esse putat. Ed.

audis, et interes consiliis; scribas ad me velim, simulque cogites, quid agendum nobis sit super legatione votiva. Equidem in his locis moneor a multis, ne in senatu kalendis. Dicuntur enim occulte milites ad eam diem comparati, et quidem in istos[12]; qui mihi videntur ubivis tutius, quam in senatu, fore.

12. *Istos*. Brutum et Cassium.

ARGUMENTUM

LIBRI DECIMI ET QUINTI.

Non valde differens est libri hujus argumentum a superioris sententia. Scriptæ enim epistolæ omnes sunt, quum adhuc Romæ negotia tumerent, Antoniusque et Octavius ita omnia miscerent, ut, quamvis neque plane bellum, neque pax esset, appareret tamen rem ad arma deductum iri. Quo quidem tempore Cicero sibi timens, simulque filium Athenis philosophiæ operam dantem cupiens invisere, quum jus liberæ legationis a Dolabella, non autem provincialis, nempe Syriacæ, ut Plutarcho placet, haberet (id enim ex his epistolis ac Philippica prima cognoscitur), iter cepit in Græciam, eo consilio, ut kal. jan. adesset, quod initium cogendi senatus fore, Hirtio et Pansa consulatum ineuntibus, videbatur. Quum spes vero aliqua meliorum rerum fuit, Brutusque et Cassius prætores urbani, quibus maxime recuperandæ reip. ratio nitebatur, si non Romæ, in proximis tamen locis, manebant; perque literas et edicta, cum Antonio populoque agebant; nusquam ille pedem. Cedentibus autem illis, et ipse consilium cepit abeundi. Hæc illorum temporum historia est. Privatim tamen in his epistolis plura continentur, quæ persequi longum esset. Scriptæ sunt ex ante XVI kalend. jan. ad non. quint.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD ATTICUM
LIBER DECIMUS ET QUINTUS.

EPISTOLA I.

Alexionis mortem dolet; exponit quid cum Hirtio egerit; et quid sibi de Antonio et de Bruto videatur; addit quædam domestica. Denique de Piliæ bona valitudine; et de Bruti oratione Capitolina. (In Sinuessano, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

O factum male de Alexione [1]! Incredibile est, quanta me molestia affecerit; nec mehercule ex ea parte maxime, quod plerique mecum [2]: Ad quem igitur te medicum conferes? Quid mihi jam medico? aut, si opus est, tanta inopia est? Amorem erga me, humanitatem, suavitatemque desidero. Etiam illud: quid est, quod non pertimescendum sit, quum hominem temperantem, summum medicum, tantus improviso morbus oppresserit? Sed ad hæc omnia una consolatio est, quod ea conditione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus.

De Antonio jam antea tibi scripsi, non esse eum a

1. *Alexione*. Medico, qui perierat. 2. *Mecum*. Loquuntur. Corr.

me conventum. Venit enim Misenum, quum ego essem in Pompeiano; inde ante profectus est, quam ego eum venisse cognovi. Sed casu, quum legerem tuas literas, Hirtius erat apud me in Puteolano : ei legi, et egi. Primum quod attinet[3], nihil mihi concedebat; deinde ad summam[4], arbitrum me statuebat non modo hujus rei, sed totius consulatus sui. Cum Antonio autem sic agemus, ut perspiciat, si in eo negotio nobis satisfecerit, totum me futurum suum. Dolabellam spero domi esse[5]. Redeamus ad nostros[6]: de quibus tu bonam spem te significas habere propter edictorum[7] humanitatem. Ego autem perspexi, quum a me XVII kal. de Puteolano Neapolim, Pansæ conveniendi causa, proficisceretur Hirtius, omnem ejus sensum. Seduxi enim, et ad pacem sum cohortatus. Non poterat scilicet negare, se velle pacem; sed non minus se nostrorum arma timere, quam Antonii : et tamen utrosque non sine causa præsidium habere; se autem utraque arma metuere. Quid quæris? οὐδὲν ὑγιές[8].

De Q. filio tibi assentior : patri quidem certe gratissimæ et bellissimæ tuæ literæ fuerunt. Cærelliæ[9] vero facile satisfeci : nec valde laborare mihi visa est; et, si illa, ego certe non laborarem. Istam vero[10], quam tibi molestam scribis esse, auditam a te esse, omnino demiror. Nam quod eam collaudavi apud amicos, au-

3. *Primum quod attinet.* Quod pertinet ad primum caput epistolæ tuæ, scilicet de re Buthrotia, in eo Hirtius favore et gratia nihil mihi concedebat, æque atque ego curare videbatur. Popma. — Eadem de re supra, XIV, 20.

4. Al. habent *ad summum*. J. V. L.

5. *Domi esse.* Scilicet solvendum esse. Cui contrarium *foris esse*. In Pison. cap. 6 : « Egere, foris esse Gabinium ». Ed.

6. *Nostros.* Brutum et Cassium. Manut.

7. *Edictorum.* Vide ad Div. XI, 3.

8. Οὐδὲν ὑγιές. *Nihil sinceri.*

9. *Cærelliæ.* Vide sup. XIV, 19. Ed.

10. *Istam vero.* Fortasse Publiliæ matrem, vel ipsam Publiliam. Corr.

dientibus tribus filiis ejus, et filia; οὐ ταυτὸ ἐκ τοῦ[11] αὐτοῦ. Quid est hoc[12]? Quid est autem, cur ego personatus ambulem? parumne fœda persona est ipsius senectutis? Quod Brutus rogat, ut ante kalendas[13]; ad me quoque scripsit: et fortasse faciam. Sed plane, quid velit, nescio. Quid enim illi afferre consilii possum, quum ipse egeam consilio? et quum ille suæ immortalitati melius, quam nostro otio, consuluerit? De reginâ[14], rumor exstinguetur. De Flamma[15], obsecro te, si quid potes.

Heri[16] dederam ad te literas exiens e Puteolano, deverteramque in Cumanum. Ibi bene[17] valentem videram Piliam. Quin etiam Baulos[18] Cumis eam vidi. Venerat enim in funus: cui funeri ego quoque operam dedi. C. Lucullus, familiaris noster, matrem efferebat. Mansi igitur eo die in Sinuessano; atque inde mane postridie Arpinum proficiscens, hanc epistolam exaravi. Erat autem nihil novi, quod aut scriberem,

11. Οὐ ταυτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ. *Non idem ex eodem:* eleganti sane sententia. Nam quum dixisset se eam mulierem, de qua hic agit, apud amicos collaudasse, statim subjicit se eamdem probris et maledictis conscidisse, coram tribus ejus filiis et filia. Id enim significare voluit, quum ait se non eadem ex eodem ore efflasse. Integrum proverbium non apposuit, sed ejus dumtaxat partem, omissis suo more quibusdam verbis, quæ facile extrinsecus assumi poterant. Explicate dixisset οὐ ταυτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος ἐκπνευσα, id est, non idem ex eodem ore efflavi, sed pro laudibus probra objeci. Videtur autem allusum hoc proverbio ad fabulam Æsopicam de Satyro, qui mirabatur rusticum ex eodem ore calidum et frigidum efflare. Bos.

12. *Quid est hoc?* Hoc additum est tamquam ex persona Attici, qui miraturus erat Ciceronem vituperasse, quæ paullo ante laudasset. Est enim improbi viri, quod modo laudaveris, vituperare. Bosius.

13. *Ut ante kalend.* Supple, veniam Romam, vel potius Lanuvium. Corr.

14. *Regina.* Cleopatra. Epist. 8, lib. XIV. Manutius. — *Rumor.* De Cæsarione, quem Cæsaris filium agnosci volebat. Ed.

15. *Flamma.* Vid. XIV, 16. Ed.

16. *Heri.* Corradus prior conjecit hic initium novæ epistolæ faciendum. Jure negat Mongaltius. Ed.

17. Alii, *pæne.* J. V. L.

18. Conjectura est Bosii, vix tamen ferenda. Edd. pr. habent « paullo clam iis ». Corradus conj. « paullo clarius »; Popma, « pullatam Cumis »; al. « paullo post, etc. » J. V. L.

aut ex te quærerem; nisi forte hoc ad rem putas pertinere: Brutus noster misit ad me orationem suam, habitam in concione Capitolina; petivitque a me, ut eam nec ambitiose[19] corrigerem ante, quam ederet. Est autem oratio scripta elegantissime sententiis, verbis, ut nihil possit ultra. Ego tamen, si illam causam habuissem, scripsissem[20] ardentius. Ὑπόθεσις[21] vides quæ sit, quæ persona dicentis. Itaque eam corrigere non potui. Quo enim in genere Brutus noster esse vult, et quod judicium habet de optimo genere dicendi, id ita consequutus est in ea oratione, ut elegantius esse nihil possit. Sed ego solus[22] alius sum; sive hoc recte, sive non recte. Tu tamen velim orationem legas, nisi forte jam legisti, certioremque me facias, quid judices ipse: quamquam vereor, ne, cognomine tuo lapsus, ὑπεραττικὸς[23] sis in judicando. Sed si recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelliges, posse et ἀττικώτατα[24] gravissime dici. Sed hæc coram. Nunc nec sine epistola, nec cum inani epistola volui ad te Metrodorum venire.

19. *Nec ambitiose.* Est non ambitiose, nulla cum adulatione, sed libere. Bosius.

20. Olim, « scr. ardentius ὑποθέσεις. Vides quæ sit p. dicentis ». J. V. L.

21. Ὑπόθεσις. Argumentum.

22. *Solus.* Sic vulgati : sed malunt *totus*, et Malaspina, et Ursinus, et Græevius.—Ernestius conj. *scilicet.* Al. *totus.* J. V. L.

23. Ὑπεραττικὸς. *Admodum Atticus.* Hoc est, vereor, ne, quia cognomen tibi est Attico, valde propensus sis ad ea probanda, quæ sunt attice scripta. Nam Brutus eam rationem scribendi in oratione sua sequutus erat, quam Attici plerique oratores adamaverant, id est, puram, aptam ad docendum potius, quam ad movendum : qualis agnoscitur in orationibus Lysiæ. Hunc igitur oratorem et probabat Brutus, et imitabatur : quum enim Cicero principem poneret, non qui uno in genere excelleret, ut Brutus, Calvus et alii, qui se Atticos esse profitebantur, sed qui parva summisse, magna graviter, mediocria temperate posset dicere. Qualis Demosthenes maxime fuerat. Manut.

24. Ἀττικώτατα. Maxime Attica.

EPISTOLA II.

De Buthrotiorum negotio, ac L. Antonii et Octavii concionibus, breviterque de aliis rebus. (In Sinuessano, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Quinto decimo kalend. e Sinuessano[1] proficiscens, quum dedissem ad te literas, devertissemque a Cumis, in Vesciano accepi a tabellario tuas literas, in quibus nimis multa de Buthroto. Non enim tibi ea res majori curæ aut est, aut erit, quam mihi. Sic enim decet, te mea curare, tua me. Quamobrem id quidem sic susceptum est mihi, ut nihil sim habiturus antiquius. L. Antonium concionatum esse, cognovi tuis literis et aliis, sordide : sed, id quale fuerit, nescio; nihil enim scripsisti. De Menedemo, probe. Quintus certe ea dictitat, quæ scribis. Consilium meum a te probari, quod ea non scribam, quæ tu a me postularis, facile patior, multoque magis id probabis, si orationem eam, de qua hodie ad te scripsi, legeris. Quæ de legionibus[2] scribis, ea vera sunt. Sed non satis hoc mihi videris tibi persuasisse, quid de Buthrotiis nostris per senatum speres confici posse : quod puto[3] (tantum enim video), non videmur esse vi-

1. *Sinuessano*. In agro Vesciano s. Vescino. Strabo putat sic dictum quia in sinu Vescino. Mart. XIII, 31 : «Hæc tibi Vescino de grege massa venit». Infra Gronov. *devertissemque Minturnis*, cui Mongaltius repugnat. Confirmare tamen videtur XVI, 1, inf. ubi itidem Cicero e Sinuessano proficiscens dicit se Minturnis Arpinum versus vertisse. Ed.

2. *De legionibus*. Eas scilicet venire in Italiam accitu cos. Antonii, et fortasse bellum bonis facturas. Sex legiones erant in Macedonia (Appian. III), a Cæsare ad bellum Dacicum et Geticum gerendum præmissæ (Dio, XLV) quas ad se Antonius pertraxit. J. F. Gronov.

3. *Quod puto*. Totus hic locus sic videntur esse constituendus : « Sed non

cturi. Sed, si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet. De Octavii concione idem sentio quod tu: ludorumque[4] ejus apparatus, et Matius ac Postumius mihi procuratores non placent. Saserna collega dignus. Sed isti omnes, quemadmodum sentis, non minus otium timent, quam nos arma. Balbum levari invidia per nos velim: sed ne ipse quidem id fieri posse confidit. Itaque alia cogitat. Quod prima disputatio Tusculana te confirmat, sane gaudeo. Neque enim ullum est perfugium aut melius, aut paratius. Flamma quod bene loquitur, non moleste fero. Tyndaritanorum causa, de qua tam laboras[5], quæ sit, ignoro. Hos tamen[6]. Πεντέλοιπον[7] movere ista videntur, in primis erogatio pecuniæ[8]. De Alexione doleo; sed, quoniam inciderat in ita gravem morbum, bene actum cum illo arbitror. Quos[9] tamen secundos heredes, scire vellem, et diem testamenti.

satis hæc mihi videris tibi persuasisse, qui de Buthrotiis nostris per senatum speres confici posse: haud puto. Quantum video, non videmus esse victuri. Sed, si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet». Sententia est, At tu ipse, qui hæc scribis de legionibus, videris mihi ea non credere: speras enim Buthrotios periculo agri sui amittendi liberari posse a senatu. Id ego minime spero. Nam quantum prospicere possum nihil est propius, quam ut pereamus armis Antonii. In hoc si vanus sum vates, tu rem Buthrotiam facile obtinebis. J. F. Gronov. — Al. habent, «speres; confici posse puto; quantum enim video, nos videmur esse victuri». Alii aliter. J. V. L.

4. *Ludorum*. Vide ad Div. XI, 28.

5. Olim, « de qua causa laborat ». J. V. L.

6. *Hos tamen*. Supple, defendam.

7. Πεντέλοιπον. Supra, XIV, 21.

8. *Pecuniæ*. Publicæ; quam Antonius erogavit ad arbitrium suum: quum ea pertineret ad populum romanum. Manut.

9. *Quos*. Supple, fecerit. Corrad.

EPISTOLA III.

Respondet duabus Attici epistolis. (In Atinati, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Undecimo kalend. accepi in Atinati duas epistolas tuas; quibus duabus meis respondisti. Una erat xv kal. altera xii data. Ad superiorem igitur prius. Accurres in Tusculanum, ut scribis, quo me vi kal. venturum arbitrabar. Quod scribis parendum victoribus; non mihi quidem, cui sunt multa potiora. Nam illa, quæ recordaris, Lentulo[1] et Marcello consulibus acta in æde Apollinis; nec causa eadem est, nec simile tempus, præsertim quum Marcellum[2] scribas aliosque discedere. Erit igitur nobis coram odorandum et constituendum, tutone Romæ esse possimus. Novi[3] conventus habitatores sane movent. In magnis enim versamur angustiis. Sed sunt[4] ista parvi. Quin et majora contemnimus. Calvæ testamentum cognovi, hominis turpis ac sordidi. Tabula[5] Demonici quod tibi curæ est, gratum. De Mario[6] scripsi jam pridem ad Dolabellam accuratissime: modo redditæ literæ sint. Ejus causa et cupio, et debeo.

1. *Lentulo et Marcello coss.* Illa quæ acta sunt Lentulo et Marcello consulibus non debent in exemplum trahi, ut Romam omnes boni veniant, et senatusconsulto facto negotium dent consulibus, ut videant, ne quid respublica detrimenti capiat, quod actum est initio belli civilis illis consulibus. Bosius.

2. *Marcellum.* Consularem. Corr.

3. *Novi.* Intelligit colonias proximis superioribus diebus ab Antonio in agrum Campanum deductas. Philipp. 2. Man.

4. Al. *sint.* J. V. L.

5. *Tabula.* Auctionaria.

6. *De Mario scripsi jam pridem ad Dolabellam.* Hic est M. Marius, de quo epist. 9, lib. II, ad Q. fr. et ad Div. VII, 1. Man.

Venio ad propiorem [7]. Cognovi de Alexione, quæ desiderabam. Hirtius est tuus. Antonio, quam est, volo pejus esse. De Q. filio, ut scribis [8]; de patre coram agemus. Brutum omni re, qua possum, cupio juvare : cujus de oratiuncula idem te, quod me, sentire video. Sed parum intelligo, quid me velis scribere, quasi a Bruto habita oratione, quum ille ediderit. Qui tandem convenit? an sic, ut in tyrannum jure optimo cæsum? Multa dicentur, multa scribentur a nobis; sed alio modo et tempore. De sella Cæsaris, bene tribuni [9]. Præclaros etiam XIV ordines [10]. Brutum apud me fuisse [11] gaudeo : modo et libenter fuerit, et sat diu.

7. *Ad propiorem.* Epistolam.

8. Alii, « De Quinto filio scribis, ut Ἰλιάς ». Concise dictum est pro Ἰλιὰς κακῶν. Significat enim a Q. filio *Iliadem* malorum proficisci. Notum est proverbium Ἰλιὰς κακῶν. Bosius.

9. *Bene tribuni.* Recte factum a tribunis, qui Cæsaris sellam in spectaculis apponi vetuerunt. Quamquam vetuisse Antonium consulem, non tribunos, Appianus tradit : sed credendum potius Attico præsenti. De hac sella, Suetonius sic : « Ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, sedem auream in curia, et pro tribunali tensam, et ferculum Circensi pompa ». Man.

10. *Etiam XIV ordines.* Equites in theatro studium erga rempublicam significantes. Hi enim in XIV ordinibus sedebant ex lege Roscia theatrali.

11. *Apud me.* Asturæ. Ed.

EPISTOLA IV.

Duabus Attici epistolis respondet. (In Atinati, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Decimo kalend. hora IIX fere, a Q. Fufio [1] venit tabellarius, nescio quid ab eo literularum, uti me sibi

1. *A Q. Fufio venit tabellarius*, etc. Q. Fufio Caleno; Ciceronis inimico jam inde a temporibus Clodianis. Asconius in Miloniana. Postea Ciceroni acerbe Antonium in senatu accusanti, non minus acerba oratione respondit, quam recitat Dio, libro XLVI. Manut.

restituerem : sane insulse, ut solet; nisi forte, quæ non ames, omnia videntur insulse fieri. Scripsi ita, ut te probaturum existimem. Mihi duas a te epistolas reddidit, unam XI, alteram X. Ad recentiorem prius. Et legio [2]? rem laudo. Si vero etiam Carfulenus, ἄνω ποταμῶν [3]. Antonii consilia narras turbulenta : atque utinam potius per populum agat, quam per senatum! quod quidem ita credo. Sed mihi totum ejus consilium ad bellum spectare videtur, si quidem D. Bruto provincia eripitur. Quoquo modo [4] ego de illius [5] nervis existimo, non videtur fieri posse sine bello. Sed non cupio; quoniam cavetur [6] Buthrotiis. Rides [7]? at condoleo, non mea potius assiduitate, diligentia, gratia perfici. Quod scribis te nescire, quid nostris faciendum sit, jam pridem me illa ἀπορία [8] sollicitat. Itaque

2. *Et legio*. Iis Cicero respondet, quæ Atticus ei scripserat de legionis cujusdam ad Octavium defectione : et quia mox Carfuleni mentionem facit, puto legionem Martiam significari, cui in bello Mutinensi præfuisse Carfulenum scribit Appianus lib. III Bell. Civ. Bosius. — Varie corrupta verba in MSS. Al. habent, *Et leviorem probo;* al. *De Lenio rem laudo;* al. *Ut legio, rem probo*. J. V. L.

3. Ἄνω ποταμῶν. Supple, ex Euripide, ἱεραὶ χωροῦσι παγαί, *sursum fluminum sacrorum feruntur fontes*. Si Carfulenus quoque relicto Antonio ad Octavium transivit, omnia in contrarium feruntur. Nam Carfulenus amicissimus fuerat Antonio. Itaque non minus mirum videbatur eum ab illo descivisse, quam flumina sursum versus relabi. — Carfulenus in pugna ad Mutinam occisus est. De eo vid. Philipp. III, 9; Hirtius de Bell. Alex. c. 31; Appian. III. — *Agat*. Ut Gallias obtineat.

4. *Quoquo modo*. Ego malim, *Quo modo*. J. V. L.

5. *Illius*. D. Bruti.

6. *Cavetur*. Illud *cavetur* Mongaltius intelligit sensu jurisconsultorum, censetque Atticum scripsisse Ciceroni, auctorem sibi esse Antonium ac spopondisse, quamvis irrita fierent acta Cæsaris, ratum tamen fore id, quod Buthrotio de agro edixerat. Videtur hæc interpretandi ratio cum iis, quæ sequuntur, melius convenire, quam Manutiana, vel Gronoviana. Hic vero quis Bosianam ferat? Oliv.

7. *Rides?* Hoc fingitur dici ab Attico. Sane non poterat malle Cicero, Galliam in M. Antonii, quam in D. Bruti potestate esse. Quare hoc uno verbo significat, neque loqui se serio, neque serium satis videri, quod agebat Atticus, qui Antonio, de Buthrotiorum securitate, mallet credere, quam senatui. Idem.

8. *Jam pridem me illa ἀπορία sollicitat*. Dubitatio.

stulta jam iduum martiarum est consolatio. Animis enim usi sumus virilibus; consiliis, mihi crede, puerilibus. Excisa enim est arbor, non evulsa : itaque, quam fruticetur, vides. Redeamus igitur, quoniam sæpe usurpas, ad Tusculanas disputationes. Saufeium[9] per te celemus : ego numquam indicabo. Quod te a Bruto scribis, ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus, ut ad te ante scripsi, VI kal. et quidem ibi te quam primum per videre velim. Puto enim nobis Lanuvium eundum, et quidem non sine multo sermone[10]. Sed μελήσει[11].

Redeo ad superiorem : ex qua prætereo illa prima de Buthrotiis; quæ mihi sunt inclusa medullis : sit modo, ut scribis, locus agendi. De oratione Bruti, prorsus contendis[12], quum iterum tam multis verbis agis. Egone ut eam causam, quam is scripsit, ego scribam non rogatus ab eo? Nulla παρεγχείρησις[13] fieri potest contumeliosior. At, inquis, Ἡρακλείδιον[14] aliquod. Non recuso id quidem; sed et componendum argumentum est, et scribendi exspectandum tempus maturius. Licet enim de me, ut libet, existimes (velim quidem quam optime); si hæc ita manent[15], ut videntur (feres, quod dicam), me idus martiæ non delectant. Ille enim numquam revertisset[16]; nos timor

9. *Saufeium*. Tua causa, inquit, quoniam videri non vis ab Epicuri secta deficere, Saufeium Epicureum celemus, tibi valde probari Tusculanas. Bosius.

10. *Sermone*. Dabit enim sermonem hic meus cum Bruto congressus. Man.

11. Μελήσει. Curæ erit.

12. *Contendis*. Fortasse, *contundis*.

13. Παρεγχείρησις. *Molitio in opere alieno*. Vide Turneb. Advers. XII, 11.

14. Ἡρακλείδιον. Opus simile iis, quæ scripsit Heraclides Ponticus.

15. Al. *manant*. J. V. L.

16. *Numquam revertisset*. Plerique sic intelligunt, quasi dicat Cicero : Nolim id actum esset, quod idibus martiis, interfecto Cæsare, eo enim sine cæde et sanguine caruissemus, quippe numquam e Parthico, quod meditabatur, bello revertisset. At quam inconsiderate id dixisset? Quis de futuro eventu eum præmonuerat? Aliud ergo voluit, atque huic loco petenda lux est ex illo : « Usi sumus consiliis puerilibus : excisa est arbor,

confirmare ejus acta non coegisset; aut (ut in Saufeii[17] eam, relinquamque Tusculanas disputationes, ad quas tu etiam Vestorium hortaris), ita gratiosi eramus apud illum, quem dii mortuum perduint! ut nostræ ætati, quoniam interfecto domino liberi non sumus, non fuerit dominus ille fugiendus. Rubeo, mihi crede. Sed jam scripseram; delere nolui. De Menedemo, vellem verum fuisset. De regina, velim verum sit. Cetera coram, et maxime, quid nostris faciendum sit; quid etiam nobis, si Antonius militibus obsessurus est senatum. Hanc epistolam si illius tabellario dedissem, veritus sum, ne solveret. Itaque misi dedita opera: erat enim rescribendum tuis.

Quam vellem, Bruto studium tuum navare potuisses! ego igitur ad eum literas. Ad Dolabellam Tironem misi cum mandatis et literis. Eum ad te vocabis; et, si quid habebis, quod placeat, scribes. Ecce autem de transverso L. Cæsar, ut veniam ad se, rogat, in Nemus[18]; aut scribam, quo se venire velim: Bruto enim placere, se a me conveniri. O rem odiosam et inexplicabilem! Puto me ergo iturum, et inde Romam; nisi quid mutaro. Summatim adhuc ad te: nihildum enim a Balbo. Tuas igitur exspecto, nec actorum solum, sed etiam futurorum.

non evulsa ». Si prudenter, inquit, fecissent conjurati, Antonium simul cum Cæsare sustulissent: quod si factum esset, nunc in Antonio Cæsarem non haberemus, quasi ab inferis reversum. Legunt alii, *revixisset*, sensu eodem. Fortasse dixit *revertisset*, quoniam fama tum erat, Antonium reverti Romam cum ingentibus copiis, ut Gallias sibi a senatu extorqueret. Mong.

17. *Aut* (*ut in Saufeii*). Aut, si tollere nolebant Antonium, Cæsarem non debebant: ut enim in Saufeii Epicureorumque sectam abeam, qui dominatum ferre et servire malunt, quam mori, relinquamque Tusculanas disputationes, quæ docent mortem esse servituti anteponendam, ita gratiosi eramus apud illum, ut nostræ senectuti, siquidem dominum habituri essemus, non fuerit dominus ille fugiendus. Popma.

18. *Nemus*. Locum intelligit Dianæ sacrum in agro Aricino. Eo loco prædium habuit L. Cæsar, quod inde Nemorense dicebatur. Bosius.

EPISTOLA V.

De literis a Bruto et Cassio acceptis refert, sibique certum esse periculi vitandi causa ad Urbem non venire, scribit. (In Atinati, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

A Bruto tabellarius rediit; attulit et ab eo, et Cassio. Consilium meum magnopere exquirunt : Brutus quidem, utrum de duobus [1]. O rem miseram! plane non habeo, quod [2] scribam. Itaque silentio puto me usurum, nisi quid aliud tibi videtur. Sin tibi quid venit in mentem, scribe, quæso. Cassius vero vehementer [3] orat ac petit, ut Hirtium quam optimum faciam. Sanum putas? ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς [4]. Epistolam tibi misi. Ut tu de provincia Bruti et Cassii per senatusconsultum, ita scribit et Balbus, et Hirtius : qui quidem, se actutum [5]. Etenim jam in Tusculano est; mihique, ut absim, vehementer auctor est : et ille quidem periculi causa, quod sibi etiam fuisse dicit; ego autem, etiam ut nullum periculum sit : tantum abest, ut Antonii suspicionem fugere nunc curem,

1. *Utrum de duobus.* Utrum Romam eant, ut in senatu kal. jun. adsint, an in iisdem locis maneant periculi causa, de quo mox infra. Poyma.

2. Al. *quid.* J. V. L.

3. Lambinus corrigendum censet, « vehementer errat. Petit, ut H. » J. V. L.

4. Ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς. *Fullo carbonarius.* Fullones e vestibus sordidis candidas faciunt; carbonarii autem nigri et sordidi sunt. Si igitur fullo idem sit carbonarius, frustra in vestibus purgandis laborabit. Hinc proverbium est γναφεὺς ἀνθρακεὺς in eum, qui quum rem meliorem reddere studet, eam deteriorem facit. Ernest.

5. *Se actutum.* Ἐλλειπτικῶς dictum est, pro, « qui quidem ait se actutum » et statim iturum quo decrevit. Ideo mox subjicit, « etenim jam in Tusculano est ». Bosius. — Alii, *Se acturum.* Hirtius promisit se acturum ut illud SC. fiat de provincia Bruto et Cassio mandanda. Poyma. — Sed hoc cum sequentibus non convenit. Ed.

ne videar ejus secundis rebus non delectari, ut mihi causa sit, cur Romam venire nolim, ne illum videam. Varro autem noster ad me epistolam misit, sibi a nescio quo missam (nomen enim delerat), in qua scriptum erat, veteranos eos, qui rejiciantur[6] (nam partem esse dimissam), improbissime loqui; ut magno periculo Romæ sint futuri, qui ab eorum partibus dissentire videantur. Qui porro noster itus, reditus, vultus, incessus inter istos? Quod si, ut scribis, L. Antonius in Decimum[7], reliqui in nostros[8]: ego quid faciam? aut quo me pacto geram? Mihi vero deliberatum est, ut nunc quidem est, abesse ex ea Urbe, in qua non modo florui cum summa, verum etiam servivi cum aliqua dignitate. Nec tam statui ex Italia exire, de quo tecum deliberabo, quam istuc non venire.

6. *Rejiciantur*. A portione publici agri. Ad Div. ep. 2, lib. XI. Man.

7. *In Decimum*. Si L. Antonius, M. frater, in D. Brutum mittetur, vel proficiscetur. Corrad.

8. *Nostros*. Hac voce semper M. Brutum, et C. Cassium designat, ut epistola 4: « Scribis te nescire, quid nostris faciendum sit ». Item epist. 1, lib. XIV, et 6 hujus libri. Man.

EPISTOLA VI.

Narrat se ad Hirtium scripsisse, epistolæque ab eo acceptæ exemplum mittit, et quid ei responderit significat. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Quum ad me Brutus noster scripsisset, et Cassius, ut Hirtium, quem adhuc bonum fuisse sciebant, neque eum confidebant fore, mea auctoritate meliorem facerem (Antonio est enim fortasse iratior, causæ vero amicissimus), tamen ad eum scripsi, eique dignitatem

Bruti et Cassii commendavi. Ille quid mihi rescripsisset, scire te volui; si forte idem tu, quod ego, existimares, istos etiam nunc vereri, ne forte ipsi nostri plus animi habeant, quam habent.

HIRTIUS CICERONI SUO S.

« RURE jam redierim, quæris. An ego, quum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam? Etiam ex Urbe[1] sum profectus : utilius enim statui abesse. Has tibi literas exiens in Tusculanum scripsi. Noli autem me tam strenuum putare, ut ad nonas recurram : nihil enim jam video opus esse nostra cura, quoniam præsidia[2] sunt in tot annos provisa. Brutus et Cassius utinam, quam facile a te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, ne quod calidius ineant consilium ! Cedentes[3] enim hæc ais scripsisse : quo? aut quare? Retine, obsecro te, Cicero, illos; et noli sinere hæc omnia perire, quæ funditus medius fidius rapinis, incendiis, cædibus pervertuntur. Tantum, si quid timent, caveant : nihil præterea moliantur. Non medius fidius acerrimis consiliis plus, quam etiam inertississimis, dummodo diligentibus, consequentur. Hæc enim, quæ fluunt, per se diuturna non sunt; in contentione præsentes ad nocendum habent vires. Quid speres de illis, in Tusculanum ad me scribe. »

Habes Hirtii epistolam : cui rescripsi, nil illos calidius cogitare, idque confirmavi. Hoc qualecumque esset, te scire volui. Obsignata jam epistola, Balbus

1. *Etiam ex Urbe*. Hoc vult dicere : non solum, mi Cicero, rure jam redii, sed etiam, postquam redii, ex Urbe sum profectus. CORR.

2. *Præsidia*. Præsidia vocat magistratus quos Cæsar paucis diebus antequam occideretur, designaverat in biennium, ut scribit Cicero, lib. XIV, epist. 6, et Dio, lib. XLII; sed Appianus, lib. III, in quinquennium. Cui videtur Hirtius hic consentire. POPMA.

3. *Cedentes*. Discedentes. CORRAD.

ad me, Serviliam rediisse, confirmare non discessuros. Nunc exspecto a te literas.

EPISTOLA VII.

Gratas sibi fuisse epistolas ab Attico missas, in primis Sexti Peducæi scribit, et Servii sedulitatem in pacificatione tangit. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Gratum, quod mihi epistolas; quæ quidem me delectarunt, in primis Sexti[1] nostri. Dices, quia te laudat? Puto mehercule id quoque esse causæ; sed tamen etiam ante, quam ad eum locum veni, valde mihi placebat quum sensus ejus de republica, tum scribendi cura. Servius vero pacificator cum librariolo suo videtur obiisse legationem[2], et omnes captiunculas[3] pertimescere. Debuerat autem, «non[4] ex jure manu consertum»; sed quæ sequuntur. Tu quoque scribes.

1. *Sexti.* Sexti Peducæi. Popma.
2. *Legationem.* Quum hunc et illum conveniat pacis causa, quasi legationem hac de re susceperit. Manut.— Ironice: non enim erat legatus. Popma.
3. *Captiunculas.* Ut jurisconsultus.
4. *Non ex jure.* Ennii versus, ex Annal. VIII: «Non ex jure manu consertum, sed mage ferro Rem repetunt regnumque petunt, vadunt solida vi». Quos versus apud Gellium licet videre lib. XX, cap. 6, et orat. pro Murena, cap. 14; de Orat. I, 10; ad Div. VII, 13. Ed.

EPISTOLA VIII.

De literis ad Antonium missis, et de periculo agri Tusculani in Græceii epistola memorato. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense maio.)

CICERO ATTICO S.

Post tuum discessum binas a Balbo; nihil novi: itemque ab Hirtio; qui se scribit vehementer offensum esse veteranis. Exspectat animus, quidnam agam de kalend. martiis[1]. Misi igitur Tironem, et cum Tirone plures, quibus singulis, ut quidque accidisset, dares literas, atque etiam scripsi ad Antonium de legatione; ne, si ad Dolabellam solum scripsissem, iracundus homo commoveretur. Quod autem aditus ad eum difficilior esse dicitur, scripsi ad Eutrapelum[2], ut is ei meas literas redderet, legatione mihi opus esse. Honestior est votiva; sed licet uti utraque[3]. De te, quæso, etiam atque etiam vide. Velim possis coram: si minus possis, literis idem consequemur. Græceius ad me scripsit, C. Cassium sibi scripsisse, homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur. Id quidem mihi non videbatur; sed cavendum tamen, villæque plures videndæ[4]. Sed aliquid crastinus dies ad cogitandum nobis de[5] ea re.

1. *De kal. martiis.* De eo, quod eo die agere decreverunt. Sed locum hic esse kalendis *martiis* non video: *juniis* posset esse: quibus futurum erat, ut ageretur in senatu de commodis veteranorum. Vide ad Div. XI, 2. Man. — Assentiunt fere omnes: itaque tollatur extrema vox, quæ locum hunc videtur occupasse, quod e verbo sequenti litera *M* accreverit, et librarius *mart.* descripserit. — Probat J. V. L. *juniis*. Mong. mallt, *quidnam agant*.

2. *Eutrapelum.* P. Volumnium, Antonii familiarissimum, qui etiam illi Cytheridem amicam suam concesserit. Philipp. II, 24.

3. *Utraque.* Et votiva et provinciali a Dolabella. Vide infra ep. 11. Popma.

4. *Videndæ.* Hoc est, villæ plures, in quibus latere, et hominum armatorum vim effugere possimus, providendæ et quærendæ. Græv.

5. Vetus liber Ursini *dabit*. Rectius. J. V. L.

EPISTOLA IX.

Commemorat quid e Balbi literis compererit, de legatione frumentaria Bruto et Cassio, itemque de provinciis iis decernendis, animique sui perturbationem significat. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Tertio nonas vesperi a Balbo redditæ mihi literæ, fore nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum, et ad Urbem mittendum curarent. O rem miseram! primum ullam ab[1] istis; dein, si aliquam, hanc legatoriam[2] provinciam? Atque haud scio, an melius sit, quam ad Eurotam[3] sedere. Sed hæc casus gubernabit. Ait autem, eodem tempore decretum iri, ut iis et reliquis prætoriis provinciæ decernantur. Hoc certe melius, quam illa Persice porticus[4]. Nolo enim[5] Lacedæmonem longinquam; Lanuvium existimavi. Rides, inquies, in talibus rebus? Quid faciam? plorando fessus sum.

1. *Ab istis.* Antonio et Cæsarianis.

2. *Legatoriam.* Per contemptum; quod quasi legati ad curandum frumentum mitterentur. Scribit Appianus, lib. III, senatum Bruto et Cassio timentem, demandato rei frumentariæ munere, honeste illos amandasse. Man.

3. *Ad Eurotam.* Usque eo legatoriam istam provinciam parvi facio, ut nesciam, utrum ea sit melius uti, quam prorsus nihil agere, et Lanuvii sedere. Lanuvii enim erat Brutus. *Eurotam:* fluvium Laconiæ, Lanuvii pictum in porticu, quæ Persice dicebatur, fortasse quod in ea simulacrum pugnæ fuerit, qua Persæ a Græcis cæsi sunt. Mongaltius primo « ad Eurotam sedere » pro proverbio acceperat. Deinde ad sensum, quem damus, revertit: postremo denique Eurotam conjicit esse rivulum quemdam in villa Bruti, cui hoc nomen ex more dederat. Hanc demum sententiam amplexus est J. V. L. Ed.

4. *Persice porticus.* Porticus quam in Lanuviana villa exstruxerat Brutus, ubi aut Eurotam pictum habebat, aut rivulum quemdam illam villam irrigantem, quem Eurotam dixit. Græv.

5. *Nolo enim.* Quia Eurotam nominavi, fortasse poteras accipere de Lacedæmone, quam præterfluit Eurotas: ideo addidi de Persice porticu: ut intelligeres, me de Eurota simulato loquutum, et Lanuvium significare.

Dii immortales! quam me conturbatum tenuit epistolæ tuæ prior pagina? quid autem iste in domo tua casus armorum[6]? Sed hunc quidem nimbum cito transiisse lætor. Tu quid egeris tua quum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione[7], vehementer exspecto. Est enim inexplicabilis : ita circumsedemur copiis omnibus. Me quidem Bruti literæ, quas ostendis a te lectas, ita perturbarunt, ut, quamquam ante egebam consilio, tamen animi dolore sim tardior. Sed plura, quum ista cognoro. Hoc autem tempore, quod scriberem, nihil erat, eoque minus, quod dubitabam, tu has ipsas literas essesne accepturus. Erat enim incertum, visurusne te esset tabellarius. Ego tuas literas vehementer exspecto.

6. *Casus armorum*. Rixam significat nescio quam in Attici domo ortam, ita ut ad arma ventum sit. Max.

7. *Legatione*. Est *legatio*, ut *provincia*, negotii cujuslibet, privati aut publici procuratio, vel aliunde commissa, vel sponte suscepta. *Consiliari* non est dare consilium, sed consultare, deliberare. Quod neglexerint hæc interpretes (non enim ignorasse puto), falsam Ciceroni sententiam affinxere, quasi constituisset Atticus, legationis specie, ab Urbe discedere; qua de re dicat Cicero, difficile esse, ut quis ei dare consilium possit. Qui sic sentiunt, intelligere non videntur nisi legationem liberam, quæ senatoribus daba tur extra Italiam abeuntibus. At senator Atticus non erat. Aliena est igitur explicandi hæc ratio. Aptiorem suggerit Mongaltius, quem sequor. Atticum invitarat Brutus in suum Lanuvium ad consiliandum cum amicis. Hæc illa est legatio et provincia tristis, difficilis, *inexplicabilis*. Antea quum esset rogatus, ut Brutum eadem de causa conveniret, « O rem, inquit, supra epist. 4, odiosam et inexplicabilem ». Sine Attico deliberarunt alii. Fuit enim ab coitionibus ejusmodi semper alienus, ut locuples auctor narrat in ipsius vita Cornelius Nepos, cap. 8. Oliv.

EPISTOLA X.

Incertum se esse fatetur, quidnam Bruto consilii det. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

O Bruti amanter scriptas literas! o iniquum tuum

tempus, qui ad eum ire non possis! Ego autem quid scribam? Ut beneficio[1] istorum utantur? Quid turpius? Ut moliantur aliquid? Nec audent, nec jam possunt. Age, quiescant auctoribus nobis? Quis incolumitatem præstat[2]? Si vero[3] aliquid de Decimo gravius[4]; quæ nostris[5] vita, etiamsi nemo molestus sit? Ludos vero non facere[6], quid fœdius? Frumentum imponere, quæ est alia Dionis legatio[7]? aut quod munus in republica sordidius? Prorsus quidem consilia tali in re ne iis quidem tuta sunt, qui dant. Sed possim id negligere proficiens. Frustra vero quid ingrediar[8]? Matris[9] consilio quum utatur, vel etiam precibus, quid me interponam? Sed tamen cogitabo, quo genere utar literarum: nam silere non possum. Statim igitur mittam[10] vel Antium, vel Circæos.

1. *Beneficio*. Provincia legatoria. Ep. 8 hujus libri, et ep. seq. Corr.

2. Al. *præstet*. J. V. L.

3. *Si vero*. Si Antonius gravius consulat in Decimum Brutum, ut sibi eripiat provinciam Galliam, quemadmodum paullo post tentavit, Mutinam obsidendo. J. F. Gronov.

4. Al. « de Decimi Græceiique; q. n. » J. V. L.

5. *Quæ nostris vita*. Quamvis nemo molestus sit Bruto et Cassio nostris, quam turpis tamen futura est eorum vita, si opem non ferant Decimo? Bosius.

6. *Ludos vero non facere*. Brutum prætorem, ad quem hoc pertinet, ut etiam postea quum in Urbe esse non posset, absens fecit curante C. Antonio. Ep. seq. Appianus lib. III. Por.

7. *Dionis legatio*. Proverbii formam habet de beneficio aut honore in contumeliam collato: natum a facto Dionysii tyranni, qui Dionem familiarem suum specie legationis in exsilium misit, quum tamen eum non in exsilium a se missum, sed secessum quæsivisse diceret, ut refert Plutarchus et Nepos. Hinc Cicero: Illa curatio frumenti mandata Bruto et Cassio, ut quasi in exsilium missi procul a republica absint, non est alia quam Dionis legatio. Idem.

8. *Ingrediar*. Ad dandum consilium.

9. *Matris*. Serviliæ, quæ et amica Cæsaris fuerat, et Cæsarianis favebat.

10. *Mittam*. Literas: alterutro in loco futuri erant Brutus et Cassius. Man. — Non autem misit, sed ipse ad Brutum profectus est Antium. Ed.

EPISTOLA XI.

Narrat suum cum Bruto et Cassio colloquium; ac Dolabellam se sibi legasse nuntiat. (In Antiati, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Antium veni ante VI kal.[1] Bruto jucundus noster adventus. Deinde multis audientibus, Servilia, Tertulla, Porcia, quærere, quid placeret. Aderat etiam Favonius. Ego, quod eram meditatus in via, suadere, ut uteretur Asiatica curatione frumenti; nihil esse jam reliqui, quod ageremus, nisi ut salvos esse; in eo etiam ipsi reipublicæ esse præsidium. Quam orationem quum ingressus essem, Cassius intervenit. Ego eadem illa repetivi. Hoc loco, fortibus sane oculis Cassius (Martem spirare diceres), se in Siciliam non iturum. Egone[2], ut beneficium accepisse in contumeliam? Quid ergo agis? inquam. — At ille, in Achaiam se iturum. — Quid tu, inquam, Brute? — Romam, inquit, si tibi videtur. — Mihi vero minime; tuto enim non eris. — Quid? si possem esse, placeretne? —Atque ut omnino [3], neque nunc, neque ex prætura

1. *VI kal.* Junii, non maii, ut putavit Corradus. Legatio enim frumentaria Cassio et Bruto nonis data est. Hoc conjecit Mongalt. ex ep. 13, quæ octavo kal. quint. scriptam putat. Sed verisimile J. V. L. videtur hanc ep. 13, longo tempore post omnes hujus libri ep. scriptam fuisse. Strothius correxerat *ante VI idus*. Ed.

2. *Egone*. Egone, Cassius aiebat, ut quæ contumelia est, eam beneficii loco ponam? Clarius explanemus. Si hac, inquit, frumentaria uterer curatione, quodam modo fateri viderer, beneficium mihi esse datum, quum ego ita sentiam, tam sordido munere demandato, non datum beneficium, sed impositam contumeliam. Man.

3. *Atque ut omnino*. Respondit Cicero: Si tuto potes, omnino mihi placet te Romæ esse, non modo nunc, sed et post quum prætura fueris in Urbe defunctus, malim te Romæ manere, quam in provinciam ire, quia tua opera, et consilio eget respublica. Quamvis autem sic sentiam, tibi tamen

in provincia ires; sed auctor non sum, ut te Urbi committas. Dicebam ea, quæ tibi profecto in mentem veniunt, cur non esset tuto futurus. Multo inde sermone querebantur, atque id quidem Cassius maxime, amissas occasiones; Decimumque graviter[4] accusabat. Ego negabam oportere præterita; assentiebar tamen. Quumque ingressus essem dicere, quid oportuisset (nec vero quidquam novi, sed ea, quæ quotidie omnes), nec tamen illum locum attingerem[5], quemquam præterea[6] oportuisse tangi, sed senatum vocari[7], populum ardentem studio vehementius incitari[8], totam susciperem[9] rempublicam; exclamat tua[10] familiaris: « Hoc vero neminem umquam audivi ». Ego[11] repressi.

auctor non sum, ut nunc urbem ingrediaris. Græv.

4. *Decimumque graviter accusabat.* Manutius accusatum putat, quod quum et Galliam provinciam, et in ea tres legiones haberet, otiosus nihil pro republica moliretur. Verum accusandi causa fuit, quod, ut narrat Velleius Paterculus II, 58, Cassio *repugnaverat* censenti interimendum esse simul cum Cæsare Antonium. Atque idcirco negabat Cicero, oportere præterita refricari. Mong.— Middleton in præfatione anglicæ interpretationis epist. ad Brutum monet temere Velleium a Mongalt. advocari, qui diserte contra ejus opinionem facit, in quo consentiunt Plutarch. et Appianus. Damus locum Velleii: « consul Antonius, quem quum simul interimendum censuisset Cassius, testamentumque Cæsaris abolendum, Brutus repugnaverat, dictitans, nihil amplius civibus præter tyranni..... petendum esse sanguinem ». Mongalt. autem errasse videtur cum Bosio et Popma. Sed J. V. L. putat non unum tantum ex conjuratis Antonio parcere voluisse, et Cassio ipsi hoc placuisse: nam hoc illi Cicero oblique objicit, ad Div. XII, 4: « Vellem idibus martiis me ad cœnam invitasses. Reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent ». Hoc etiam mirum Ciceronem nescivisse cui Bruto salus Antonii deberetur: Τῶνδ' αἰτίαν τῶν Βροτῶν τίς εἶχεν; cur autem Cassius Decimum accusaret, vix definiri potest: sed quum res male conjuratis cessisset, se mutuo accusabant: « multo inde sermone querebantur ». Ed.

5. Al. *attingere.* J. V. L.

6. *Quemquam præterea.* Id est, Antonium præter Cæsarem, oportuisse occidi. Lamb.

7. Al. *vocare.* J. V. L.

8. Al. *incitare.* J. V. L.

9. Al. *suscipere.* Forte etiam legendum *suscipi.* Quod in interpretando sequimur. J. V. L.

10. *Tua familiaris.* Servilia. Corr.

11. *Ego repressi.* Vel, ego Cicero repressi Serviliam ita exclamantem: vel, ego Servilia repressi Brutum, et Cassium id, quod dicis Cicero, facere

Sed et Cassius mihi videbatur iturus (etenim Servilia pollicebatur se curaturam, ut illa frumenti curatio de senatusconsulto tolleretur); et noster [12] cito dejectus est de illo inani sermone : velle enim se dixerat. Constituit igitur, ut ludi, absente se, fierent suo nomine. Proficisci autem mihi in Asiam videbatur ab Antio velle. Ne multa; nihil me in illo itinere, præter conscientiam, delectavit. Non enim fuit committendum, ut ille ex Italia prius, quam a me conventus esset, discederet. Hoc dempto munere amoris atque officii, sequebatur, ut mecum ipse :

Ἡ δεῦρ' ὁδός [13] σοι τί δύναται νῦν, θεοπρόπε;

Prorsus dissolutum offendi navigium, vel potius dissipatum. Nihil consilio, nihil ratione, nihil ordine. Itaque etsi ne antea quidem dubitavi, tamen nunc eo minus, evolare hinc; idque quam primum, ubi

Nec Pelopidarum [14] facta, neque famam audiam.

Sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legavit a. d. IV nonas [15]. Id mihi heri vesperi nuntiatum est. Votiva ne tibi quidem placebat. Etenim erat absurdum, quæ, si stetisset respublica [16], vovissem,

volentes. Corr. — Puto supplendum *me*. Ut se dicat Cicero cum muliere contendere noluisse, et se cohibuisse. Malasp.

12. *Noster*. Brutus. *Inani sermone*. Quum dixit, se Romam iturum. *Velle enim se dixerat*. Uti Asiatica curatione frumenti. Man.

13. Ἡ δεῦρ' ὁδός. « Iter hoc susceptum, cui tibi usui nunc est, age, dic tu, qui oraculum consulis ». Senarius poetæ nescio cujus.

14. *Nec Pelopidarum*. Supra, lib. XIV, epist. 12.

15. Alii add. *april*. Male. J. V. L. — *April*. Ut minus sincerum sustulerim libenter. Nonas apriles futuras Cicero exspectaturus non erat, qui statim cuperet navigare. Malasp. — Et hanc vocem delendam censet Corradus. Neque enim Cicero mensem nominabat semper : quem supplere quum vellent librarii, turpiter se dederunt. Vide supra, ep. 8. Oliv.

16. *Quæ, si stetisset respublica*. Vota pro salute reipublicæ etiam privati suscipiebant, ut Cicero hic scribit vota a se facta sub hac formula, « si

ea me, eversa illa, vota dissolvere : et habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Julia; nec facile addi potest [17]. A veo genus legationis, ut, quum velis, introire, exire, liceat : quod nunc mihi additum est. Bella est autem hujus juris quinquennii [18] licentia. Quamquam quid de quinquennio cogitem? contrahi mihi negotium videtur. Sed βλάσφημα [19] mittamus.

respublica stetisset » : quæ quum respublica non staret, sed eversa plane esset, dissolvere absurdum erat. Sed ut plurimum magistratus publico decreto pro salute reipublicæ vota diis nuncupabant in hæc verba : « Si eodem statu respublica staret. Si in decem annos respublica in eodem stetisset statu ». Quæ refert Livius. POPMA.

17. Valde dubius locus. Lallem. ex Lambino, ut solet, « nec facile addi potest ad hoc genus legationis, etc. » J. V. L.

18. *Quinquennii licentia.* Ut legatus per quinquennium abesse possim. MANUT.

19. Βλάσφημα. Quæ mali sunt ominis.

EPISTOLA XII.

Repetit breviter, quæ de Bruto et Cassio scripserat, additque pauca de L. Antonii literis, et de Octaviani ingenio et animo. (In Antiati, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

BENE mehercule de Buthroto. At ego Tironem ad Dolabellam cum literis, quia jusseras, miseram. Quid nocet? De nostris autem Antiatibus [1] satis videbar plane scripsisse, ut non dubitares, essent quin otiosi futuri, usurique beneficio Antonii contumelioso. Cassius frumentariam rem aspernabatur : eam Servilia sublaturam ex senatusconsulto se esse dicebat. Noster vero, καὶ μάλα σεμνὸς [2], in Asiam, posteaquam mihi est

1. *Antiatibus.* Bruto, et Cassio.

2. Καὶ μάλα σεμνός. *Et valde gravis.* Dixit εἰρωνικῶς : quod Brutus, ut ad illustrem et gloriosam provinciam, sic ad sordidam rei frumentariæ curationem æquo animo proficisceretur. MAN.

assensus, tuto se Romæ esse non posse. Ludos enim absens facere malebat. Statim autem se iturum, simul ac ludorum apparatum iis, qui curaturi essent, tradidisset. Navigia colligebat. Erat animus in cursu. Interea in eisdem locis erant futuri. Brutus quidem se aiebat Asturæ. L. quidem Antonius liberaliter literis sine cura me esse jubet. Habeo unum beneficium; alterum fortasse, ni in Tusculanum[3] venerit. O negotia non ferenda! quæ feruntur tamen. Τῶνδ' αἰτίαν τῶν Βρούτων τίς εἶχεν; Octaviano, ut perspexi, satis ingenii, satis animi; videbaturque erga nostros ἥρωας ita fore, ut nos vellemus, animatus. Sed quid ætati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid κατηχήσει[5], magni consilii est. Vitricus[6] quidem nihil censebat; quem Asturæ vidimus. Sed tamen alendus est; et, ut nihil aliud, ab Antonio sejungendus. Marcellus præclare, si præcipit nostro nostri[7]: cui quidem ille deditus mihi videbatur. Pansæ autem et Hirtio non nimis credebat. Bona indoles, ἐὰν διαμείνῃ[8].

3. *Ni in Tusculanum.* Si, inquit, Antonius in Tusculanum non veniet, qua eum venturum prædicant, alterum ab eo beneficium habebo. Narratum fuerat Ciceroni Antonium venturum esse in Tusculanum cum armatis hominibus, ut agrum divideret: qua de re supra, epist. 8. Bosius. — Olim *si*, quod Schütz. servavit.

4. Τῶνδ' αἰτίαν. Legendum est cum interrogatione, « Horum culpam quis Brutorum sustinet? » qui scilicet auctor fuit, ut Antonio parceretur. Si enim una cum Cæsare Antonius occisus fuisset, non fierent hæc negotia non non ferenda. Popm.

5. Κατηχήσει. *Institutioni*, qua fuit a Cæsare informatus, eruditus.

6. *Vitricus*. L. Martius Philippus.

7. *Nostro nostri.* Nonnulli hic vident Quintum Quinti filium, et hoc putant responsum esse Attico, qui scripserat, Marcellum Quinto filio præcipere, quas partes in republica sequeretur. Mongaltius *nostro* et *nostris* reponit, et sic explicat: *Si præcipit* Octaviano, deditum esse *nostro* Bruto, *nostris* heroibus. Favet quod paucis ante versibus dictum est: « Videbaturque erga nostros ἥρωας ita fore, etc. » Nihil offendi melius. Oliv.

8. Ἐὰν διαμείνῃ. Si permanserit.

EPISTOLA XIII.

De variis rebus breviter. (In Puteolano, anno U. C. 709, mense octobri.)

CICERO ATTICO S.

Octavo kal. duas a te accepi epistolas. Respondebo igitur priori prius. Assentior tibi, ut nec duces simus, nec agmen cogamus; faveamus tamen. Orationem[1] tibi misi. Ejus custodiendæ, et proferendæ arbitrium tuum. Sed quando illum diem[2], quum tu edendam putes? Inducias, quas scribis, non intelligo fieri posse. Melior est ἀναντιφωνησία[3], qua me usurum arbitror. Quod scribis legiones duas[4] Brundisium venisse, vos omnia prius[5]. Scribes igitur, quidquid audieris. Varronis διάλογον[6] exspecto. Jam probo Ἡρακλείδειον[7], præsertim quum tu tantopere delectere; sed quale velis, velim scire. Quod ad te antea, atque adeo prius[8] scripsi (sic enim mavis), ad scribendum, tibi itero dicere, fecisti me acriorem[9]. Ad tuum enim judicium, quod mihi erat notum, addidisti Peducæi auctoritatem, magnam quidem apud me, et in primis gravem. Enitar igitur, ne desideres aut industriam

1. *Orationem*. Quæ non exstat: nam Philippicæ post hoc tempus habitæ. Manut.

2. *Diem*. Supple, videbimus. Corr.

3. Ἀναντιφωνησία. Silentium.

4. *Legiones duas*. Accitas e Macedonia a M. Antonio cos. et a Caio ejus fratre Brundisium advectas, ad quas Marcus mox profectus est, Phil. III. Popm.

5. *Prius*. Auditis, quam nos.

6. Διάλογον. Dialogum.

7. Ἡρακλείδειον. Vide supra, ep. 4.

8. *Prius*. Videtur Atticus in quodam Ciceronis opusculo recensendo, ubi ille posuerat τὸ *antea*, ibi maluisse haud scio quam ob causam τὸ *prius*. Id nunc ei ridens in memoriam revocat. J. F. Gronov. — Mongalt. distinguendum putavit inter *antea* et *prius*. Sed J.V. L. Gronovii sententiam probat. Ed.

9. *Tu vero*. Locus apud Lambinum planus et commodus: apud ceteros

meam, aut diligentiam. Vectenum, ut scribis, et Faberium foveo. Clœlium nihil arbitror malitiose : quamquam. Sed quid egerit [10]? De libertate retinenda, qua certe nihil est dulcius, tibi assentior. Itane Gallo [11] Caninio? o hominem nequam [12]! quid enim dicam aliud? Cautum [13] Marcellum; me sic, sed non tamen cautissimum. Longiori epistolæ superiorique respondi. Nunc breviori propiorique quid respondeam, nisi eam fuisse dulcissimam? Res Hispanienses valde bonæ: modo Balbilium [14] incolumem videam, subsidium nostræ senectutis. De Anniano item [15], quod me valde observat Visellia. Sed hæc quidem humana. De Bruto te nihil scire dicis; sed Selicia [16] venisse M. Scaptium, eumque non qua pompa [17], ad se tamen clam venturum, sciturumque me omnia : quæ ego statim [18]. Interea narrat eadem, Bassi servum venisse, qui nuntiaret, legiones Alexandrinas in armis esse, Bassum arcessi [19], Cassium exspectari. Quid quæris? videtur respublica jus suum reciperatura. Sed ne quid

perturbatus. Videtur tamen deesse aliquid post hæc verba, *prius scripsi*, nempe « exspectandum tempus maturius », ut supra dixerat, ep. 4. Oliv. —Alii, « (sic enim me mavis dicere), tu vero ad scribendum fecisti me alacriorem ». Alii aliter. J. V. L.

10. *Quid egerit*. Quasi dicat, nihil egerit, quamvis id fecerit, quod instituit. Bos.

11. *Itane Gallo*. Scilicet injuriam fieri; huic enim cum Antoniis inimicitiæ videntur intercessisse. Valer. Max. IV, 2. Corr.

12. *Hominem nequam*. Antonium. Ignota res, brevitate magis etiam obscurata. Man.

13. *Cautum*. Qui discedat. Ep. 2 hujus libri. Corr.

14. *Balbilium*. Erat tum in Hispania Balbus minor, quem scite putat Mongaltius hoc vocabulo designari. Oliv.

15. *Item*. Hoc est, *item ut tu sum* affectus. Quod addit : « Sed hæc quidem humana », argumento est, agi de Anniani hujus morte. Oliv.

16. *Selicia*. Mulier. Supple, dicebat. De M. Scaptio, vide lib. V, epist. 21.

17. *Non qua pompa*. Non illo quo solebat insigni comitatu. Man.

18. *Statim*. Ad te scribam. Man.— *Narrat*. Alii, *narras*. L. J. V.

19. *Bassum arcessi*. Ab legionibus Alexandrinis, quæ illi tradere se vellent. De Cæcilio Basso epist. 9, lib. XIV. Man.

ante[20]: nosti horum exercitationem in latrocinio, et amentiam. Dolabella, vir optimus. Etsi, quum scribebam, secunda mensa apposita, venisse eum ad Baias audiebam; tamen ad me ex Formiano scripsit (quas literas, quum e balineo exissem, accepi), sese de attributione[21] omnia summa fecisse: Vectenum accusat[22]; tricatur scilicet, ut homo talis[23]. Sed ait totum negotium Sextium nostrum suscepisse, optimum quidem illum virum, nostrique amantissimum. Quæro autem, quid tandem Sextius in hac re facere possit, quod non quivis nostrum? Sed, si quid præter spem erit, facies ut sciam. Sin est, ut arbitror, negotium perditum, scribes tamen; neque ista res commovebit. Nos hic φιλοσοφοῦμεν[24] (quid enim aliud?), et τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος[25] magnifice explicamus, προσφωνοῦμένque[26] Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio? Deinde alia. Quid quæris? exstabit opera peregrinationis hujus. Varronem hodie, aut cras venturum putabant. Ego autem in Pompeianum properabam; non quo hoc loco quidquam pulchrius; sed interpellatores illic minus molesti. Sed perscribe, quæso, quæ causa sit Myrtilo[27] (pœnas quidem illum pependisse audivi), et satisne pateat[28], unde corruptus. Hæc quum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam. Hui, quam timeo, quid

20. *Ne quid ante.* Supple, accidat.

21. *De attributione.* Ut ii, qui ipsi debent, mihi se soluturos pollicerentur. MAN.

22. *Accusat.* Debitorem suum, qui sibi, qua die promiserat, non solverit. MANUT.

23. Schütz. conj. *ut monetalis*, ex epist. ad Attic. X, 11. J. V. L.

24. Φιλοσοφοῦμεν. Philosophamur. — Alii legunt φιλοσοφοῦμεθα.

25. Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος. Quæ de officio.

26. Προσφωνοῦμεν. Inscribimus.

27. *Myrtilo.* Servi nomen videtur, non romani hominis, ad ejus fortasse Myrtili imitationem, quem aurigam Œnomai fuisse, antiquæ fabulæ tradunt. MAL. — Quis sit hic Myrtilus ignorat J. V. L.

28. *Et satisne pateat.* Alii, *et satisne patet.* J. V. L.

existimes! Etsi quid ad me, quæ non sit foras proditura, nisi republica reciperata? de quo quid sperem, non audeo scribere.

EPISTOLA XIV.

Attico mittit exemplum epistolæ ad Dolabellam scriptæ, seque, etsi animo sit suspenso, tamen ad libros scribendos rediisse significat. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Sexto kal. accepi a Dolabella literas, quarum exemplum tibi misi: in quibus erat, omnia se fecisse, quæ tu velles. Statim ei rescripsi, et multis verbis gratias egi. Sed tamen, ne miraretur, cur idem iterum facerem, hoc causæ sumpsi, quod ex te ipso coram antea nihil potuissem cognoscere. Sed quid multa? literas hoc exemplo dedi.

CICERO DOLABELLÆ COS. SUO S.

« Antea quum per literas Attici nostri de tua summa liberalitate, summoque erga se beneficio certior factus essem, quumque tu ipse etiam ad me scripsisses, te fecisse ea, quæ nos voluissemus: egi tibi gratias per literas eis verbis, ut intelligeres, nihil te mihi gratius facere potuisse. Postea vero quam ipse Atticus ad me venit in Tusculanum hujus unius rei causa, tibi ut apud me gratias ageret, ut cujus eximiam[1] quamdam, et admirabilem in causa Buthrotia voluntatem, et singularem erga se amorem per-

1. *Ut tuam eximiam.* Malles, opinor, quod est inter varias lectiones editum a Grævio, « Tibi ut apud me gratias ageret, cujus eximiam, etc. »

spexisset; teneri non potui, quin tibi apertius illud idem his literis declararem. Ex omnibus enim, mi Dolabella, studiis, in me, et officiis, quæ summa sunt, hoc scito mihi et amplissimum videri, et gratissimum esse, quod perfeceris, ut Atticus intelligeret, quantum ego te, quam tu me amares. Quod reliquum est, Buthrotiam et causam, et civitatem, quamquam a te constituta est (beneficia autem nostra tueri solemus), tamen velim, receptam in fidem tuam, a meque etiam atque etiam[2] tibi commendatam, auctoritate et auxilio tuo tectam velis esse. Satis erit in perpetuum Buthrotiis præsidii, magnaque cura et sollicitudine Atticum, et me liberaris, si hoc honoris mei causa susceperis, ut eos semper a te defensos velis. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo ».

His literis scriptis, me ad συντάξεις[3] dedi; quæ quidem, vereor, ne miniata cerula[4] tua pluribus locis notandæ sint: ita sum μετέωρος[5], et magnis cogitationibus impeditus.

2. Abest *atque etiam*. J. V. L.
3. Συντάξεις. Scriptionem librorum.
4. *Ne me miniata cerula*. Qua solitus erat, ea, quæ non probaret, notare. Man.
5. Μετέωρος. Animi pendens.

EPISTOLA XV.

De nummis Arpinatium depositis Fadio reddendis; de Cleopatræ reginæ iniquitate, et de Saræ insolentia; de nominibus suis expediendis, et de pecunia filio Athenas permutanda. (In Pompeiano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

L. Antonio male sit, siquidem Buthrotiis molestus

est. Ego testimonium[1] composui: quod, quum voles, obsignabis. Tu nummos[2] Arpinatum, si L. Fabius ædilis petet, vel omnes reddito. Ego ad te alia epistola scripsi de H-S cx, quæ Statio curarentur. Si ergo petet Fadius, ei volo reddi; præter Fadium, nemini. Apud me item puto depositum[3]. Id, scripsi ad Erotem, ut redderet. Reginam odi: me jure facere scit sponsor promissorum ejus Ammonius; quæ quidem erant φιλόλογα[4], et dignitatis meæ, ut vel in concione dicere auderem. Saram autem præterquam quod nefarium hominem cognovi; præterea in me contumacem. Semel eum omnino domi meæ vidi. Quum φιλοφρόνως[5] ex eo quærerem, quid opus esset, Atticum se dixit quærere. Superbiam autem ipsius reginæ, quum esset trans Tiberim in hortis, commemorare sine magno dolore non possum. Nihil igitur cum istis: nec tam animum[6] me, quam vix stomachum habere arbitrantur. Profectionem meam, ut video, Erotis dispensatio[7] impedit. Nam quum ex reliquis[8], quæ nonis april. fecit, vel abundare debeam; cogor mutuari: quodque ex istis fructuosis rebus[9] receptum est, id ego ad illud fanum[10] sepo-

1. *Testimonium.* Quo poteris uti contra L. Antonium urgentem agri Buthrotii divisionem; quem ego testor Cæsarem voluisse liberum esse. Pop.

2. *Tu nummos Arpinatum.* Arpinates nummos apud Ciceronem deposuerant. Man.

3. Post hanc vocem, *depositum*, Lambino videbatur summa pecuniæ depositæ excidisse. J. V. L.

4. Φιλόλογα. *Erudita:* quæ homine erudito digna essent.

5. Φιλοφρόνως. Humaniter.

6. *Nec tam animum.* Putant me non modo animum non habere, ut ulcisci audeam, sed nec stomachum, ut irascar. Man.

7. *Dispensatio.* Pecuniæ ex meis nominibus exactæ. Idem.

8. *Ex reliquis.* Eros nonis aprilibus rationes omnes confecerat: summaque facta, quantum pecuniæ Ciceroni deberetur, quantum aliis ab ipso, apparebat Ciceroni tantum pecuniæ superare, ut non modo non egere, sed etiam abundare deberet. Man.

9. *Ex istis fructuosis rebus.* Insulis, et ædibus locatis. Ep. 13. Idem.

10. *Ad illud fanum.* Quod erigere filiæ cogitaverat. Lib. XII. Idem.

situm putabam. Sed hæc Tironi mandavi, quem ob eam causam Romam misi: te nolui impeditum impedire. Cicero noster quo modestior est, eo me magis commovet. Ad me enim de hac re nihil scripsit, ad quem nimirum potissimum debuit. Scripsit hoc autem ad Tironem, sibi post kal. april. (sic enim annuum tempus confici) nihil datum esse. Tibi pro tua natura semper placuisse[11], teque existimasse id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modo liberaliter a nobis, sed etiam ornate cumulateque tractari. Quare velim cures (nec tibi essem molestus, si per alium hoc agere possem), ut permutetur Athenas, quod sit in annuum sumptum. Ei[12] scilicet Eros numerabit. Ejus rei causa Tironem misi. Curabis igitur, et ad me, si quid tibi de eo videbitur, scribes.

11. *Placuisse.* Supple, intellexi. Corr. — Post *placuisse*, forte excidit *scio*. J. V. L.

12. Al. malunt *Tibi;* alii, « quod sit in annuum sumptum ei ». Paullo durius. J. V. L.

EPISTOLA XVI.

De literis a filio acceptis, Leonidæque et Herodis de eo testimoniis. (In Pompeiano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Tandem a Cicerone tabellarius; et mehercule literæ πεπινωμένως[1] scriptæ: quod ipsum προκοπὴν[2] aliquam significaret; itemque ceteri præclara scribunt. Leonidas tamen retinet suum illud adhuc[3]. Summis vero laudibus Herodes. Quid quæris? vel verba mihi dari facile patior in hoc, meque libenter præbeo credu-

1. Πεπινωμένως. Eleganter. Vide notas ad XIV, ep. 7. Ed.

2. Προκοπὴν. Progressum in literis.

3. *Adhuc.* Vide lib. XIV, ep. 16.

lum. Tu, velim, si quid tibi est a Statio scriptum, quod pertineat ad me, certiorem me facias.

Narro[4] tibi; hæc loca venusta sunt, abdita certe, et, si quid scribere velis, ab arbitris libera. Sed nescio quo modo οἶκος φίλος[5]. Itaque me referunt pedes in Tusculanum. Et tamen hæc ῥωπογραφία[6] ripulæ videtur habitura celerem satietatem. Equidem etiam pluvias metuo, si Prognostica nostra vera sunt: ranæ enim ῥητορεύουσιν[7]. Tu, quæso, fac sciam, ubi Brutum nostrum, et quo die videre possim.

4. Manut. aliam epistolam putat. J. V. L.

5. Οἶκος φίλος. *Domus amica*. Proverbium græcum, quod significat nusquam commodius vivi quam domi. Popma.

6. Ῥωπογραφία. « Virgultorum et plantarum ibi virentium repræsentatio ». Salmas. ad Spartiani Hadrianum p. 88, b. « Qui belluas, arbores, homines, antra, portus, et alia id genus variaque et minuta opere topiario exprimebant, ῥωπογράφοι vulgo dicebantur. Nam ῥῶπος est varia et minuta merces ». Hinc intelligitur, quid sit ῥωπογραφία ripulæ, scilicet descriptio ripæ, virgultorum, graminis, florum in ripa. Ernest.

7. Ῥητορεύουσιν. Declamitant. Hæc Cicero de ranis, Divin. I, 9: « Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnæ, Quum clamore paratis inanes fundere voces Absurdoque sono fontes et stagna cietis ». Ed.

EPISTOLA XVII.

Duabus Attici epistolis respondet. (In Pompeiano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Duas epistolas[1] accepi postridie idus, alteram eo die datam, alteram idibus. Prius igitur superiori. De Bruto, quum scies. De consulum ficto[2] timore cognoveram. Sica enim φιλοστόργως[3] ille quidem, sed tumul-

1. *Duas epistolas accepi postridie idus*. Multi, inter quos Ernest. delent *epistolas*. J. V. L.

2. *Ficto*. Antonius enim barbaris stipatus procedebat, quum sibi fingeret timere, aliis re vera timorem incutere vellet. Man.

3. Φιλοστόργως. Peramanter.

tuosius ad me etiam illam suspicionem pertulit. Quid tu autem? τὰ μὲν διδόμενα[4]? Nullum enim verbum a Siregio[5]. Non placet. De Plætorio[6] vicino tuo permoleste tuli quemquam prius audisse, quam me. De Syro[7] prudenter. L. Antonium per M. fratrem, ut arbitror, facillime deterrebis[8]. Antroni vetui[9]; sed nondum acceperas literas; nec cuiquam, nisi L. Fadio ædili: aliter enim nec caute, nec jure fieri potest. Quod scribis tibi deesse H-S c, quæ Ciceroni curata sint, velim ab Erote quæras, ubi sit merces insularum. Arabioni de Sitio[10] nihil irascor. Ego de itinere, nisi explicato A[11], nihil cogito: quod idem tibi videri puto.

Habes ad superiorem. Nunc audi ad alteram. Tu vero facis, ut omnia, quod Serviliæ non dees[12], id est, Bruto. De regina gaudeo te non laborare; certe etiam tibi probari[13]. Erotis rationes et ex Tirone co-

4. Τὰ μὲν διδόμενα. Vide VI, 5.

5. *Siregio*. Forte *Sira regio*. J. F. Gron. — Quæ si correctio probatur, J. V. L. putat fuisse hominem e domo Cleopatræ. Ed. — Gronovius conjiciebat ex epistol. 15, *Sara regio*. Ingeniose. J. V. L.

6. *De Plætorio*. Forte, hunc fuisse ab exsilio revocatum. Mongalt.

7. *De Syro*. Ep. 17, lib. XII, et fortasse Horat. Sat. 6, lib. XII. Corr. — Nomen est servi, forte Attici, de quo XII, 22. J. V. L.

8. *Deterrebis*. Ne Buthrotiis sit molestus. Ep. 15 hujus libri. Idem.

9. *Antroni vetui*. Quidquam de nummis Arpinatium dari. Supra, ep. 15; et infra, ep. 20 hujus libri. — Quis fuerit hic Antro, nescio. Ed.

10. *Arabioni de Sitio*. Hi qui fuerint nescio, nisi bene J. V. L. conjecit Sitium eumdem esse ac P. Sittium in Appian. et Arabionem eum a quo Sittius occisus est. Ed. — Forte, *Sittio*.

11. *Nisi explicato* A. Locum obscurat hæc sigla A, quæ torsit criticos. Opportune eamdem habemus sententiam clare explicatam supra, ep. 15: « Profectionem meam, ut video, Erotis dispensatio impedit ». Infra, ep. 20: « Nisi explicata solutione non sum discessurus ». Jam si quæritur quid sigla contineat: aliqui scribunt *A*. ut sit *Argento*, *Asse*, hoc sensu: *nisi explicato argento*, exsoluto omni *asse* æris alienis. Bosius rescribebat Δ, legebatque δανείῳ, hoc est, ære alieno. Plerique retinent A, sensu non diverso. Ut enim animadvertit Corradus (e veteri Aristophanis scholiasta, Plut. IV, 3), A trigesimum Atticis signabat mensis diem, quo die dissolvendum erat æs alienum. Itaque explicare *lambda* est æs alienum dissolvere. Ol.

12. Al. *non desit*. J. V. L.

13. *Probari*. Supple, id, quod feci.

gnovi, et vocavi ipsum. Gratissimum, quod polliceris, Ciceroni nihil defuturum : de quo mirabilia Messalla; qui Lanuvio, rediens ab illis[14], venit ad me : et mehercule ipsius literæ sic et φιλοστόργως et εὐπινῶς[15] scriptæ, ut eas vel in acroasi[16] audeam legere; quo magis illi indulgendum puto. De Buciliano[17] Sextium puto non moleste ferre. Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanum. Tu vero, quidquid erit, quod me scire par sit, statim.

14. *Ab illis.* Bruto et Cassio.

15. Εὐπινῶς. Elegauter.

16. *In acroasi.* In cœtu hominum doctorum. Ernest.

17. *Buciliano.* Bucilianus et Sextius ex percussoribus Cæsaris fuerunt. De quibus etiam confer. epistol. 3, lib. XVI. Manut.

EPISTOLA XVIII.

Nuntiat se ad Dolabellam scripsisse de mulis vecturæ itineris, in eoque ut sibi paullum operæ tribuat Atticus petit. (In villa ad lacum Lucrinum, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Septimodecimo kal. etsi satis videbar scripsisse ad te, quid mihi opus esset, et quid te facere vellem, si tibi commodum esset; tamen, quum profectus essem, et in lacu[2] navigarem, Tironem statui ad te esse mittendum, ut iis negotiis, quæ agerentur, interesset : atque etiam scripsi ad Dolabellam, me, si ei videretur, velle proficisci, petiique ab eo de mulis[3] vecturæ itineris. Ut in eis[4], quoniam intelligo te distentissi-

1. Al. *sit.* J. V. L.

2. *In lacu.* Lucrino. Corr.

3. *De mulis.* Muli vecturæ itineris sunt, quibus utimur in itinere ad vehenda impedimenta, ut *linteum extersui*, quo utimur ad extergendum, et mille talia. Græv.

4. *In eis.* J. F. Gronovius legebat, *in his :* supple, rebus. Totum hunc locum, alias tenebricosum, nos ea, quam præcipit vir doctissimus, interpunctione distinximus. Oliv. — *Ut in eis.* Ernest. e vett. editionibus : *Et in eis.* J. V. L.

mum esse, qua de Buthrotiis, qua de Bruto, cujus etiam ludorum seorsum curam, etiam administrationem suspicor ex magna parte ad te pertinere; ut ergo in ejusmodi re, tribues nobis paullum operæ. Nec enim multum opus est. Mihi res ad cædem, et eam quidem propinquam, spectare videtur. Vides homines; vides arma. Prorsus non mihi videor esse tutus. Sin tu aliter sentis, velim ad me scribas. Domi enim manere, si recte possum, multo malo.

EPISTOLA XIX.

De Buthrotiorum negotio; de Theophanis literis; de Q. filii consilio ad Brutum et Cassium transeundi. Denique de aliis breviter. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Quidnam est, quod audendum amplius de Buthrotiis? stetisse[1] enim te frustra scribis. Quid autem se refert[2] Brutus? Doleo mehercule, te tam esse detentum; quod decem hominibus[3] referendum acceptum[4]. Est illud quidem ἐργῶδες[5], sed ἀνεκτὸν, mihique gratissimum. De armis, nihil vidi apertius. Fugiamus igitur. At, ut ais, coram[6]. Theophanes quid velit, nescio. Scripserat enim ad me. Cui rescripsi, ut potui. Mihi autem scribit, venire ad me se velle, ut et de suis

1. *Stetisse.* Stantem exspectasse in ædibus consulis, et aliorum qui erant compellandi. Græv.

2. *Se refert.* Facturum. Corr.

3. *Decem hominibus.* Homines appellavit, non viros per contemptum. Nam ad agrorum divisionem decemviri creati erant. Ad Div. ep. 20, lib. XI. Man. — Schütz. malit *septem*. J. V. L.

4. *Referendum acceptum.* Ut agros ne dividant. Man.

5. Ἐργῶδες, *sed* ἀνεκτὸν. Laboriosum, sed tolerandum.

6. *Coram.* His de rebus colloquemur. Man.

rebus, et quædam, quæ ad me pertineant[7]. Tuas literas exspecto. Vide, quæso, ne quid temere fiat. Statius scripsit ad me, loquutum secum esse Q. Ciceronem valde asseveranter, se hæc ferre non posse; certum sibi esse, ad Brutum et Cassium transire. Hoc enimvero nunc discere aveo : hoc ego, quid sit, interpretari non possum. Potest aliquid iratus Antonio; potest gloriam novam quærere ; potest totum esse σχεδίασμα[8] : et nimirum ita est. Sed tamen et ego vereor, et pater conturbatus est. Scit enim, quæ ille de hoc : mecum quidem ἄφατα[9] olim. Plane, quid velit, nescio. A Dolabella mandata habebo, quæ mihi videbuntur, id est, nihil. Dic mihi, C. Antonius voluitne fieri septemvir? fuit certe dignus[10]. De Menedemo est, ut scribis. Facies omnia mihi nota.

7. Al. *pertinerent*. J. V. L.

8. Σχεδίασμα. Subitum consilium et tumultuarium.

9. Ἄφατα. *Non dicenda* mecum loquutus est olim Q. pater. Man.

10. *Fuit certe dignus*. Antonius homo nequam dignus est qui in societatem illorum hominum improborum, qui civium agros divident, adsciscatur. Græv.

EPISTOLA XX.

De periculis reipublicæ ab Antonio imminentibus; et de suis rationibus expediendis. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Egi gratias Vecteno; nihil enim potuit humanius. Dolabellæ mandata sint quælibet : mihi aliquid[1], vel quod Niciæ[2] nuntiem. Quis enim hæc, ut scribis, ante

1. *Mihi aliquid*. Muretus probabat, « modo aliquid, vel quod, etc. ».

2. *Niciæ*. Intelligit Curtium Niciam nobilem grammaticum, de quo lib. XII pluribus egit. Hujus etiam inter grammaticos vitam scribit Suetonius Tranquillus, seu quicumque fuit qui libellum illum conscripsit. Ducebat au-

me? nunc [3] dubitare quemquam prudentem, quin meus discessus desperationis sit, non legationis? Quod ais, extrema quædam jam homines de republica loqui, et eos quidem viros bonos: ego, quo die audivi illum tyrannum in concione CLARISSIMUM VIRUM [4] appellari, subdiffidere cœpi. Postea vero quam tecum Lanuvii vidi, nostros tantum spei habere ad vivendum, quantum accepissent ab Antonio, desperavi. Itaque, mi Attice, fortiter hoc velim accipias, ut ego scribo. Genus illud interitus, quo casurus est [5], fœdum duces, et quasi denuntiatum nobis ab Antonio. Ex hac nassa [6] exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. Hæc omnis culpa Bruti. Pompeium Carteiæ [7] receptum scribis: jam igitur contra hunc exercitum. Utra ergo castra? Media enim tollit Antonius. Illa infirma, hæc nefaria. Properemus igitur. Sed juva me consilio, Brundisione, an Puteolis. Brutus quidem subito [8]; sed sapienter. Πάσχω τι [9]. Quando enim illum? Sed humana ferenda. Tu ipse eum videre non potes. Dii illi mortuo [10], qui unquam Buthrotum! Sed acta missa: videamus, quæ agenda sint. Rationes Erotis,

tem secum, vel potius præmiserat in provinciam, Niciam hunc Dolabella. VICT.

3. Noluimus corruptam MSS vocem servare, *anteno*, ut Ernest. fecit. Lambinus conj. *ante nos*; Bosius, ἐν κενῷ; Gronovius, λεπτύνει, etc. Vett. edd. «nunc? ne nunc dubitare», quæ est fere Victorii emendatio. J. V. L.

4. *Clarissimum virum*. Vid. XIV, 11.

5. Schützius e MSS vestigiis, «qui causæ cursus est». Mongaltius legit, «quo casurus es». J. V. L.

6. Alii habent *naxa*; alii, ut ed. Jenson. *noxa*. J. V. L.

7. *Carteiæ*. Oppidum in extrema Bætica. Sex. Pompeium audita Cæsaris morte scribit Dio, Bæticam occupasse, quum aliquamdiu apud Lusitanos latuisset. MAN. — Edd. pr. *Carteia*, quod Corradus non improbat. J. V. L.

8. *Subito*. Profecturus est. Profectus est autem Puteolis, VII kalend. ut epist. 26. MAN.

9. Πάσχω τι; *Patior aliquid*, Bruti discessu commoveor: quando enim erit ut illum videam?

10. *Mortuo*. Cæsarem dii mortuum perdant, qui unquam Buthrotum proscripserit, siquidem te nunc ejus civitatis liberandæ cura Romæ tenet; ut Brutum videre discedentem non possis. MAN.

etsi ipsum nondum vidi, tamen et ex literis ejus, et ex eo, quod Tiro cognovit, propemodum cognitas habeo. Versuram scribis esse faciendam mensium quinque, id est, ad kal. novemb. H-S cc : in eam diem cadere nummos, qui a Quinto debentur. Velim igitur, quoniam Tiro negat tibi placere, me ejus rei causa Romam venire, si te ea res nihil offendet, videas, unde nummi sint; mihi feras expensum. Hoc video in præsentia opus esse. Reliqua diligentius ex hoc ipso exquiram; in his, de mercedibus dotalium prædiorum[11] : quæ si fideliter Ciceroni curabuntur, quamquam volo laxius[12], tamen ei propemodum nihil deerit. Equidem video mihi quoque opus esse viaticum. Sed id[13] ex prædiis, ut cadet, ita solvetur; mihi autem opus est universo quidem. Etsi mihi videtur iste[14], qui umbras timet, ad cædem spectare, tamen, nisi explicata solutione, non sum discessurus. Sitne autem extricata, necne, tecum cognoscam. Hæc putavi mea manu scribenda : itaque feci. De Fadio[15], ut scribis; utique alii nemini. Rescribas velim hodie.

11. *Dotalium prædiorum.* Ex Terentiæ dote. Nec dubito, quin intelligat insulas in Argileto et Aventino : quarum fructus Ciceroni filio in annuum sumptum assignaverat. Tria loca, XII, 31 ; XV, 17 ; XVI, 2, confer in unum, et considera ut mecum senties. At insulæ in urbe, et prædia non idem sunt. Immo vero sunt : nam prædiorum nomine, auctore Pediano, et domus, et agri comprehenduntur. MAN.

12. *Laxius.* Suppeditari. CORR.

13. *Sed id.* Ciceroni ita solvetur, ut ex prædiis dotalibus cadet. Mihi autem quod pro viatico opus est, non duabus tribusve dandum est pensionibus, ut Ciceroni filio, sed universum simul ante quam discedam. MAN.

14. *Etsi mihi videtur iste, qui umbras timet.* Fingebat Antonius consul se timere, ut haberet ob eam rem barbaros Ityreos circa se, ad omne facinus paratos. MAN.

15. *De Fadio.* Epist 15 hujus libri. CORR.

EPISTOLA XXI.

De lætitia Q. fratris ex filii literis percepta; breviterque de aliis, in primis de navigatione sua. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Narro tibi; Q. pater exsultat lætitia. Scripsit enim filius, se idcirco profugere ad Brutum voluisse, quod, quum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret, præsidium occuparet, id recusasset; recusasse autem se, ne patris animum offenderet; ex eo sibi illum hostem. «Tum me, inquit, collegi [1], verens, ne quid mihi ille iratus tibi noceret. Itaque eum placavi. Et quidem cccc [2] certa, reliqua in spe.» Scribit autem Statius, illum cum patre habitare velle. Hoc vero mirum: et id gaudet. Ecquem tu illo certiorem nebulonem [3]? Ἐποχὴν [4] vestram de re Cani deliberationis probo. Nihil eram suspicatus de tabulis [5]: ἀκεραίως [6] restitutam arbitrabar. Quæ differs, ut mecum coram, exspectabo. Tabellarios, quoad voles, tenebis: es enim

1. *Me, inquit, collegi.* Ne ad Brutum profugerem. Et est μίμησις. Corr.

2. *CCCC.* Hoc est, cccc H-S ab Antonio mihi Q. promissa. Mong.

3. *Nebulonem.* Potes, et de Statio, et de Q. filio intelligere. Equidem de Q. Mong.

4. Ἐποχὴν *vestram.* Ἐποχὴ hic valet *retentio* simpliciter: ut sit, ἐποχὴ deliberationis, quod deliberare noluisti de re Cani. Epist. 32, lib. XIII. Man. — Schütz. legendum arbitratur, «Ἐποχὴν vestram de re Canæ probo», et vocabulum *deliberationis* e glossa accessisse conjicit. Hoc quidem Ernest. in mentem venerat. Tunstall. epist. ad Middleton. pag. 192, corrigit *de regina*, scilicet Cleopatra, de qua jam sæpius. J. V. L.

5. *De tabulis.* Quantum hinc licet conjicere, hæc Cani filia prius alteri viro nupta fuerat, a quo dos, soluto matrimonio, exigi non potuerat, quod ejus bona non essent solvendo. Ideo scripserat Atticus novas tabulas factas fuisse in illius dote. Quod Cicero numquam suspicatus fuerat; immo putabat dotem integre restitutam fuisse. Bosius.

6. Ἀκεραίως. Sincere.

occupatus. Quod ad Xenonem, probe. Quod scribo[7], quum absolvero. Quinto scripsisti, te ad eum literas: nemo attulerat. Tiro negat jam tibi placere Brundisium[8], et quidem dicere aliquid de militibus. At ego jam destinaram, Hydruntem quidem. Movebant me tuæ quinque horæ. Hic[9] autem quantus πλοῦς[10]? sed videbimus. Nullas[11] a te XI kal. Quippe; quid enim jam novi? Quum primum igitur poteris, venies. Ego propero, ne ante Sextus[12]; quem adventare aiunt.

7. *Quod scribo*. Quod opus nunc in manibus habeo, mittam ad te, quum absolvero. MAN.

8. *Brundisium*. Tiro negat jam tibi placere me ire Brundisium, propterea quod Antonius cum legionibus Macedonicis dicitur adventare, ut eo proficisci minus tutum sit. At ego Hydruntem proficisci destinaram, unde in Græciam trajectum esse quinque horarum tu aliquando dixisti. Hic enim si conscendero, quam longa esset navigatio! POPMA.

9. Puto scribendum *Hinc*; ex eo, quo nunc sum, loco, si transire vellem. Ernest. J. V. L.

10. Πλοῦς. Navigatio.

11. *Nullas*. Literas accepi. CORR.

12. *Sextus*. Ne ante Sex. Pompeius in Italiam cum exercitu veniat.

EPISTOLA XXII.

Q. filium Urbe exiisse lætatur. Pansam bene loqui credit, an ex animi sententia dubitat; de Sex. Pompeii adventu quid sentiat exponit. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Gratulor nobis Q. filium exiisse[1]: molestus non erit. Pansam bene loqui credo. Semper enim conjunctum esse cum Hirtio scio. Amicissimum Bruto et Cassio puto, si expediet; sed quando illos videbit? Inimicum Antonio: quando, aut cur? quousque ludemur? Ego autem scripsi Sextum adventare, non quod jam adesset, sed quia certe id ageret, ab armis-

1. *Exiisse*. Ex urbe. CORR.

que nullus discederet. Certe, si pergit, bellum paratum est. Hic autem noster Cytherius [2], nisi victorem, neminem victurum. Quid ad hæc Pansa : utro erit, si bellum erit? quod videtur fore. Sed et hæc, et alia coram : hodie quidem, ut scribis, aut cras.

2. *Hic autem noster Cytherius, nisi victorem*, etc. M. Antonius; a Cytheride mima, quam usque adeo amavit, ut, in Galliam cum legionibus proficiscens, hiberno tempore secum adduxerit. Hoc et Virgilii carmine notum est : « Galle, quid insanis, inquit? tua cura Lycoris Perque nives alium, perque horrida castra sequuta est ». Manut.

EPISTOLA XXIII.

Se de itinere etiamnum dubitare scribit, et de Bruti itinere, si quid Atticus scierit, cognoscere velle. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Mirifice torqueor, sine dolore tamen : sed permulta mihi de nostro itinere in utramque partem occurrunt. Quousque? inquies. Quoad erit integrum : erit autem usque dum ad navem. Pansa si rescripserit, et meam tibi, et illius epistolam mittam. Silium exspectabam; cui ὑπόμνημα [1] compositum. Si quid novi [2]. Ego literas misi ad Brutum : cujus de itinere etiam ex te velim, si quid scies, cognoscere.

1. Ὑπόμνημα. *Libellum, commentarium* dabo a me conscriptum de rebus novis. Sic enim vocat epistola proxima.

2. *Si quid novi.* Subaudi, scribe.

EPISTOLA XXIV.

Significat Brutum profectum esse, librumque in causa Silii compositum mittit. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Tabellarius, quem ad Brutum miseram, ex itinere rediit VII kal. Ei Servilia dixit, eo die Brutum H. IIII profectum. Sane dolui, meas literas redditas non esse. Silius ad me non venerat. Causam [1] composui : eum libellum tibi misi. Te quo die exspectem, velim scire.

1. *Causam.* Ὑπόμνημα, cujus in præcedente epistola meminit.

EPISTOLA XXV.

Varias de itinere suo sententias esse, et se ipsum etiamnum dubitare significat. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

De meo itinere variæ sententiæ : multi enim ad [1] me. Sed tu incumbe, quæso, in eam curam : magna res est. An probas, si ad kal. jan. cogitamus? Meus animus est æquus, sic tamen [2], ut nihil offensionis sit : et

1. *Ad me.* Scribunt, alii consilium meum probantes, alii reprehendentes. Manut.

2. *Si sic tamen.* Alii, « sic tamen, ut si nihil, etc. » Antiqua editio, « si tamen ut nihil, etc. » Verebatur Cicero, ne suus Roma discessus offensionis in publicum haberet aliquid, neve ita incusaretur, ut qui suam patriæ opem difficili tempore subduceret. Ejus formidinis non obscura significatio in aliquibus est superioribus epistolis : atque ex nonnullis, quæ post legentur, apparebit, eo metu suspensum distulisse diu profectionem, ac tandem e medio cursu revertisse. Eamdem hic locus habet sententiam. Neutram, inquit, in partem propendeo : vel ad nonas decembres adero, vel non ante kalendas januar. utcumque tu probabis; « si sic tamen » potest res componi, ut hæc dilatio atque absentia nullam præbeat materiam sermonibus. Mongalt. hic aliquid debeo. Quod ego de reliquis profiteor, quæ in hanc daturus sum epist. Oliv.

tu etiam scite, « quo die olim piaculum[3] », mysteria scilicet. Ut ut sit res[4], casus consilium nostri itineris judicabit. Dubitemus igitur. Est enim hiberna navigatio odiosa; eoque ex te quæsieram mysteriorum[5] diem. Brutum, ut scribis, visum iri a me puto. Ego hinc volo prid. kal.

3. *Quo die olim piaculum.* Quæsierat Cicero, annon operæ pretium esset Romæ se adesse, circiter nonas (quintum diem) decembris; propterea quod IX idus (die decimo) inituri essent magistratum novi tribuni, quorum non pauci Bruto favebant et Cassio; atque unus etiam particeps conjurationis adversus Cæsarem fuerat. Ut designaret nonas decembres, dixerat « mysteriorum diem », quoniam eo die sacra fiebant a mulieribus in operto Bonæ Deæ. Eorum religionem, quum exerceretur in ædibus C. Julii Cæsaris, violaverat P. Clodius illo facinore, quod aliquoties exagitavit oratorie Cicero, et historice narrabat Attico, I, 13. Ipso illo die Cicero consul in custodiam tradiderat principes Catilinariæ conjurationis, quorum morte piata conjuratio fuit. Atticus rescribens, pro « mysteriorum die » posuerat, « quo die olim piaculum ». Laudat hoc, ut scite dictum, Cicero: quum enim « piaculum » et facinus sit, et piamentum, ea voce unica memoriam Atticus refricabat et Clodianæ infamiæ, et gloriæ Ciceronianæ. Sed a vera hujus loci sententia multos avertit falsa mente concepta opinio, quod sacra Bonæ Deæ kalend. maii fierent. Constat autem ea sacra ævo Ciceronis ac Cæsaris facta esse nonis decemb. Si kalendas maias assignant Ovidius, Fast. V, 148, et Macrobius, Saturn. I, 12; id eo factum, quod diem mutasset ea religio. Mutandi causam indicat Ovidius, Fast. V, 157. Templum scilicet Bonæ Deæ restituerat Livia, et kalendis maii dedicarat. Neque solum dies, sed locus etiam est mutatus. Quum enim Ciceronis ætate ac Cæsaris, ea fierent sacra in ædibus consulum, aut prætorum, Dio Cassius lib. XXXVII, ad annum Urb. C. 692, de illo more ita loquitur, uti consuetum est de rebus veteris ævi et antiquatis. Oliv.

4. *Ut ut se res.* Vict. et Manut. « ut tu scires ». Lambin. « ut tu scribis ». Nullo utrobique sensu. Gruterus ex Bosio, « ut ut sit res ». Convenit sententia. Latinitas repugnat, ut animadvertit Vavassor, libello de Vi et Usu quorumdam verborum. Edidi quod latebat in illa vetere scriptura; « scires ». Integrum esset, « ut ut se res » habebunt. Deinde, « casus judicabit », hoc est, ut res cadent, ita consilium instruam itineris mei. Ibo, redibo, ut feret cursus rerum, et temporis opportunitas. Idem.

5. *Ex te quæsieram mysteriorum diem.* Certum mihi est, inquit, adesse Romæ kalendis januar. at si reditum in id tempus differam, obeunda erit « hiberna navigatio », quæ semper *odiosa*. Id effugiam incommodum, si maturius proficiscar, ac redeam. Idcirco « quæsieram ex te », annon satius foret redire me ad *mysteriorum* diem. Idem.

EPISTOLA XXVI.

De variis negotiis domesticis, et de literis a Bruto acceptis. (In Arpinati, anno U. C. 709, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

De Quinti negotio video a te omnia facta. Ille tamen dolet, dubitans, utrum morem gerat Leptæ, an fidem infirmet Silio [1]. Inaudivi L. Pisonem velle exire legatum ψευδεγγράφῳ [2] senatusconsulto. Velim scire, quid sit. Tabellarius ille, quem tibi dixeram a me ad Brutum esse missum in Anagninum, ad me venit ea nocte, quæ proxima ante kal. fuit, literasque ad me attulit : in quibus unum alienum summa sua prudentia [id est illud [3]], ut spectem ludos suos. Rescripsi scilicet, primum me jam profectum, ut non integrum sit; dein, ἀτοπώτατον [4] esse, me, qui Romam omnino post hæc arma non accesserim, neque id tam periculi mei causa fecerim, quam dignitatis, subito ad ludos venire. Tali enim tempore, ludos facere illi honestum est, cui necesse est; spectare, mihi ut non est necesse, sic nec honestum quidem est. Equidem illos celebrari, et esse quam gratissimos mirabiliter cupio; idque ita futurum esse confido : et tecum ago, ut jam ab ipsa commissione ad me, quemadmodum accipiantur; deinde omnino reliquorum dies singulos persequare. Sed de ludis hactenus. Reliqua pars epistolæ [5] est illa quidem in utramque partem : sed tamen nonnullos interdum jacit igniculos viriles; quod

1. Vett. edd. *filio*, et sic Ernest.

2. Ψευδεγγράφῳ. False perscripto.

3. Alii, « idem illud ». Utrumque spurium. J. V. L.

4. Ἀτοπώτατον. Absurdissimum.

5. *Reliqua pars epistolæ est illa quidem in utramque partem*. Quam ad me Brutus misit. Man.

quale tibi videretur, ut posses interpretari, misi ad te exemplum epistolæ. Quamquam mihi tabellarius noster dixerat, tibi quoque se attulisse literas a Bruto, easque ad te e Tusculano esse delatas. Ego itinera sic composueram, ut nonis quint. Puteolis essem. Valde enim festino; ita tamen, ut, quantum homo possit, quam cautissime navigem. M. Ælium cura liberabis; is me paucos[6] specus in extremo fundo, et eos quidem subterraneos, servitutis putat aliquid habituros: id me jam nolle, neque mihi quidquam esse tanti; sed, ut mihi dicebas, quam lenissime, potius ut cura liberetur, quam ut me succensere aliquid suspicetur. Idem[7] de illo Tulliano capite[8] libere cum Cascellio loquare. Parva res est; sed tu bene attendisti: nimis callide agebatur. Ego autem, si mihi imposuisset aliquid, quod pæne fecit, nisi tua malitia[9] affuisset, animo iniquo tulissem. Itaque, ut ut erit, rem impediri malo. Octavam partem tuli[10] luminarium in ædium

6. *Is me paucos.* Locus, nam fatentur omnes, depravatus. Audacem itaque, ut solet, me fecit desperatio. Sic muto, *Is metuit paucos specus... servitutis* apud se *aliquid...* Voluerat Cicero paucos specus subterraneos fodere in extremo fundo suo: Ælianus vicinus metuebat, ne, si prohiberet, infensum haberet Ciceronem, si non prohiberet, aliquam *apud se*, suo ipse fundo servitutem susciperet. Ea vult cura hominem liberari: mandat dici, *se* consilium mutasse, *jamjam*, hoc est, omnino *nolle* fodi specus illos; neque ullum sibi commodum esse tanti, ut ob id talis vicini gratiam amittat. Porro *specus* dicuntur subterranei meatus, per quos aqua ducitur. Vitruvius, VIII, 7; Cujacius, Observat. XVI, 17. Jurisconsultorum formulis lectores non impediam. Oliv. —Olivet. conj. *metuit*. Schütz. probat. J. V. L.

7. *Item.* Sic Victorius. Alii, *Idem.*

8. *Tulliano capite.* Tullianum caput vocat, quod infra, epistola 29. Tullianum semissem. Caput enim quandoque sortem, et pecuniæ summam significat. Bosius.

9. *Tua malitia.* Id est, nisi tu homo malus dolum illorum pervidisses. Hypallage elegans, et redolens familiaritatem summam. Jun.

10. *Octavam partem tuli.* Locus a doctis hominibus plane desperatus, ut et asterici notam affixerint; Manutius etiam ut depravatum assequi se posse negaret. Memineris, inquit, nisi res impediatur, tolli octavam partem luminarium earum ædium, quæ sunt ad Streniæ fanum. Et sane Cicerones in Carinis ædes habuisse apparet epist.

ad stranæ memineris. Cui Cærellia[11], videris[12] mancipio dare ad eam summam, quæ sub præcone fuit maxima : id opinor esse CCC LXXX. Novi si quid erit, atque etiam si quid prospicies, quod futurum putes, scribas ad me quam sæpissime velim. Varroni, quemadmodum tibi mandavi, memineris excusare tarditatem literarum mearum. Mundus istum[13]. M.[14] Ennius quid egerit de testamento (curiosus enim), facias me velim certiorem. Ex Arpinati, VI non.

3, lib. II, ad Q. fratrem : et Pob. Victori, regione IV, eapot Saeræ viæ a Carinis oritur ab Streniæ sacello. Bosina vero legit et explicat : « Octavam partem tuli luminarium lo ædium ἄθυρα ». Junius autem e Glossario, *astranea*, juneta voce, pro *ad Streniæ*, hie comminiscitur ingeniose. Alil etiam aliter legont, et interpretantur. Ego vero Barravio Tolosati propemodum assentior, ut interim aliorum in re dubia solertiam minime cootemnam, ita e veatigiis scripturæ veteris repooeoti : « Octo pedes tolli luminaria ædium ad Strenia memineris » : hoe est, octo pedes altios tolli luminaria ædium mearum ad Streniæ ædem memineris. A. Schottos, Cie. Vind. cap. 7. Plaeet Schotti coojeetura; nec tamen interpretatio : nam ille *altius tolli* volt; ego contra *tolli* pro *deprimi*, *minui*, dietum arbitror. MONG.

11. *Cui Cærellia*, etc. Et hic hærent docti. J. V. L.

12. *Videris*. Curabis, ut id, quod proscriptum est ei mancipetur, cui petit Cærellia, ad eam summam, quæ in aoetione oblata fuit maxima. MONG.

13. *Mundus istum*. Infra, ep. 29 : « De Mundo si quid seies ». Hoc tamen loco ita concisa brevitas, ut conjecturæ vix locus videatur. MANUT. — Est qui putet verba quædam ioterci-disse. J. V. L.

14. *M. Ennius*. Quod rarum sit hoc oomen, vereor, oe legendum sit, M. Lenius, vel M. Annius, vel Memmius. CORR.

EPISTOLA XXVII.

Respondet ad ea, quæ Atticus proxime scripserat. (In Arpinati, anno U. C. 709, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

GAUDEO id te mihi suadere, quod ego mea sponte pridie feceram. Nam quum ad te VI non. darem, ei-

dem tabellario dedi etiam ad Sextium, scriptas πάνυ φιλοστόργως[1]. Ille autem, quod Puteolos[2] prosequitur, humane; quod queritur, injuste. Non enim ego tam illum exspectare, quum de Cosano rediret, debui, quam ille aut non ire ante, quam me vidisset, aut citius reverti. Sciebat enim me celeriter velle proficisci, seseque ad me in Tusculanum scripserat esse venturum. Te, ut a me discesseris, lacrymasse, moleste ferebam. Quod si me præsentes fecisses, consilium totius itineris fortasse mutassem. Sed illud præclare, quod te consolata est spes brevi tempore congrediendi; quæ quidem exspectatio me maxime sustentat. Meæ tibi literæ non deerunt. De Bruto, scribam ad te omnia. Librum tibi celeriter mittam de Gloria[3]. Excudam aliquid Ἡρακλείδιον[4], quod lateat in thesauris tuis. De Planco, memini. Attica jure queritur. Quod me de Bacchide[5], de statuarum coronis certiorem fecisti, valde gratum: nec quidquam posthac, non modo tantum, sed ne tantulum quidem præterieris. Et de Herode et Mettio meminero, et de omnibus, quæ te velle suspicabor modo. O turpem

1. Πάνυ φιλοστόργως. Valde amanter.

2. *Quod Puteolos prosequitur.* Quod me Puteolos, ut tu scribis, prosequuturus est; humane facit: quod autem queritur, quia de Cosano redeuntem non exspectavi; hoc scilicet injuste. Manut.

3. *De Gloria.* Duo libri fuere, quos vidit Petrarcha, sed nemo posthac. Fragmenta pauca exstant. Ed.

4. Ἡρακλείδιον. Supra, ep. 4.

5. *De Bacchi.* Quid de Bacchi coronis potuerit Atticus scribere, quod Ciceroni tam gratum fuerit, nemo facile explicabit. Quid enim ad Ciceronem et Atticum, quæ coronæ Baccho fuerint impositæ? Legebat Græv. «Quod me de Bacchide, de statuarum, etc.» Per Bacchidem vero intelligi puto mimam, aut aliam concubinam, cum qua se oblectabat Antonius, quas exagitat toties in Philipp. De coronis autem statuarum, quæ aut impositæ, aut detractæ a populo, de Julii Cæsaris, aut Antonii statuis videtur loqui. In re obscura licet hariolari. Græv. — *O turpem sororis tuæ filium*, etc. Schützius, «Obturbabat me sororis tuæ filius, quum hæc scriberem. Adventabat... nobis». Aliquid certe mendosi est. J. V. L.

sororis tuæ filium ! Quum hæc scriberem, adventabat autem βουλύσει[6], cœnantibus nobis.

6. Βουλύσει. *Vespera, tempore, quo boves ab aratro solent solvi.* Ex Homero intelligi potest, veteres tempora diei appellasse, ab iis rebus, quæ iis agi solebant. Et quoniam rustica tunc temporis vita erat hominum, ab opere rustico nomina partibus diei tribuerunt. Vespera igitur dicta βούλυσις sive βουλυτὸν, quod est Iliad. B, v. 779. ERNEST.

EPISTOLA XXVIII.

Scribit se nonis in Puteolanum venire, ibique Attici literas exspectare. (In Arpinati, anno U. C. 709, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Ego, ut ad te pridie scripseram, nonis constitueram venire in Puteolanum[1]. Ibi igitur quotidie tuas literas exspectabo, et maxime de ludis, de quibus etiam ad Brutum tibi scribendum est. Cujus epistolæ, quam interpretari ipse vix poteram, exemplum pridie tibi miseram. Atticæ meæ velim me ita excuses, ut omnem culpam in te[2] transferas, et ei tamen confirmes, me minime totum[3] amorem eo mecum attulisse.

1. Ita emendandum recte censuit Mongaltius. Vulg. *Tusculanum*. SCR. Mongalt. mutare non ausus est. Recepit fidenter et recte J. V. L.

2. *In te*. Qui oblitus fueris quod mandaveram, ut eam juberes salvere. CORRAD.

3. *Me minime totum*. Quamquam longius discedam, futurum tamen, ut absens eam æque diligam, ac si una essemus. MAN. — Gronovio placebat, « me intimo totam amore eam mecum abstulisse ». Intricata emendatio, et inutilis. Acciperem tamen libenter *abstulisse*. Ernest. omnia hic corrupta putat. Frustra. J. V. L.

EPISTOLA XXIX.

Breviter de variis rebus domesticis, et de subito Planci Buthrotii reditu. (In Formiano, anno U. C. 709, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Bruti ad te epistolam misi. Dii boni, quanta ἀμηχανία[1]! cognosces, quum legeris. De celebratione ludorum Bruti, tibi assentior. Ad M. Ælium nullus tu quidem domum[2], sed sicubi inciderit. De Tulliano semisse[3], M. Axianum adhibebis, ut scribis. Quod cum Cosiano egisti, optime. Quod non solum mea, verum etiam tua expedis, gratum. Legationem probari meam, gaudeo. Quod promittis, dii faxint! Quid enim mihi meis jucundius? Sed istam, quam tu excipis, metuo[4]. Brutum quum convenero, perscribam omnia. De Planco et Decimo, sane velim. Sextum scutum abjicere nolebam. De Mundo, si quid scies. Rescripsi ad omnia tua. Nunc nostra accipe. Quintus filius usque Puteolos[5] (mirus civis, ut tu Favonium[6], Asinium[7] dicas): et quidem duas ob causas, et ut me-

1. Ἀμηχανία. Consilii inopia.

2. *Nullus tu quidem domum.* Non tu quidem ad eum domum veneris, sed, sicubi inciderit, alloquaris. Ep. 18. Man.

3. *Tulliano semisse.* Vide epist. 26. Idem.

4. *Istam, quam tu excipis, metuo.* Ne parum jucundus ei meus sit reditus. Dictum joco. Atticus, ad superiorem respondens epistolam, scripserat, spem esse, rediturum brevi Ciceronem, et cum suis Romæ victurum: id esse omnibus jucundissimum, præterquam uni Atticæ, quæ placari nollet. Dictum hoc quoque per jocum. Mongalt.

5. *Quintus filius usque Puteolos.* Prosequutus est, vel potius prosequetur profecturum.

6. Non bene compositum par, Favonius et Asinius. Conjeci, *Favonium alterum.* Ernest. J. V. L.

7. *Favonium et Asinium.* Jam de Favonio diximus, Catonis æmulo. Asinium Pollionem, non credam: is enim Cæsarianus, mox Antonii familiaris vix videtur cum Favonio conjungi posse. Conjicit tamen J. V. L. interpretandum, quasi tu eum, qui

cum, et σπείσασθαι[8] vult cum Bruto et Cassio. Sed tu quid ais? scio enim te familiarem esse Othonum. Ait hic sibi Juliam ferre[9]: constitutum enim esse discidium. Quæsivit ex me pater, qualis esset fama. Dixi, nihil sane me audisse (nesciebam enim, cur quæreret), nisi de ore, et patre[10]. Sed quorsus, inquam? At ille, filium velle[11]. Tum ego, etsi ἐβδελυττόμην[12], tamen negavi putare me illa esse vera. Σκοπὸς[13] (hoc est enim) huic nostro nihil præbere. Illa autem οὐ παρὰ τοῦτο[14]. Ego tamen suspicor, hunc, ut solet, hallucinari. Sed velim quæras (facile autem potes); et me certiorem[15].

Obsecro te, quid est hoc? Signata jam epistola, Formiani, qui apud me cœnabant, Plancum se, aiebant, hunc Buthrotium[16], pridie, quam hoc scribebam, id est IIII nonas, vidisse demissum[17], sine phaleris; servulos autem dicere, eum et agripetas[18] ejectos a Buthrotiis. Macte. Sed, amabo te, perscribe mihi totum negotium.

Favonius est, Asinium appelles. Recte quidem. Ed.

8. Σπείσασθαι. Fœdus facere.

9. *Ferre.* Scilicet conditionem; quod loquendi genus frequens est: hoc est, matrimonium offerre. Græv.

10. *Nisi de ore, et patre.* Dixi, me Juliæ patrem cognovisse, illam autem de facie tantum, de fama nihil scire. Manut.

11. *Filium velle.* Juliam ducere.

12. Ἐβδελυττόμην. Abominabar.

13. Σκοπός. *Scopus, finis.* Notat Quinti patris avaritiam, qui nihil spectaret aliud, quam ut filio ne quid in sumptum præberet, ideoque ei concederet de uxore ducenda. Man.

14. Οὐ παρὰ τοῦτο. Non propter hoc, i. e. non eo Julia commovebitur, quominus ei nubat. Non in eo ponit rem, aut difficultatem, quasi quod Q. filius dives non sit, hoc non curat, dum illum habeat maritum. Ita enim videtur credidisse non Q. frater, sed Q. filius. Mong.

15. *Certiorem.* Supple, facias.

16. *Buthrotium.* Qui profectus erat ad agrum Buthrotium dividendum. Ep. 1, lib. XVI. Man.

17. *Demissum.* Ut apud Horat. Sat. I, 9, 20: « Demitto auriculas ut iniquæ mentis asellus ». Ed. — *Sine phaleris.* Phaleræ proprie sunt, quæ frontibus equorum, ornatus gratia, imponuntur. Μεταφορικῶς aliis de rebus usurpantur. Man.

18. *Agripetas.* Qui Plancum sequuti, partem agri Buthrotii petierant, sedem in alieno quærentes. Epist. 1 et 4 lib. XVI, et Phil. 7. Idem.

ARGUMENTUM
LIBRI DECIMI ET SEXTI.

Male affecta oppressaque civitate armis Antonii, reique publicæ salute desperata, quod adhuc C. Cæsare vivente cogitaverat, iter in Græciam est ingressus, re tamen prius lente deliberata, quod et futuris de se hominum sermonibus moveretur, et ægre a suis villulis Italiaque avelleretur. Ergo Puteolos primum progressus, inque Neside Brutum alloquutus, classem una cum Cassio parantem, qua ille in Macedoniam, hic in Syriam navigarent, kalendis sext. Rhegio conscendens, venit Syracusas. Unde quum transmittere vellet in Græciam, bisque ad Leucopetram, quod est agri Rhegini promontorium, Austro rejectus esset, profectionis consilium abjecit: eoque magis, quod boni quidam nuntii eo Roma venerunt, fore ut Antonius esset in potestate senatus, senatores in Urbem redirent, res conveniret. Hac igitur spe commotus Romam rediit, Urbemque ingressus est kalendis septembris, et IV non. hoc est, postridie kalendas, ut scribitur Philip. V, eam dixit orationem, quæ est in Antonium prima. Fuit deinde partim Romæ, partim in suis prædiis; quæ omnia commemorantur sex primis epistolis. Reliquæ scriptæ sunt incertis quidem diebus magna ex parte : omnes tamen ante kal. jan. quo toto tempore, hæc gesta fuisse traduntur. Quum M. Antonius et Octavianus occultis potius odiis inter se, quam aperta vi certarent, alterque alterum insidiis prævertere conaretur, Antonius ante diem VII id. octobr. Brundisium venit, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, ut eas sibi pecunia conciliaret; quas tamen, quod quidam ab Octaviano præmissi, multo plus obtulerant, attrahere ad se non potuit. Itaque et Martia et Decima illum postea deseruerunt, et ad Octavianum transierunt : qui item Octavianus eo ipso tempore, quo Antonius Brundisii fuit, ipse in Campaniam pergens, magnum veteranorum numerum, ingenti spe, ingentique pecunia cepit. Nimirum denariis, ut Cicero ait, CCCC. Idque initium fuit armorum inter ipsos, quum antea neque bellum gererent, neque pacem haberent. Et hoc tempus illud fuit, quum Cicero ab Octaviano, per speciem capessendæ reip. in Antonium sollicitatus est, nihil se, nisi de illius consilio, nec nisi per senatum facturum, pollicente. Scriptæ sunt omnes, Antonio et Dolabella coss. ex a. d. VII id. Quint. ad nonas circiter decembris. Atque his quidem multa alia continentur, sed vel domestica, vel huc pertinentia.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD ATTICUM
LIBER DECIMUS ET SEXTUS.

EPISTOLA I.

Indignatur in proscriptione ludorum Bruti mensi quintili nomen Julii datum. Quærit quid sit quod agripetæ Buthroti concisi dicantur. Se una cum Bruto, si fieri possit, navigaturum ostendit. De bello civili quid exspectet; de explicandis filii sui rationibus. (In Puteolano, anno U. C. 709, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Nonis quint. veni in Puteolanum. Postridie iens ad Brutum in Nesidem[1] hæc scripsi. Sed eo die, quo veneram, cœnanti Eros tuas literas. Itane? Nonis julius[2]? Dii hercule istis! sed stomachari totum diem

1. *Nesidem.* Nesis insula Campaniæ, in qua Brutus erat in villa Luculli filii. Philipp. X, 4. Meminit Plinius l. XIX, cap. 8. Popma.

2. *Nonis juliis?* Scripserat Atticus Ciceroni, Bruti ludos esse proscriptos sic: « A nonis juliis ad III idus »; ut scilicet populo significaretur, ad sextum diem ludos esse duraturos. Eam proscriptionem ut maxime turpem Cicero detestatur: nec id quidem injuria: quia certe nimis absurdum videretur, apparere *Julii* nomen in proscriptione ludorum, quos Brutus daret, is, qui ipsum Julium non ferens vita privasset. Oportebat autem non nonis *juliis* proscribere, sed nonis *quintilibus;* primum, ne tyranni nomen usurparetur: deinde, quæ ad Cæsaris honorem civitas non libera constituisset, ea ne confirmarentur. Nam ex historia notum est, decrevisse senatum, ut *julius* mensis e Cæsaris nomine vocaretur, *quintilis* ante dictus. Sed de Bruti

licet. Quidquamne[3] turpius, quam Bruto, Juliis? Redeo ad meum igitur, ἔτι ἐῶμεν[4]? Nihil vidi[5]. Sed quid est, quæso, quod agripetas Buthroti concisos audio? Quid autem Plancus[6] tam cursim (ita enim audiebam[7]) diem et noctem? Sane cupio scire, quid

ludis ita proscriptis unde afferam, si quis quærat; locus est infra, unde didici: quo ex loco descripta verba recitabimus. Sic igitur ep. 4 hujus lib. « In Nesida VIII idus. Ibi Brutus. Quam ille doluit de nonis juliis! Mirifice est conturbatus. Itaque sese scripturum aiebat, ut venationem eam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent III idus quintil. » non III idus jul. ut extremum ludorum diem fuisse constet, IV idus, quum dies venationis, quæ ludos est Apollinares consequuta, III idus sit. Man. — *Dii hercule istis*. Imprecatio est adversus eos, qui ludos Bruti proscripserant nonis juliis, non vero nonis *quintilibus*. Sic quoque loquutus est epistola 10 hujus libri: « O qualis tu semper istos! Itane in D. Brutum! Dii istis ». Bosius.

3. *Quidquamne*. Magnus Scaliger IV de Temporum emendatione reprehendit et satis acriter castigat Ciceronem, quasi annum a Julio Cæsare correctum improbasset, et propterea Cæsari obtrectasset. Non defuerunt, inquit, qui illud incomparabilis viri divinum factum reprehenderent. Inter quos M. Tullius Cicero, homo potius virtutum Cæsaris obtrectator, quam vitiorum castigator, quum anno primo Juliano quidam diceret, Cras lyra orietur: Ex edicto, inquit, orietur: tamquam coactus illam ordinationem non solum acciperet, sed audiret. Hoc etiam animadvertere licet ex quadam epistola ad Atticum lib. XVI: « Itane? nonis juliis? quidquamne turpius, quam Bruto, nonis juliis? » Sed Cicero Pompeias nonas veteris anni ineptissime amasset, qui Julias anni castigati aversatur. Hæc Scaliger. Sed immerito vapulat Cicero, qui non reprehendit annum castigatum a Cæsare, sed Cæsaris superbiam, et ambitionem, qui æque ac Janus et Mars dii, passus sit de suo nomine mensem appellari Julium, abrogata veteri quintilis appellatione. Hinc et Suetonius in Jul. cap. 74, inter illa recenset, propter quæ jure cæsus esse credatur, *mensem e suo nomine*. Præterea his Bruto exprobrat Tullius, quum ludos suos proscribi nonis juliis passus est, quod hac ratione probet honores, qui tyranno decreti sunt ab adulatoribus, et sic suum tyrannicidium ipse damnet, quum tyranni memoria sit abolenda. Inde statim subdit, « quidquamne turpius Bruto, juliis? » nimirum quam juliis, non quintilibus proscribi ludos. Græv.

4. Ἔτι ἐῶμεν. Adhucne sinimus et patimur ista fieri? Sic Bosius. Alii vero, ἔλθωμεν, hoc est, *discedamus* ex Italia.

5. *Nihil vidi*. Potest esse ἀποσιώπησις; ut sit, Nihil vidi turpius. Man. — Aliter Turnebus Advers. IX, 22: *Nihil vidi*, hoc est, imprudens fui, qui nondum discesserim.

6. *Quid autem Plancus*. Vide lib. XV, epist. ult.

7. Legebatur olim, « ita enim meditabar diem et noctem ». Debetur emendatio Manutio, qui in MS Bessarionis mendosam vocem invenerat, *mediabam*. J. V. L.

sit. Meam profectionem laudari gaudeo. Dymæos[8], agro pulsos, mare infestum habere, nil mirum. Videndum[9] est, ut mansio laudetur. Ἐν ὁμοπλοίᾳ Bruti[10] videtur aliquid præsidii esse : sed, opinor, minuta navigia. Sed jam sciam, et ad te cras. De Ventidio, πανικὸν[11] puto. De Sexto, pro certo habebatur, haud arma[12]. Quod si verum est, sine bello civili video serviendum. Quid ergo? kal. jan. in Pansa spes? λῆρος πολὺς[13], in vino, et in somno istorum. De CCX, optime Ciceronis rationes explicentur[14]. Ovius enim recens : is multa, quæ vellem; in his ne hoc quidem malum, in mandatis sat abunde[15] : H-S LXXII satis esse, affatim prorsus; sed Xenonem perexigue, et γλίσχρως[16] præbere [id est minutatim[17]]. Quo plus

8. *Dymæos*. Pompeius, ut Plutarchus scribit, captis piratis, magnam eorum partem constituerat in agro Dymæo : quod erat et fertile territorium, et a cultoribus infrequens. Ii postremo pulsi ea sede, quam assignatam a Pompeio per aliquot annos tenuerant, rursus se ad piraticam veterem artem contulerunt. Dyme civitas est in Achaia. MAN.

9. *Videndum*. Gaudeo quidem meam profectionem laudari, sed, quoniam Dymæi mare infestum habent ita, ut tuta non sit navigatio, videndum est, ut, si forte ob id sit manendum, mansio quoque laudetur. CORR. — Ernest. verba hæc, *Videndum.... laudetur*, e conjectura loco movet, ponitque supra post *gaudeo*. Non probamus. J. V. L.

10. Ἐν ὁμοπλοίᾳ *Bruti*. In societate navigandi cum Bruto. MANUT.

11. Πανικόν. Vanum terrorem.

12. Vett. edd. *ad arma*, unde Manutius post legendum putabat, *non sine bello civili*. Sed vulgata nunc lectio est e Crusellino codice. J. V. L.

13. Λῆρος πολύς. Nugæ multæ.

14. *Explicentur*. Sententia hujus loci hæc est : Ducenta decem millia nummum commode præberi poterunt filio Marco quibus indiget ad se tuendum, et debita quæ contraxit solvenda. J. F. GRONOV.

15. *Abunde*. Hoc est : Ovius, qui recens Athenis venit, narrat habere se in mandatis, a filio mandatum sibi esse, ut referret mihi, sufficere ad omnia summam assignatam, *satis* esse, *abunde*, *affatim*. Vide Turneb. Advers. XXIII, 29. — Verba hæc, *in mandatis sat abunde*, deleri volebat Lambinus : sane vix commodum sensum habent. Sic Ernest. Schütz. delevit. J. V. L.

16. Γλίσχρως. *Minutatim*. Quod etiam fuerat, inquit Manutius, receptum in epistolam ignorantia describentium.

17. Hoc esse a glossatore recte viderunt Corradus, Manutius; atque ita visum et Walkenario, Diatrib. in

permutasti [18], quam ad fructum insularum, id ille annus habeat, in quem itineris sumptus accessit. Hinc ex kal. april. [19] ad H-S LXXX accommodetur: nunc enim insulæ tantum. Videndum [20] enim est, quid, quum Romæ erit: non enim puto socrum illam ferendam. Pindaro de Cumano [21] negaram. Nunc, cujus rei causa tabellarium miserim, accipe. Q. filius mihi pollicetur se Catonem [22]. Egit autem et pater, et filius, ut tibi sponderem; sed ita, ut tum crederes, quum ipse cognosses. Huic ego literas ipsius arbitratu dabo: eæ te ne moverint. Has scripsi in eam partem, ne me motum [23] putares. Dii faxint, ut faciat ea, quæ promittit! commune enim gaudium. Sed ego [24] nihil dico amplius. Is hinc VI [25] idus: ait enim attributionem [26] in idus, se autem urgeri acriter. Tu ex meis literis, quo modo respondeas, moderabere.

Euripid. fragmenta, p. 194. Ernest. uncis inclusit. Schütz. delevit omnino. J. V. L.

18. *Plus permutasti*, etc. Scis convenisse, ut Ciceroni tantum daremus, quantum reciperetur ex insularum fructu. Eo si quid plus Athenis permutasti Ciceronis causa, volo id ei concedatur supra annuam pensionem, pro sumptu, quem primo anno fecit dum Athenas proficiscitur. J. F. GRON. — Edd. pr. « Quæ quo plus permutasti ». Scribere jubet Ernest. « Quod plus p. » J. V. L.

19. *Hinc ex kal. april.* Quoniam assignavimus Ciceroni quantum ex insulis reciperetur, deinceps detur ei ad H-S LXXX: quoniam tanti nunc insulæ locantur, quæ antea tantummodo LXXII locabantur. Ex kalendis autem apr. quia Ciceroni filio id erat anni temporis initium. Vide XV, 15. J. F. GRONOV.

20. *Videndum.* Curandum nobis est, ut sit, quod filius in sumptum habeat, quum Romæ erit. Quum enim Publiliæ uxoris meæ matrem ferre non possim, divortium erit faciendum: ita dote reddita, re familiari comminuti, unde filio suppeditabimus? IDEM.

21. *Decumano.* Est in plerisque veterum *de Cumano*. Sed quum res obscura sit, statui nihil potest. MAL. — Sic edd. pr. et MSS. Multi tamen editores, ut Bosius, Grævius, Gronovius, *decumano*; sed frustra. J. V. L.

22. *Se Catonem.* Talem, qualis erat Cato.

23. *Me motum.* Me fidem habuisse verbis Quinti filii. MANUT.

24. *Sed ego.* Ἀποσιώπησις. IDEM.

25. Sic ed. Rom. Vulg. VII. Al. III. J. V. L.

26. *Attributionem.* Posuit pro solutione pecuniæ, quam debebat Q. filius. MAN.

Plura, quum et Brutum videro, et Erotem remittam. Atticæ meæ excusationem accipio, eamque amo plurimum; cui, et Piliæ salutem.

EPISTOLA II.

De Buthrotiis; de nominibus suis expediendis; de suo cum Bruto congressu; de itinere suo. Breviter de aliis. (In Puteolano, anno U. C. 708, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Sexto idus duas epistolas accepi, unam a meo tabellario, alteram a Bruti. De Buthrotiis longe alia fama in his locis fuerat; sed cum aliis multis hoc ferendum. Erotem remisi citius, quam constitueram, ut esset [1], qui Hortensio; et quia equitibus [2] quidem ait se idibus constituisse. Hortensius vero impudenter. Nihil enim debetur ei, nisi ex tertia pensione, quæ est kal. sext. ex qua pensione ipsa major pars est ei soluta aliquanto ante diem. Sed hæc Eros videbit idibus. De Publilio autem, quod perscribi [3] oportet, moram non puto esse faciendam. Sed quum videas,

1. *Ut esset.* Ut esset qui Hortensio, filio scilicet, solveret pro parte hereditatis Clavianorum, quam Cicero ab eo emerat. Græv.

2. *Equitibus.* Qui illi fuerint equites, et quodnam negotium fuerit, de quo cum illis constituerat Eros, id sane, ut multa alia in his epistolis ignoramus. Attico tamen procul dubio fuerunt perspectissima. Non inepte Manutius Publilios hic intelligi conjicit, qui post divortium cum Publilia flagitabant restitutionem dotis, ut cum his constituisse idibus dicatur Eros. Idem. — Manut. in antiquo Bessarionis libro reperit *e quid.* Unde Schütz. conjicit legendum, « cui quidem ait se idibus constituisse ». Ernest. quidem verbum *equitibus* vitiosum putat. J. V. L.

3. *De Publilio autem quod perscribi oportet*, etc. Perscribi est de mensa numerari, aut chirographo ab argentario solvere, ut dudum eruditi viri docuerunt; qui modus solvendi nostris mercatoribus est notissimus, cui opponitur præsente pecunia solvere. Græv.

quantum de jure nostro decesserimus, qui de residuis cccc II-S cc præsentia solverimus, reliqua rescribamus : loqui cum eo, si videbitur, poteris; eum commodum nostrum exspectare debere, quum tanta sit a nobis jactura facta juris. Sed, amabo te, mi Attice (videsne, quam blande?), omnia nostra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil a me exspectes. Quamquam enim reliqua satis apta sunt ad solvendum, tamen fit sæpe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. Si quid ejusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius. Non modo versura, verum etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis. Bruto tuæ literæ gratæ erant. Fui enim apud illum multas horas in Neside, quum paullo ante tuas literas accepissem. Delectari mihi Tereo[4] videbatur, et habere majorem Attio, quam Antonio[5], gratiam. Mihi autem quo lætiora sunt, eo plus stomachi et molestiæ est, populum romanum manus suas non in defendenda republica, sed in plaudendo consumere. Mihi quidem videntur istorum[6] animi incendi etiam ad repræsentandam[7] improbitatem suam. Sed tamen, « dummodo doleat aliquid[8], doleat quod lubet ». Consilium[9] meum quod ais quotidie magis laudari, non moleste fero; exspectabamque, si quid de eo ad me scriberes. Ego enim

4. *Tereo.* Fabula olim ab Accio de Tereo scripta, et nunc in Bruti ludis acta. Ep. 5 hujus libri. CORRAD.

5. *Quam Antonio.* Sententia hæc est : Brutum putare placuisse magis ludos suos ob ingenium poetæ, quam quod curator eorum Lucius Antonius operam dederit, ut placerent. J. F. GRONOV.

6. *Istorum animi incendi.* Antonii, et similium.

7. *Repræsentandam*, etc. Citius aliquanto, quam fecissent, ostendendam. MANUT.

8. Vulg. « doleant aliquid, doleant quodlibet ». Sequimur nos lectionem versus Afraniani, quemadmodum laudatur in Tusculan. IV, 20. Jam monuerat Baherius, Animadvers. in Ciceronem, Paris. 1746, p. 411.

9. *Consilium.* Discedendi ex Italia. MANUT.

in varios sermones incidebam. Quin etiam idcirco trahebam, ut quam diutissime integrum esset. Sed quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito: facilior enim et exploratior devitatio legionum fore videtur, quam piratarum, qui apparere dicuntur. Sextius VI idus exspectabatur, sed non venerat, quod sciam. Cassius cum classicula sua venerat. Ego, quum eum vidissem, V kal. in Pompeianum cogitabam, inde Aculanum[10]. Nosti reliqua. De Tutia ita putaram. De Æbutio, non credo; nec tamen curo plus, quam tu. Planco et Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras; sed, si tibi videbitur, ne necesse habueris reddere. Quum enim tua causa fecerint omnia, vereor, ne meas literas supervacaneas arbitrentur. Oppio quidem utique; quem tibi amicissimum cognovi. Verum, ut voles. Tu, quoniam scribis hiematurum te in Epiro, feceris mihi gratum, si ante eo veneris, quam mihi in Italiam, te auctore, veniendum sit. Literas ad me quam sæpissime, sed de rebus minus necessariis, aliquem nactus[11]; sin autem erit quid majus, domo mittito. Ἡρακλείδιον[12], si Brundisium salvi, adoriemur. De Gloria misi tibi. Custodies igitur, ut soles: sed notentur eclogarii[13]; quos Salvius, bonos

10. *Aculanum*. Oppidum in Hirpinis. Conf. Plin. lib. III, cap. 16, tom. II, pag. 152 edit. nost. Ed.

11. Al. « si de r. m. necessariis, aliquem nactus ». J. V. L.

12. Ἡρακλείδιον. « Opus iis simile, quæ scripsit Heraclides Ponticus ». Vide XV, 4.

13. *Eclogarii*. Ab ecloga descendit *eclogarius*, quæ vox nusquam occurrit alibi. *Eclogas* vocabant locos insignes e libris excerptos. Proinde homo *eclogarius* is est, qui hujusmodi eclogas colligit: liber *eclogarius*, qui continet: locus in libro *eclogarius*, notabilis et dignus qui excerpatur. *Notentur*, qui legantur *in convivio duntaxat*, inquit Mongaltius. Cur autem in convivio legi permittit? Quoniam, ut videtur, nihil periculi est a calamis, minus a memoria convivarum. De usu legendi in conviviis, Plinius ep. III, 5; Juvenalis, XI, 178. Oliv.—Male quidam *quos* referunt ad *de Gloria*, nempe libros. Mongaltius vidit conjungendum cum *eclogarii*. Schütz. probat et confirmat his epist. 2: « Nostrum opus tibi probari lætor: ex quo ἄνθη

auditores nactus, in convivio duntaxat legat. Mihi valde placent; mallem tibi. Etiam atque etiam vale.

ipsa posuisti, quæ mihi florentiora sunt visa tuo judicio ». Hunc sensum quoque videtur prætulisse Jo. Furlanetto, in supplemento ad magnum diction. lat. Forcellini, Patav. 1816, voc. eclogarius. Ed.

EPISTOLA III.

Rescribit Attici literis, et quæ se in discessu vel moveant, vel consolentur, exponit. (In Pompeiano, anno U. C. 709, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Tu vero sapienter (nunc demum enim rescribo his literis, quas mihi misisti, convento Antonio Tiburi), sapienter igitur, quod manus dedisti, quodque etiam ultro gratias egisti. Certe enim, ut scribis, deseremur potius a republica, quam a re familiari. Quod vero scribis te magis et magis delectari, o Tite[1], si quid ego, addis[2] mihi scribendi alacritatem. Quod Erotem non sine munusculo exspectare[3] dicis, gaudeo, non fefellisse eam rem opinionem tuam : sed tamen idem σύνταγμα[4] misi ad te retractatius, et quidem ἀρχέτυπον[5] ipsum, crebris locis inculcatum et refectum. Hunc tu tralatum in macrocolum[6] lege arcano convivis tuis : sed, si me amas, hilaris et bene acceptis, ne in me stomachum erumpant, quum sint tibi irati. De Cicerone, velim ita sit, ut audimus. De Xenone, coram cognoscam : quamquam nihil ab eo arbitror neque

1. *O Tite*. Libro de Senectute, qui, *Cato major*, inscribitur, cujus principium est : *O Tite, si quid ego adjuro curamve levasso*, etc.

2. *Addis*. Moretus et Bosius, *addit*.

3. *Exspectare*. Male Corrad. voluit *exspectasse*.

4. Σύνταγμα. *Opus*, libros de Gloria.

5. Ἀρχέτυπον. *Exemplar primigenium*.

6. *Macrocolum*. Vide XIII, 25.

indiligenter, neque illiberaliter. De Herode, faciam, ut mandas; et ea quæ scribis, ex Saufeio, et e Xenone cognoscam. De Q. filio, gaudeo tibi meas literas prius a tabellario meo, quam ab ipso, redditas: quamquam te nihil fefellisset. Verumtamen. Sed exspecto, quid ille tecum, quid tu vicissim; nec dubito, quin suo more uterque. Sed eas literas Curium mihi spero redditurum; qui quidem, etsi per se est amabilis, a meque diligitur, tamen accedit magnus cumulus commendationis tuæ. Literis tuis satis responsum est: nunc audi, quod, etsi intelligo scribi necesse non esse, scribo tamen. Multa me movent in discessu, in primis mehercule, quod dijungor a te. Movet etiam navigationis labor, alienus non ab ætate solum nostra, verum etiam a dignitate; tempusque discessus subabsurdum. Relinquimus enim pacem, ut ad bellum revertamur; quodque temporis in prædiolis nostris, et belle ædificatis, et satis amœnis consumi potuit, in peregrinatione consumimus. Consolantur hæc: aut proderimus aliquid Ciceroni; aut, quantum profici possit, judicabimus. Deinde tu jam, ut spero, et ut promittis, aderis; quod quidem si acciderit, omnia nobis erunt meliora. Maxime autem me angit ratio reliquorum[7] meorum: quæ quamquam explicata sunt, tamen, quod et Dolabellæ nomen in iis est, et attributione mihi nomina[8] ignota, conturbor; nec me ulla res magis angit ex omnibus. Itaque non mihi videor errasse, quod ad Balbum scripsi apertius, ut, si quid tale accidisset, ut non concurrerent[9] nomina, subve-

7. *Reliquorum.* Hoc loco *reliqua* sunt debita nondum exacta. Ern.

8. Manutius legit, « *et attributio* est mihi nominum ignota ». Ernest. malit, *et in attributione*. J. V. L.

9. *Non concurrerent.* Dies nominum mihi attributorum non quadraret cum ea die quæ præstituta est iis nominibus, quæ ipse feci, dissolvendis; sed aliquanto longior esset. Bos.

niret; meque tibi etiam mandasse, ut, si quid ejusmodi accidisset, cum eo communicares; quod facies, si tibi videbitur, eoque magis, si proficisceris in Epirum. Hæc ego conscendens e Pompeiano tribus actuariolis, decem scalmis. Brutus erat in Neside etiam nunc, Neapoli Cassius. Ecquid amas Dejotarum, et non amas[10] Hieram? qui, ut Blesamius venit ad me, quum ei præscriptum esset, ne quid sine Sexti nostri sententia ageret, neque ad illum, neque ad quemquam nostrum retulit. Atticam nostram cupio absentem suaviari: ita mihi dulcis salus visa est, per te missa ab illa. Referes igitur ei plurimam, itemque Piliæ dicas velim.

10. *Non amas.* Dictum εἰρωνικῶς. Miserat cum Dejotarus, ut Armeniam, sibi a Cæsare ereptam, emeret ab Antonio: quod factum est, Fulvia, quæ Antonii uxor erat, intercedente, i. e. cum Dejotari legatis de pretio paciscente. Vide Phil. II. Sed interfecto Cæsare, Dejotarus Armenia vi potitus est.

EPISTOLA IV.

Narrat quid apud Brutum de Sexto Pompeio audiverit; de Buthrotiis se nihil certi reperisse scribit; denique de navigatione sua quæ cogitet, exponit. (In Puteolano, anno U. C. 709, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Ita ut heri tibi narravi, vel fortasse hodie (Quintus enim altero die se aiebat), in Nesida VIII idus. Ibi Brutus. Quam ille doluit de NONIS JULIIS[1]! mirifice est conturbatus. Itaque sese scripturum aiebat, ut venationen etiam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent III ID. QUINT. Libo intervenit. Is Philonem, Pompeii libertum, et Hilarum, suum[2],

1. *Juliis.* Vide supra, ep. 1.

2. Al. *suum libertum.* J. V. L.

venisse a Sexto[3] cum literis ad consules, sive quo alio nomine sunt. Earum exemplum nobis legit, si quid videretur[4]. Pauca παρὰ λέξιν[5], ceteroqui et satis graviter, et non contumaciter. Tantum addi placuit, quod erat coss. solum, ut esset, PRÆTT. TRIBB. PLEB. SENATUI; ne illi non proferrent eas, quæ ad ipsos missæ essent. Sextum autem nuntiant cum una solum legione fuisse Carthagine; eique, eo ipso die, quo oppidum Boream[6] cepisset, nuntiatum esse de Cæsare[7]; capto oppido, miram lætitiam commutationemque animorum, concursumque undique; sed illum ad sex legiones, quas in ulteriore reliquisset, revertisse. Ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum liceret. Summa postulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint. Hæc fere de Sexto. De Buthrotiis undique quærens, nihil reperiebam. Alii, concisos agripetas; alii, Plancum, acceptis nummis, relictis illis, aufugisse. Itaque non video sciturum me, quid ejus sit, ni statim aliquid literarum[8]. Iter illud Brundisium[9], de quo dubitabam, sublatum videtur: legiones enim adventare dicuntur. Hæc autem navigatio habet quasdam suspiciones periculi. Itaque constituebam uti ὁμοπλοίᾳ[10]. Paratiorem offendi Brutum, quam audiebam. Nam et ipse Domitius bona plane habet dicrota; suntque navigia præterea luculenta Sextii, Buciliani, ceterorum. Nam Cassii classem, quæ

3. *A Sexto.* Pompeio. MANUT.

4. Hæc est lectio edd. pr. quam temere correxerunt legendo, « Dixi, quid videretur. » J. V. L.

5. Παρὰ λέξιν. Minus proprie dicta. — Ernest. aptam non esse horum verborum sententiam ratus, conj. παρὰ δόξαν. Frustra, ut videtur. J. V. L.

6. *Boream.* Fortasse oppidum, de quo Plinius lib. V, cap. 4. POPMA. — Quum urbem in Hispania nullam reperiam, trajecta literula *Eboram* libentissime legerim, quæ urbs est Lusitaniæ. Turneb. Advers. XXIII, 30.

7. *De Cæsare.* Romæ occiso. MAN.

8. *Aliquid literarum.* Dederis. CORR.

9. *Brundisium.* Melius forte *Brundisinum.* ED.

10. Ὁμοπλοίᾳ. Societate navigationis.

plane bella est, non numero ultra fretum. Illud est mihi submolestum, quod parum Brutus properare videtur. Primum confectorum ludorum nuntios exspectat; deinde, quantum intelligo, tarde est navigaturus, consistens in locis pluribus. Tamen arbitror esse commodius tarde navigare, quam omnino non navigare; et si, quum processerimus[11], exploratiora videbuntur, Etesiis utemur.

11. *Et, si, quum processerimus, exploratiora videbuntur, Etesiis*, etc. Si ubi jam in cursu fuerimus, speculatoriæ naves, ut mos est, præmissæ explorandi itineris causa, nobis referent mare pacatum liberumque a piratis esse, omisso Bruto ventis Etesiis nos mandabimus. J. F. Gronov.—De navigandi voluntate, et de Etesiis, vid. ad Div. XIV, 25.

EPISTOLA V.

Præmissis quibusdam de Bruto ludis, Q. Ciceronem filium collaudat; de navigatione sua se dubitare, Nepotis epistolam se exspectare. Postremo de epistolis suis edendis scribit. (In Puteolano, anno U. C. 709, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Tuas jam literas Brutus exspectabat: cui quidem ego [non[1]] novum attuleram de Tereo Attii. Ille Brutum[2] putabat. Sed tamen rumoris nescio quid afflaverat, commissione Græcorum[3] frequentiam non fuisse: quod quidem me minime fefellit; scis enim, quid ego de græcis ludis[4] existimem. Nunc audi, quod

1. Corradus et Manutius *non* delendum putant, recte probante Grævio. Probat et Gallicus interpres Mongalt. qui putat nullum Bruto de Tereo nuntium allatum; immo non scivisse hanc fabulam actam fuisse. Quod si verum sit, conjiciendum est hanc epist. ante tres superiores scriptam fuisse. Ed.

2. *Brutum*. Attii poetæ fabulam de L. Junio Bruto, qui reges expulit. Corrad.

3. *Commissione Græcorum*. Id est, quum græci ludi ederentur. Committere ludos, est edere. Græv.

4. *Græcis ludis*. In ludis græcis erant fabulæ, quas vocabant satyricas:

pluris est, quam omnia. Quintus [5] fuit mecum dies complures; et, si ego cuperem, ille vel plures fuisset: sed, quantum [6] fuit, incredibile est, quam me in omni genere delectarit, in eoque maxime, in quo minime satisfaciebat [7]. Sic enim commutatus est totus et scriptis meis quibusdam, quæ in manibus habebam, et assiduitate orationis, et præceptis, ut tali animo in rempublicam, quali nos volumus, futurus sit. Hoc quum mihi non modo confirmasset, sed etiam persuasisset, egit mecum accurate multis verbis, tibi ut sponderem, se dignum et te, et nobis futurum; neque se postulare, ut statim crederes; sed, quum ipse perspexisses, tum ut se amares. Quod nisi fidem mihi fecisset, judicassemque hoc, quod dico, firmum fore, non fecissem id, quod dicturus sum. Duxi enim mecum adolescentem ad Brutum. Sic ei probatum est, quod ad te scribo, ut ipse crediderit, me sponsorem accipere noluerit, eumque laudans, amicissime mentionem tui fecerit, complexus osculatusque dimiserit. Quamobrem etsi magis est, quod gratuler tibi, quam quod te rogem, tamen etiam rogo, ut, si quæ minus antea, propter infirmitatem ætatis, constanter ab eo fieri videbantur, ea judices illum abjecisse; mihique credas, multum allaturam, vel plurimum potius, ad

Horatius vocat *Satyros*, de Art. poet. 221. Id spectaculi quid esset, Isaacus Casaubonus explicavit libro de Satyrica Græcorum Poesi, itemque Jul. Cæs. Bulengerus lib. de Circo, cap. 38. Has amare poterat fabulas spectator, *et potus et exlex*, ut Horatius ait ibid. 229. Quid mirum, si non amaret Cicero! Visatur ep. 1, lib. VII, ad Div. Illic græcos ludos cum Oscis conjungit. In his Osci actores erant, et Oscus sermo: in illis Græci agebant græce: in utrisque oblectatio erat plebis, et servorum, qui plerique Græci. Olivet.

5. *Quintus*. Q. filius. Corr.

6. Conjeci *quamdiu*; etsi et illud ferri potest. Ernest. J.V.L.

7. *Minime satisfaciebat*. His de Quinto laudibus Cicero in fine epist. 1 h. l. et in media 3, monet Atticum ut credat, quum ipse cognosset. Forte hæc epistola coram Quinto scripta est. Ed.

illius judicium confirmandum, auctoritatem tuam.

Bruto quum sæpe[8] injecissem de ὁμοπλοίᾳ, non perinde, atque ego putaram, arripere[9] visus est. Existimabam μετεωρότερον[10] esse; et hercule erat, et maxime de ludis. At mihi, quum ad villam redissem, Cn. Lucceius, qui multum utitur Bruto, narravit, illum valde morari, non tergiversantem, sed exspectantem, si qui forte casus. Itaque dubito, an Venusiam tendam, et ibi exspectem de legionibus : si aberunt, ut quidam arbitrantur, Hydruntem; si neutrum erit ἀσφαλὲς[11], eodem revertar.

Jocari me putas[12]? moriar, si quisquam me tenet præter te. Etenim circumspice: sed ante[13] erubesco. O dies[14] in auspiciis Lepidi lepide descriptos, et apte ad consilium reditus nostri! Magna ῥοπὴ[15] ad proficiscendum tuis literis[16]. Atque utinam te illic! Sed ut conducere putabis.

Nepotis[17] epistolam exspecto. Cupidus ille meorum[18]? qui ea, quibus maxime γαυριῶ[19], legenda non

8. *Sæpe*. Libri editi ante Victorium, *spem*. J. V. L.

9. Sic idem Victorius emendavit. Sed tamen et Jenson. dederat. Prius legebatur *accipere*. J. V. L.

10. Μετεωρότερον. Suspensiore videlicet animo.

11. Ἀσφαλές. Tutum, securum.

12. *Jocari me putas*. Scilicet in eo quod dicturus sum. Atqui non jocor, et dicam ex animo. J. F. Gronov.

13. *Sed ante*. Circumspice, inquit Cicero, num quis sit alius, cujus cupiditate remanere velim, sed ante oculos tuos, et in os tuum hoc dicere erubesco, ne me blandum existimes. Idem.

14. *O dies*, etc. Descripti dies erant, quibus Lepidum, qui erat pontifex maxim. cum augurum collegio dare operam auspiciis oportebat. Lætatur igitur, eam sibi fore causam, cur mature ad urbem redeat. Erat enim augur. Man.

15. Ῥοπή. Impulsio, momentum.

16. *Tuis literis*. Inest, quum te affore promittas. Vide supra epistol. 3 huj. lib. Corr.

17. *Nepotis*. Cornelii Nepotis clarissimi historici, ad quem fuerunt Ciceronis libri epistolarum. Is non multum tribuebat philosophiæ, atque adeo exagitabat ipsos philosophos; quod indicant ipsius verba ex epistola ad Ciceronem, quæ Lactantius refert lib. III, cap. 16 Inst. Popma.

18. *Meorum*. Scriptorum. Man.

19. Γαυριῶ. *Glorior*.

putet? Et ais, μετ' ἀμύμονα[20]. Tu vero ἀμύμων[21] : ille quidem ἄμβροτος[22].

Mearum epistolarum nulla est συναγωγή[23]. Sed habet Tiro instar septuaginta. Et quidem sunt a te quædam sumendæ. Eas ego, oportet, perspiciam, corrigam : tum denique edentur.

20. Μετ' ἀμύμονα. *Post carentem nævo.* Respicitur Iliad. B, 674, ubi Nireus formosissimus dicitur, post Achillem *nævo carentem*. Atticus enim scripserat, Cornelium Nepotem, qui desiderio scriptorum ejus tenebatur, esse optimum scriptorem, scilicet post Ciceronem. Quam deinde laudem a se Cicero modeste amovet.

21. Ἀμύμων. *Carens nævo.*

22. Ἄμβροτος. *Immortalis*, *divinus.*

23. *Mearum epistolarum nulla est* συναγωγή. *Collectio.* Hinc volunt fuisse omnes a Tirone collectas.

EPISTOLA VI.

Scribit de itinere suo, petitque ut nomina sua expediat; denique aliud libri de Gloria proœmium mittit. (Vibone, an. U. C. 709, mense quintili.)

CICERO ATTICO S.

Ego adhuc (perveni enim Vibonem ad Sicam) magis commode, quam strenue navigavi : remis enim magnam partem; prodromi[1] nulli. Illud satis opportune : duo sinus fuerunt, quos tramitti oporteret[2], Pæstanus et Vibonensis; utrumque pedibus æquis[3] transmisimus. Veni igitur ad Sicam octavo die e Pompeiano, quum unum diem Veliæ constitissem : ubi quidem fui sane libenter apud Talnam[4] nostrum; nec

1. *Prodromi.* Venti aquilonares, qui exortum Caniculæ octo diebus antecedunt, et IV id. jul. flare incipiunt. Porm.

2. Alii, *oportet.* J. V. L.

3. *Æquis.* Vulgo *equis.* Pedes proprie sunt funes ad angulos velorum, quibus ea vertebantur. Hinc et pro velis. Hinc *æqui pedes* sunt vela æqualiter tensa, quod fiebat quum æquatæ auræ velorum sinus implebant. Salm. Plin. Exerc.

4. Corrigunt *Testam*, nempe C. Trebatium Testam, apud quem Veliæ

potui accipi, illo absente præsertim, liberalius. IX kal. igitur ad Sicam. Ibi tamquam domi meæ scilicet. Itaque obduxi[5] posterum diem. Sed putabam, quum Rhegium venissem, fore, ut illic δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες[6], cogitaremus, corbitane[7] Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, atque inde[8] Corcyram; et, si oneraria, statimne freto, an Syracusis. Hac super re scribam ad te Rhegio. Mehercule, mi Attice, sæpe mecum, ἡ δεῦρ' ὁδός[9] σοι τί δύναται; cur ego tecum non sum? cur, ocellos Italiæ, villulas meas non video? Sed id satis superque, tecum me non esse. Quid fugientem? periculumne? Id nunc quidem, nisi fallor, nullum est. Ad ipsum enim[10] revocat me auctoritas tua: scribis enim, in cælum ferri profectionem meam, sed ita, si ante kal. jan. redeam; quod quidem certe enitar. Malo enim vel cum timore domi esse, quam sine timore Athenis tuis. Sed tamen prospice, quo ista vergant; mihique aut scribe, aut, quod multo malim, affer ipse. Hæc hactenus. Illud velim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi majori curæ sciam esse, quam ipsi mihi. Nomina mea, per

videtur fuisse, Ep. ad Div. VII, 20. Lectionem hanc jam Ursinus commendavit, quam in libro viri docti notatam repererat. J. V. L.

5. *Obduxi.* Ducere diem, noctem, est trahere et insumere. Obducere autem est longius et diutius ducere ac protrahere, ut obmanere, diu manere. Festus. Popma.

6. Δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες. Longam navigationem meditantes. Odyss. Γ, 169. — Hæc recurrunt ep. 3 h. l. Cicero multa Homerica in latinum converterat, Divin. II, 29, quæ loca sæpissime memoriter exscripsit. Ed.

7. *Corbita.* Oneraria navi, et quidem tardissima. Quare Plaut. in Pœnul. III, 1, 4: « tardiores, quam *corbitæ* sunt in tranquillo mari ». Eamdem navem mox Cicero onerariam dicit. Forte ex hoc factum esse nostrum *corvette* conjicit J. V. L. Ed.

8. Sic Ernestius e conjectura Lambini. Habet quidem ed. Rom. *ac inde.* Vulgo editur *ast inde*, quod plane alienum est. J. V. L.

9. Ἤ δεῦρ' ὁδός. Vide supra librum XV, epistol. 11.

10. Schützius, particulæ *enim* hic non esse locum ratus, rescripsit e conjectura *autem*. Male, si quid videmus. J. V. L.

deos, expedi, exsolve. Bella[11] reliqua reliqui; sed opus est diligentia, coheredibus pro Cluviano kal. sext. persolutum ut sit. Cum Publilio quo modo agendum sit, videbis. Non debet urgere, quoniam jure non utimur; sed tamen ei quoque satisfieri plane volo. Terentiæ vero, quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. Quin si, ut spero, celeriter in Epirum; hoc, quod satisdato[12] debeo, peto a te, ut ante provideas, planeque expedias, ut solutum relinquas. Sed de his satis; metuoque, ne tu nimium putes.

Nunc negligentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi: at in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum: ex eo eligere soleo, quum aliquod σύγγραμμα[13] institui. Itaque jam in Tusculano, qui non meminissem, me abusum isto procemio, conjeci id in eum librum, quem tibi misi. Quum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque statim novum prooemium exaravi; tibi misi. Tu illud desecabis, hoc agglutinabis. Piliæ salutem dices, et Atticæ, deliciis atque amoribus meis.

11. *Bella reliqua reliqui.* Ernest. *Belle.* J. V. L.

12. *Satisdato.* Satisdato debet, qui pro alio cavit idonea cautione. Videtur intelligere Montani nomen, pro quo se soluturum spoponderat ep. 15 hujus libri. J. F. Gronov.

13. Σύγγραμμα. Scriptum, librum.

EPISTOLA VII.

Reversionis suæ causas exponit, et consilium in Græciam proficiscendi excusat. (Navigans ad Pompeianum, anno U. C. 709, mense sextili.)

CICERO ATTICO S.

Octavo id. sext. quum a Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) stadia circiter ccc processissem, rejectus sum austro vehementi ad eamdem Leucopetram. Ibi quum ventum exspectarem (erat enim villa Valerii nostri, ut familiariter essem, et libenter), Rhegini quidam, illustres homines, eo venerunt, Roma sane recentes, in iis Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. Hæc afferebant, edictum Bruti et Cassii; et fore frequentem senatum kalendis; a Bruto et Cassio literas missas ad consulares et prætorios, ut adessent, rogare. Summam spem nuntiabant, fore, ut Antonius cederet; res conveniret; nostri Romam redirent. Addebant etiam, me desiderari, subaccusari. Quæ quum audissem, sine ulla dubitatione abjeci consilium profectionis, quo mehercule ne antea quidem delectabar. Lectis vero tuis literis, admiratus equidem sum, te tam vehementer sententiam commutasse; sed, non sine causa, arbitrabar. Etsi, quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meæ, approbator certe fuisti, dummodo kal. jan. Romæ essem. Ita fiebat, ut, dum minus periculi videretur, abessem; in flammam ipsam venirem. Sed hæc, etiamsi non prudenter, tamen ἀνεμέσητα[1] sunt: primum, quod de mea sententia acta sunt; deinde, etiamsi te auctore, quid debet,

1. Ἀνεμέσητα. Non reprehendenda.

qui consilium dat, præstare præter fidem? illud admirari satis non potui, quod scripsisti his verbis: « Veni[2] igitur, tu, qui εὐθανασίαν[3]. Veni: relinquis patriam? » An ego relinquebam, aut tibi tum relinquere videbar? Tu id non modo non prohibebas, verum etiam approbabas. Graviora, quæ restant. « Velim σχόλιον[4] aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere ». Itane, mi Attice? defensione eget meum factum, præsertim apud te, qui id mirabiliter approbasti? Ego vero istum ἀπολογισμὸν[5] συντάξομαι, sed ad eorum aliquem, quibus invitis et dissuadentibus profectus sum. Etsi quid jam opus est σχολίῳ? Si perseverassem, opus fuisset. At hoc ipsum non constanter[6]. Nemo doctus umquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilii, inconstantiam dixit esse. Deinceps igitur hæc: « Nam si a Phædro[7] nostro, expedita excusatio esset. Nunc quid respondemus? » Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possem[8], flagitii scilicet plenum et dedecoris. Utinam a primo ita tibi esset visum! tu mihi, sicut esse soles, fuisses Cato. Extremum illud vel molestissimum: « Nam Brutus noster silet: » hoc est, non audet hominem id ætatis monere. Aliud nihil habeo, quod ex iis a te verbis significari putem:

2. Edd. pr. habent *Bene*, quod jure optimo e MS correxit Victorius. Deinde Ernest. prætolit *relinquis* vulgato *relinques*; sed secundum *Veni* putat delendum; nam cohærere hæc, *tu, qui* εὐθανασίαν (mortem honestam tantopere laudas), *relinquis patriam?* Nullam causam video. J. V. L.

3. Εὐθανασίαν. *Præclaram mortem.* Vide XV, 20.

4. Σχόλιον. *Commentarium.*

5. Ἀπολογισμόν. *Defensionem componam.*

6. *Non constanter.* Objectio. Non profectus es quidem, sed voluisti tamen.

7. *Phædro.* Si hoc fieret a Phædro nostro, facilis illi exscusatio esset. Sic enim responderet: Ego de honesto nihil cogito, dolorem fugio, summum bonum in voluptate pono. Nunc quid tu respondebis, o Cicero, qui non, ut Phædrus, Epicuream sectam, sed illam Socraticam, quæ virtutem et officium colit, es sequutus? Man.

8. Al. *possim.* J. V. L.

et hercule ita est. Nam xvi kal. sept. quum venissem Veliam[9], Brutus audivit : erat enim cum suis navibus apud Heletem[10] fluvium, citra Veliam millia passuum iii : pedibus ad me statim. Dii immortales! quam valde ille reditu, vel potius reversione[11] mea lætatus, effudit illa omnia, quæ tacuerat! ut recordarer illud tuum, « Nam Brutus noster silet ». Maxime autem dolebat, me kal. sext. in senatu non fuisse. Pisonem ferebat in cælum; se autem lætari, quod effugissem duas maximas vituperationes : unam, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere, desperationis ac relictionis[12] reipublicæ; flentes[13] mecum vulgo querebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam : alteram, de qua Brutus, et qui una erant (multi autem erant), lætabantur, quod eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. Hoc vero nihil turpius, quovis reipublicæ tempore; sed hoc[14], ἀναπολόγητον[15]. Ego vero austro gratias miras, qui me a tanta infamia averterit. Reversionis has speciosas causas habes, justas illas quidem, et magnas; sed nulla justior, quam quod tu idem

9. *Veliam.* Coloniam Phocæensium, a quibus dicta Ἐλέα, unde nomen Velia Strab. VI; Plin. III, 5, confirmat. Hinc J. V. L. recte censet servandum hic *Heletem*, et corrigendum in epist. ad Trebatium, ad Div. VII, 20 : « Haletem, nobilem amnem ». Ed.

10. *Apud Heletem fluvium.* Ernest. *Haletem.* J. V. L.

11. *Reditu, vel potius reversione.* Manutius vult *reversione* necessitatem significari, *reditu* voluntatem tantum. Hoc non placet. Ed.

12. *Relictionis.* Tam novum hoc nomen Victorio videtur, ut id recipere et probare hæreat. — Hoc e conjectura Beroaldi receptum, reperit tamen in MS Balliol. Grævius. Libri alii scripti et edd. vett. omnes, *religionis.* Ernest. J. V. L.

13. *Flentes.* Victorius et Bosius, *euntes*, contra librorum omnium fidem. Sensus autem est : Qui me, quum discederem navem conscensurus, deducebant, flentes querebantur me relinquere rempublicam, nec credebant me tam celeriter rediturum esse kalendis januarii, quod ego præ me ferebam. Græv.

14. *Hoc.* Tempore ita turbulento.

15. Ἀναπολόγητον. Careret defensione.

aliis literis : « Provide, si cui quid [16] debetur, ut sit, unde par pari respondeatur. Mirifica enim δυσχρηστία [17] est propter metum armorum ». In freto medio hanc epistolam legi, ut, quid possem providere, in mentem mihi non veniret, nisi ut præsens me ipse defenderem. Sed hæc hactenus : reliqua coram. Antonii edictum legi a Bruto, et horum [18] contra, scriptum præclare. Sed quid ista edicta valeant, aut quo spectent, plane non video : nec ego nunc, ut Brutus censebat, istuc ad rempublicam capessendam venio. Quid enim fieri potest? num quis Pisoni [19] est assensus? num rediit ipse postridie? sed abesse hanc ætatem longe a sepulcro [20] negant oportere.

Sed obsecro te, quid est quod audivi de Bruto? Piliam πειράζεσθαι παραλύσει [21], te scripsisse aiebat. Valde sum commotus : etsi idem, te scribere, sperare melius. Ita plane velim. Ei dicas plurimam salutem, et suavissimæ Atticæ. Hæc scripsi navigans, quum Pompeianum accederem, xiiii kal.

16. Alii, *quod*. J. V. L.

17. Δυσχρηστια. Difficultas versuræ faciendæ, seu mutuo sumendæ pecuniæ.

18. *Horum*. Bruti et Cassii prætorum.

19. *Pisoni*. Cui in senatu in Antonium invehenti nemo assensus est armorum metu. Ad Div. XII, 2, et Philipp. I. MAN.

20. *A sepulcro*. Id est, a patria, in qua solemus sepulcrum nobis constituere. MANUT. — Quamvis spes nulla sit, tutiorem in Urbe mihi stationem fore, quam Pisoni; hoc tamen adibo quodcumque periculi est, atque iis satisfaciam, qui me putant satis vixisse diu, ut ne diutius appetam. Vide Philipp. II, 46; et ad Divers. XVI, 23. MONGALT.

21. *Piliam* πειράζεσθαι παραλύσει. *Tentari paralysi*, seu nervorum resolutione, ut vertit Celsus, lib. III, cap. 27. CORR.

EPISTOLA VIII.

Quid Octavianus a se postulet, narrat. (In Puteolano, anno U. C. 709, mense novembri.)

CICERO ATTICO S.

Quum sciam, quo die venturus sim, faciam, ut scias. Impedimenta exspectanda sunt, quæ Anagnia veniunt: et familia ægra est. Kal. vesperi literæ mihi ab Octaviano. Magna molitur. Veteranos, quiqui Casilini[1] et Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam. Nec mirum: quingenos[2] denarios dat. Cogitat reliquas colonias obire. Plane hoc spectat, ut se duce bellum geratur cum Antonio. Itaque video paucis diebus nos in armis fore. Quem autem sequamur? Vide nomen; vide ætatem[3]. Atque a me postulat, primum ut clam colloquatur mecum, vel Capuæ, vel non longe a Capua[4]. Puerile hoc quidem, si id putat clam fieri posse. Docui per literas, id nec opus esse, nec fieri posse. Misit ad me Cæcinam quemdam Volaterranum, familiarem suum, qui hæc pertulit: Antonium cum legione Alaudarum[5] ad Urbem pergere, pecunias municipiis imperare, legionem sub signis ducere. Consultabat, utrum Romam cum CIↃ CIↃ CIↃ veteranorum proficisceretur, an Capuam teneret, et

1. Vett. quædam edd. *Casili.* J. V. L.

2. Ita correxit Victorius. Prius legebatur *quingentos.* J. V. L.

3. *Nomen... ætatem.* Qui et Cæsar appelletur; et adolescens, ac pæne puer sit. Man.

4. Verba hæc, « vel non longe a Capua », e MSS restituit Bosius, quæ a vulgatis libris aberant. J. V. L.

5. *Legione Alaudarum.* Quam Cæsar in Gallia delegerat. Sueton. Jul. c. 24. Sic dicta ab avi quam in signis habebant, Romanis *galerita*, Gallis *alauda*. Plinius, XI, 37. Antonius ut hanc legionem sibi conciliaret, tertium ordinem judicum instituerat, ex centurionibus ipsis manipulariis hujus legionis collectum. Quod sæpissime et graviter Cicero indignatus est. Philip. I, 8. Ed.

Antonium venientem excluderet, an iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter secundum mare superum faciunt; quas sperat suas esse. Eæ congiarium ab Antonio accipere noluerunt, ut hic quidem narrat, et ei convicium grave fecerunt, concionantemque reliquerunt. Quid quæris? ducem se profitetur, nec nos sibi putat deesse oportere. Equidem suasi, ut Romam pergeret. Videtur enim mihi et plebeculam urbanam, et, si fidem fecerit, etiam bonos viros secum habiturus. O Brute, ubi es? quanta μεὐκαιρίαν[6] amittis? Non equidem hoc divinavi, sed aliquid[7] tale putavi fore. Nunc tuum consilium exquiro. Romamne venio, an hic maneo, an Arpinum (ἀσφάλειαν[8] habet is locus) fugiam[9]? Romam[10]; ne desideremur, si quid actum videbitur. Hoc igitur explica. Numquam in majore ἀπορίᾳ[11] fui.

6. Εὐκαιρίαν. Opportunitatem.

7. *Aliquid tale.* Putavi fore ut Cæsariani inter se collidantur. Græv.

8. Ἀσφάλειαν. Securitatem.

9. Aliquot MSS, *fugam*. J. V. L.

10. *Romam.* Mihi potius, inquit, videtur ut Romam eam. Hoc erat consilium Ciceronis. Dubitabat tamen adhuc. Bosius.

11. Ἀπορίᾳ. Dubitatione.

EPISTOLA IX.

De literis ab Octaviano acceptis. (In Puteolano, anno U. C. 709, mense novembri.)

CICERO ATTICO S.

Binæ uno die[1] mihi literæ ab Octavio: nunc quidem, ut Romam statim veniam; velle se rem agere per senatum. Cui ego, non posse senatum ante kal. jan. quod quidem ita credo. Ille autem addit, « consilio tuo ». Quid multa? Ille urget; ego autem

1. Olim, *in die*. Multi etiam habent *Octaviano*. J. V. L.

σκήπτομαι[2]. Non confido ætati; ignoro, quo animo: nil sine Pansa tuo volo. Vereor, ne valeat Antonius: nec a mari discedere libet; et metuo, ne quæ ἀριστεία[3] me absente. Varroni quidem displicet consilium pueri; mihi non. Firmas copias habet; Brutum[4] habere potest: et rem gerit palam; centuriat Capuæ; dinumerat[5]. Jam jamque video bellum. Ad hæc rescribe. Tabellarium meum kalend. Roma profectum sine tuis literis, miror.

2. Σκήπτομαι. Tergiversor. —Vett. edd. σκέπτομαι. J. V. L.

3. Ἀριστεία. Præclarum facinus. — Legunt alii, *ne qua* ἀριστεία. J. V. L.

4. *Brutum*. Decimum: quem Antonius, Celtica provincia non decedentem, armis expellere parabat. Man.

5. *Dinumerat*. Pecuniam. Man.

EPISTOLA X.

De itinere suo scribit, et quid Atticus de accessu ad Urbem censeat, quærit. (In Sinuessano, anno U. C. 709, mense novembri.)

CICERO ATTICO S.

Septimo id. veni[1] ad me in Sinuessanum. Eodem die vulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini. Itaque mutavi consilium: statueram enim recta Appia Romam. Facile me ille esset assequutus; aiunt enim eum Cæsarina uti celeritate. Verti igitur[2] me a Minturnis Arpinum versus. Constitueram, ut v idus[3] aut Aquini manerem, aut in Arcano. Nunc, mi

1. *Ut veni*. Sic Malaspina. Ceteri nihil sanum. Gruterus et Grævius, « VI kalend. veni ». Hoc *kalend.* primus in contextum Bosius intrusit: satis oscitanter, ut notat Mongaltius: siquidem kalendas jam præteriisse legerat in superiore epistola, et in hac videbat datam esse *VI id.* quo die profectus est summo mane Cicero e Sinuessana villa, et Minturnas diluculo venit. Infra epist. 13. Oliv.

2. *Verti igitur*. Tamen, quum hæc scriberet, erat adhuc in Sinuessano, neque in viam se dederat. Verum ita scribit, quasi post rem peractam, cum Attico loquetur. Mongalt.

3. *V idus*. Alii, *II idus*, errore tam proclivi, quam facile est in quinarli

Attice, tota mente incumbe in hanc curam. Magna enim res est. Tria sunt autem, maneamne Arpini, an propius accedam, an veniam Romam. Quod censueris, faciam. Sed quam primum : avide exspecto tuas literas. VI idus mane in Sinuessano.

numeri compendiaria nota partem infernam esse aut male expressam calamo, aut tempore detritam. At is error deprehendi non ægre poterat. Etenim hanc dabat Cicero epistolam *VI idus* (die 8 novembris) ante lucem, mox profecturus Arpinum versus, Antonium ut fugeret, quem uti celeritate maxima audierat. An ergo constituisset, non venire Aquinum, nisi *II* aut prid. *idus* (die 12 mensis), quo pervenire poterat eo ipso die, quo hanc dabat epistolam, et re vera pervenit? Vide infra, epist. 13. MONGALT.

EPISTOLA XI.

Duabus Attici epistolis respondet, et priori quidem potissimum de iis, quæ Atticus in orat. Philippica secunda animadverterat; posteriori, de libris de officiis, de Octaviani progressibus et aliis rebus. (In Puteolano, anno U. C. 709, mense novembri.)

CICERO ATTICO S.

NONIS accepi a te duas epistolas : quarum alteram kal. dederas, alteram pridie. Igitur prius ad superiorem. Nostrum opus [1] tibi probari lætor; ex quo ἄνθη [2] ipsa posuisti; quæ mihi florentiora sunt visa tuo judicio [3] : cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. De Sica ita est [4], ut scribis. Ast ægre me tenui. Itaque perstringam [5] sine ulla contumelia Sicæ aut

1. *Nostrum opus.* Philippicam secundam. MONGALT.

2. Ἄνθη. *Flores*, meliora loca. — E lectione vulgata, « ante ipsa », hanc fecit Lambinus, ingeniosa prorsus emendatione. In eod. e quo ed. Rom. facta est, fuit « antea ipsa », ex ἄνθεα. J. V. L.

3. *Florentiora... tuo judicio.* Pulchriora, elegantiora, posteaquam probata sunt tuo judicio. MAL.

4. *Ita est.* Nolim eum offendere. Ciceroni, quum se Clodiano furori subtraheret, receptum Sica dederat in suo fundo. Vide sup. lib. III, ep. 2 et 4.

5. *Perstringam.* Agitur de Philippica secunda, in qua, cap. 2 : « Quum te omnes recordarentur libertini ge-

Septimiæ : tantum, ut sciant παῖδες παίδων[6] sine sillo Luciliano[7], eum ex Q. Fadii filia liberos habuisse. Atque utinam[8] eum diem videam, quum ista oratio ita libere vagetur, ut etiam in Sicæ domum introeat! Sed illo tempore opus est, quod fuit illis[9] triumviris. Moriar, nisi facete. Tu vero leges Sexto, ejusque judicium mihi perscribes. Εἷς ἐμοὶ μύριοι[10]. Caleni interventum, et Calvenæ[11] cavebis. Quod vereris, ne ἀδό-

nerum et liberos tuos nepotes Q. Fadii libertini hominis fuisse ». Quid in exemplo ad Atticum transmisso fuerit, unde Sicam offendi posse Atticus existimabat, quis dicat? Suspicatur Mongaltius fuisse positum nomen Septimiæ, quam habebat Sica uxorem, et Fadia cognatam. Oliv.

6. Παῖδες παίδων. Nati natorum : alludit ad Homericum : Καὶ παῖδες παίδων, τοίκε μετόπισθεν ἔσονται. Et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Virg.

7. *Sine sillo Luciliano*. Alii « sine vallo ». Oliv. explicat : h. e. sine ulla exceptione. Sensum hunc vidit Corradus, sed indicavit tantum. Sic Oliv. rationem reddit: Lucilius non omnes ad suas legendas satyras admittebat. Persium, exempli causa, excluserat : ut habet Cicero de Orat. II, 6 : « Persium non curo legere »; vel, ut refert Plinius, Præfat. Nat. Hist. « Manium Persium hæc legere nolo ». Hoc quasi *vallo* muniebat sese, et lectores quosdam excludebat. Atticus, qui lubens scribendo alludebat, ut significaret, esse in secunda Philippica, quæ Sicam offendere et alios possent, dixerat utendum esse *vallo Luciliano*, quo arcerentur a lectione : hoc est, denuntiandum, « Sicam non curo hæc legere ». Hic Cicero ait, ita se stylo moderaturum, ut opus suum legi possit ab omnibus, neque sit necesse *vallo Luciliano* Sicam excludere, sed possit ea scriptio sine offensione in ejus domum introire. Oliv. — Bosius sine ὕθλῳ, alius ὄλλῳ; alius *sine vallo Luculiano*, ridicule. Locus obscurus : sed quivis videat ad salem Lucilii satyricum alludi. Unde Grævius legere volebat *sale*. Sed « sillo » quod suadet Jac. Gronov. proprium in hac re est, et ad scripturam edd. et MSS accedit. Ed.

8. *Utinam*. Optat ita concidere opes Antonii, ut vulgari Philippica impune possit. Interpretes fugit hujus loci sententia : quod non cogitarent, eam orationem, quamvis dicantur omnia, quasi Cicero præsenti Antonio in senatu respondeat, numquam tamen dictam fuisse, sed domi scriptam per otium. Mongalt.

9. *Quod fuit illis triumviris*. Hoc sine epistola Attici non licet nobis divinare. Manut. — Non displicet Gronovii conjectura : « Sed illo tempore opus est, quo fuerint triumviri ». Hoc sensu : Publicandæ orationi exspectandum est tempus illud, *quo fuerint*, nec sint amplius, perierint Antonii fratres, Marcus, Lucius, et Caius, qui facete dicti Attico *triumviri* : quocirca subjungit Cicero, « Moriar, nisi facete » hoc dictum est. Oliv.

10. Εἷς ἐμοὶ μύριοι. *Unus mihi decem millia* : vel pro decem millibus.

11. *Calvenæ*. Matii. Vide XIV, 4.

λεσχος[12], mihi tu? quis minus? cui, ut Aristophani[13] Archilochi iambus, sic epistola longissima quæque optima videtur. Quod me admones : tu vero etiamsi reprehenderes, non modo facile paterer, sed etiam lætarer; quippe quum in reprehensione est prudentia cum εὐμενείᾳ[14]. Ita libenter ea corrigam, quæ a te animadversa sunt, « eodem jure, quo Rubriana[15] », potius, quam « quo Scipionis »; et de laudibus Dolabellæ deruam cumulum. Attamen est isto loco bella, ut mihi videtur, εἰρωνεία, quod eum ter contra cives[16] in acie. Illud etiam malo, « indignissimum[17] est hunc vivere », quam « quid indignius ? » Πεπλογραφίαν[18] Varronis tibi

— Hoc loco demonstrat J. V. L. Philippicam secundam, quæ numquam pronuntiata est, Attico tantum mense hoc nov. notam fuisse; confirmant ad Div. XII, 2, etc. Bruti et Cassii epistolæ. Ed.

12. Ἀδολεσχος. Loquax.

13. *Aristophani*. Non poetæ, sed grammatico, qui scriptorum fuit alter Aristarchus, ut ostendit Diogen. in Plat. et Epicur. Corr.

14. Εὐμενείᾳ. Benivolentia.

15. *Rubriana*. Antonius multa subjecerat Romæ testamenta, quibus heres scribebatur. In iis fuit testamentum L. Rubrii, cui ne notum quidem illum fuisse tradit Cicero Philipp. II, 16, sed et in prædia quædam invaserat Q. Metelli Pii Scipionis, ut Phil. V refertur. Ideo quum Philipp. II, sic initio Cicero scripsisset : « Ab hac perturbatione religionum advolas in M. Varronis sanctissimi atque integerrimi viri fundum Cassinatem; quo jure? quo ore? eodem, inquies, quo in heredum L. Turselli prædia » : admonitus postea ab Attico illud de prædiis Scipionis non satis apposite cum aliis facinoribus Antonii, quæ ibi commemorantur, conjungi, mandavit ei, ut pro, *Scipionis*, reponeret, *Rubriana*, et sane hodie eo loco non, *Scipionis*, sed *L. Rubrii*, legitur. Bosius.

16. *Ter contra cives*. Hæc referenda sunt ad ea verba Philipp. II : « Ter depugnavit Cæsar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania, omnibus adfuit bis pugnis Dolabella; in Hispaniensi etiam vulnus accepit; si de meo judicio quæris, nollem. Sed tamen consilium a principio reprehendendum, laudanda constantia ». Bosius.

17. *Indignissimum*. Philipp. II, ubi etiamnum hodie legitur, « Quid indignius? »

18. Πεπλογραφίαν. Varro clarorum virorum nomina in unum librum congesserat; cumque inscripserat, Πεπλογραφίαν : quod Athenienses (auctores sunt Euripides in Hecuba, Harpocration, alii), in Peplo eos, qui aliquid fortiter gessissent, expingere consueverant. Et Porphyrius ab Aristotele scriptum commentarium tradit, Pepli nomine inscriptum, quo commentario et navium, quæ ad Trojam profectæ essent, numerum, et ducum genealogias persequebatur. Manut. — Quum

probari, non moleste fero : a quo adhuc Ἡρακλείδιον[19] illud non abstuli. Quod me hortaris ad scribendum : amice tu quidem ; sed me scito agere nihil aliud. Gravedo tua mihi molesta est. Quæso, adhibe, quam soles, diligentiam. O Tite[20], tibi prodesse, lætor. Anagnini sunt, Mustella ταξιάρχης[21], et Laco, qui plurimum bibit. Librum, quem rogas, perpoliam, et mittam.

Hæc ad posteriorem. Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος[22], quatenus Panætius, absolvi duobus : illius tres sunt. Sed quum initio divisisset ita, tria genera exquirendi officii esse, unum, quum deliberemus, honestum, an turpe sit; alterum, utile, an inutile; tertium, quum hæc inter se pugnare videantur, quomodo judicandum sit (qualis causa Reguli; redire honestum, manere utile): de duobus primis præclare disseruit; de tertio pollicetur se deinceps; sed nihil scripsit. Eum locum Posidonius persequutus[23]. Ego autem et ejus librum arcessivi, et ad Athenodorum Calvum scripsi, ut ad me τὰ κεφάλαια[24] mitteret; quæ exspecto : quem velim

vero liber Varronis numquam dicitur Πεπλογραφία, sed inscribitur Hebdomades, vel libri de imaginibus, Mongalt. conjicit hic per Πεπλογραφίαν designari libros ad Varronem academicos. Quod non manifestum J. V. L. videtur; sed ita rationem reddi posse putat, ut quemadmodum Aristoteles in Πέπλῳ heroes Homericos celebraverit, sic Cicero in Academicis clarissimorum Socraticæ sectæ philosophorum ingenium et doctrinam exponat. Ed.

19. Ἡρακλείδιον. Supra, XV, 4.

20. *O Tite.* Librum de Senectute : cujus initium est, *O Tite, si quid ego adjuro, curamve levasso,* etc. Vide ep. 3. Manut.

21. Ταξιάρχης. *Princeps gladiatorum.* Respondet Attico, nomina Anagninorum, quos secum Antonius haberet, scire cupienti. Legerat illud fortasse in Philipp. II, 41 : « Quum duos Anagninos secum haberet » : et rogaverat, quinam essent; in quo, nisi me conjectura fallit, abundare crediderim in ea oratione Mustelæ, et Laconis nomina, quum Atticus ea quæsierit. Idem.

22. Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος. *Quæ de officio sunt.* Libri de officiis.

23. Durius omittitur *est;* sed non alienum est ab abrupto genere scribendi in his epistolis. Conjecit aliquando Ernest. *persequitur.* J. V. L.

24. Τὰ κεφάλαια. Capita.

cohortere, et roges, ut quam primum. In eo est περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος[25]. Quod de inscriptione quæris; non dubito, quin καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior, de Officiis. Προσφωνῶ[26] autem Ciceroni filio. Visum est non ἀνοικεῖον[27].

De Myrtilo[28], dilucide. O quales tu semper[29] istos! Itane in D. Brutum[30]? Dii istis[31]! Ego me, ut scripseram, in Pompeianum non[32] abdidi, primo tempestatibus, quibus nil tetrius; deinde ab Octaviano quotidie literæ, ut negotium susciperem, Capuam venirem, iterum rempublicam servarem; Romam utique statim.

Αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι[33], δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.

Is tamen egit sane strenue, et agit. Romam veniet cum manu magna: sed est plane puer. Putat senatum statim. Quis veniet? si venerit, quis, incertis rebus[34], offendet Antonium? Kal. jan. erit[35] fortasse præsidio; aut quidem ante depugnabitur. Puero municipia mire favent. Iter enim faciens in Samnium venit Cales, mansit Teani. Mirifica ἀπάντησις[36], et cohortatio. Hoc

25. Περὶ τοῦ κατὰ περίςασιν καθήκοντος. De officio, quum quædam adjecta est circumstantia.

26. Προσφωνῶ. Nuncupo, dico.

27. Ἀνοικεῖον. Alienum.

28. *De Myrtillo*. Vide lib. XV, ep. 13.

29. *O quales tu semper istos*. Quales, id est, quam exitiosos reipublicæ tu semper existimasti istos, qui ore et vultu se bonos viros fingunt et eorum amantes, qui rempublicam tyrannide vindicare conantur, quum re ipsa acerrimi sint exstincti tyranni et ejus actorum defensores. Bosius.

30. *Itane in D. Brutum?* Itane in D. Brutum aliquid isti machinantur? Idem.

31. *Dii istis*. Male faciant. Idem.

32. Lambinus delet *non*. J. V. L.

33. Αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι. Veriti sunt quidem recusare, timuerunt autem suscipere. Iliad. H, 93.

34. Al. olim, « incertis in rebus ». J. V. L.

35. *Erit*. Octavius. Nam ut senatus kalen. jan. tuto haberi, sententiæque de summa republica libere dici possent, de præsidio prius erat videndum: qua de re tribunos plebis verba fecisse, patet in extrema III Phil. Man.

36. Ἀπάντησις. Obviam itio.

tu putares? ob hoc ego citius Romam, quam constitueram. Simul ac constituero, scribam. Etsi nondum stipulationes[37] legeram (nec enim Eros venerat), tamen rem pridie idus velim conficias. Epistolas Catinam, Tauromenium[38], Syracusas commodius mittere potero, si Valerius interpres[39] ad me nomina gratiosorum[40] scripserit : alii enim sunt alias; nostrique familiares fere demortui. Publice[41] tamen scripsi, si uti vellet eis Valerius : aut mihi nomina[42] mitteret. De Lepidanis[43] feriis Balbus ad me usque ad III kalend. Exspectabo tuas literas : deque Torquati negotiolo sciturum[44] puto. Quinti literas ad te misi, ut scires, quam valde eum amaret[45], quem dolet a te minus amari. Atticæ, quoniam, quod optimum in pueris est, hilarula est, meis verbis suavium des. Vale.

37. *Stipulationes.* Eos, qui stipulatione se daturos esse pecuniam spondent. Vult enim, opinor, e suis prædiis aliquod ab Attico vendi. Man.

38. Vett. quædam editiones, *Tauromenon.* Male. J. V. L.

39. Sic emendavit Victorius, partim e conjectura, partim antiquæ lectionis vestigia sequens, *in tres.* Antea legebatur *Mitres.* Confirmant Victorii lectionem ipsæ epistolæ ad Attic. I, 12. J. V. L.

40. *Gratiosorum.* In suffragiis. — Quibus Valerium interpretem commendaret, et ut honore aut munere aliquo illum ornarent, peteret. Popm.

41. *Publice.* Ad Catinenses, Tauromenienses, Syracusanos. Manut.

42. *Nomina.* Gratiosorum, ad quos nominatim possem scribere. Corr.

43. *Lepidanis feriis.* Quas indixit Lepidus Pontifex Maximus in sui pontificatus auspiciis, de quibus supra, ep. 5. Græv. — Scripsit ad me Balbus de feriis, quas indixit Lepidus Pont. Max. atque in illis literis intelligo, posse me abesse *usque ad III kalend.* Spero interim venturas mihi a te *literas.* Vulgo male *sic ad me. Usque.* Ne cum vulgo distinguerem, causa hæc fuit, quod scribens ineunte mense, non videatur fuisse dicturus, Tuas exspectabo literas ad diem nonum et vigesimum. Cur enim tam diu carere vellet amici literis, quas ubique petit venire sibi creberrimas? epistola libri hujus quinta ostendit, quam sit ad rem id quod sequor. Mong. — Alii, *Lepidianis.* J. V. L.

44. *Deque .... sciturum* Bosius, *Neque ... stiturum* me Torquati negotio.

45. *Eum amaret.* Quint. filium. Corrad.

EPISTOLA XII.

Scribit se arbitrari prid. id. Romæ futurum. (Anno U. C. 709, mense novembri.)

CICERO ATTICO S.

Oppii epistolæ, quia perhumana erat, tibi misi exemplum. De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi quidquam rescribis, cepi consilium domesticum [1]. Itaque me pridie idus arbitror Romæ futurum. Commodius est visum, frustra me istic esse, quum id non necesse esset, quam, si opus esset, non adesse: et simul, ne intercluderer, metuebam. Ille enim jam adventare potest: etsi varii rumores, multique, quos cuperem veros. Nihil tamen certi. Ego vero, quidquid est, tecum potius, quam animi pendeam, quum a te absim, et de te, et de me. Sed quid tibi dicam? Bonum animum. De Ἡρακλειδείῳ [2] Varronis, negotia salsa [3]: me quidem nihil umquam sic delectavit. Sed hæc, et alia majora coram.

1. *Domesticum*. I. e. a me ipso, ut recte Corradus et Mongaltius.

2. Al. «Πενοῦμαι enim. De Ἡρακλ.» Sic Gruter. post Bosium. J. V. L.

3. *Negotia salsa*. Facete scripsisti de opere Varronis, meque ea pars literarum tuarum ita delectavit, ut nihil umquam magis. Manut.

EPISTOLA XIII.

Duabus Attici epistolis respondet, et quo itinere Aquinum perrexerit, narrat. Quærit num propius accedere possit. Attico consulenti quid sibi censeat faciendum respondet; de historia scribenda se coram cum Attico collaturum scribit. (Aquini — in Arpinati, anno U. C. 709, mense novembri.)

CICERO ATTICO S.

O casum mirificum! VI idus quum ante lucem de Sinuessano surrexissem, venissemque diluculo ad pontem Tirenum, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas, obviam mihi fit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα[1]. Ego statim, Cedo, inquam, si quid ab Attico. Nondum legere poteramus: nam et lumina dimiseramus[2]; nec satis lucebat. Quum autem luceret, ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi cœpta est. Illa omnium quidem elegantissima: ne sim salvus, si aliter scribo, ac sentio; nihil legi humanius. Itaque veniam, quo vocas, modo adjutore te. Sed nihil tam ἀπροσδιόνυσον[3] mihi primo videbatur, quam ad has literas, quibus ego a te consilium petieram, te mihi ista rescribere. Ecce tibi altera, qua hortaris παρ' ἠνεμόεντα[4] Μίμαντα, Νήσου ἐπὶ

1. Δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. *Longam navigationem meditantem.*

2. *Lumina dimiseramus.* Viatores noctu facibus aut lucernis sibi prælucebant. Plaut. Trinummo: « Face et viatico opus est ». Varro, de Re rust. I: « Viatoris prætereuntis lascivi non metuit facem ardentem ». Suetonius in Julio: « Quum luminibus exstinctis decessisset via ». POPMA.

3. Ἀπροσδιόνυσον. Absurdum.

4. Παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα, Νήσου ἐπὶ Ψυρίης, Ἀππίαμ ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντα. « Ad ventosum Mimantem insula Psyria, Appiam sinistra habentem ». Alluditur ad locum Homeri Odyss. Γ, v. 171, 172. Ulysses cum sociis deliberat de navigatione instituenda, utrum supra Chium dirigant cursum, ita ut parvam insulam Psyriam, quæ est

Ψυρίης [5], Appiam ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντα. Itaque eo die mansi Aquini. Longulum sane iter, et via inepta [6]: inde postridie mane proficiscens, has literas dedi.

..... Et quidem [7], ut a me dimitterem invitissimus, fecerunt Erotis literæ. Rem tibi Tiro narrabit. Tu, quid faciendum sit, videbis. Præterea, possimne propius accedere (malo enim esse in Tusculano, aut uspiam in suburbano), an etiam longius discedendum putes [8], crebro ad me velim scribas. Erit autem quotidie, cui des. Quod præterea consulis, quid tibi censeam faciendum, difficile est, quum absim. Verumtamen, si pares [9] æque inter se, quiescendum:

non procul ab insula Chio, a sinistris habeant, an vero infra Chium, ut ventosum Mimantem prætervehantur. Suadebat Ciceroni Atticus, ut inter Apenninum montem (Mimanta) qui e Campania Romam proficiscentibus a dextris est, viam Appiam, quæ a sinistris jacet per Arpinum (Psyriam) proficiscatur, ne in Antonii manus incidat. Ernest.

5. Ψυρίης. Eleganter Psyriæ insulæ situm ab Homero descriptum accommodat insulæ Arpinatis positioni. Nam ut Psyria media interjacebat inter Chium insulam et montem Mimantem: sic hæc Arpinas inter Apenninum, et viam Appiam. Itaque Mimantis nomine Apenninum significavit, quem Minturnis Arpinum proficiscentes dextrorsum habent, ut sinistrorsum viam Appiam. Bosius.

6. Sic vett. edd. et MSS. Bosius tamen, e vitiosa lectione, *via amata*, fecit *via* ἁμάρα, quod in textum Gruterus admisit, fere omnia Bosiana consectatus. Al. conjiciunt « molesta, mala, madida, madidata, etc. » J.V. L.

7. *Et quidem*. Sive altera hæc epistola, sive est alteri pars assuta, voces vel initio vel in contextu desunt aliquæ saltem, quæ significarent Tironem mitti Romam, et quibus istæ continuarentur, « Et quidem ut eum a me dimitterem, etc. » Tironi circa hos dies scribebat: « Mihi prora et puppis fuit a me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares ». Ad Div. XVI, 24. Mongalt. — Mirum est de hac conjectura Ernestium tacuisse: Schütz. agnovit et laudavit: Corradus viderat, qui tamen errabat, quum pro « et quidem » legendum putabat *Tironem quidem*, quasi scriptum fuisset T. quidem; qui modus nomina abreviandi est prorsus inusitatus. Conjicit Schütz. alteram epist. sic incipere potuisse: « tantum quod in Arpinas veneram Tironi has ad te literas dedi ». Arbitratur J. V. L. eamdem posse epistolam esse, sed partim Aquini, partim ex Arpinati scriptam. Ed.

8. Sic edidit Ernest. pro vulgato *putas*, ut jam voluerat Corradus. J. V. L.

9. *Pares*. Si pares copiis sunt Antonius et Octavius; Romæ tibi censeo manendum. Ipsi enim inter se aliquandiu pugnabunt: intereaque periculi

sin, latius manabit, et quidem ad nos, deinde communiter. Avide tuum consilium exspecto. Timeo, ne absim, quum adesse me sit honestius; venire[10] non audeo. De Antonii itineribus nescio quid aliter audio, atque ad te scribebam. Omnia igitur velim explices, et ad me certa mittas. De reliquo quid tibi ego dicam? ardeo studio historiæ[11] (incredibiliter enim me commovet tua cohortatio), quæ quidem nec institui, nec effici potest sine tua ope. Coram igitur hoc quidem conferemus. In præsentia mihi velim scribas, quibus censoribus[12] C. Fannius, M. F. tribunus plebis fuerit. Videor mihi audisse, P. Africano, L. Mummio. Id igitur quæro. Tu mihi de iis rebus, quæ novantur, omnia certa, clara. III id. ex Arpinati.

expertes erimus. Sin superior alteruter; est discedendum: utercumque enim valeat, latius periculum manabit, et primo ad nos (se ipsum, et alios intelligit, qui rempublicam fortiter defenderent), deinde ad omnes communiter, ideoque etiam ad te, quamvis reipublicæ administratione semper abstinueris. Man.

10. *Venire.* Vetus codex una voce auctior: *temere venire.* Bosius Baluz.

11. *Historiæ.* Vide de Legib. l. I, c. 2. Ad hunc locum J. V. L. adducit fragmentum forte e libro Cornelii Nepotis de Historicis latinis quod primus protulit Heusinger, ann. 1759 e MS Guelferbytano: hoc damus: « Non ignorare debes, unum hoc genus latinarum literarum adhuc non modo non respondere Græciæ, sed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum. Ille enim fuit unus, qui potuerit et etiam debuerit historiam digna voce pronuntiare; quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a majoribus acceptam perpoliverit, philosophiam ante eum incomptam, latinam sua confirmaverit oratione: ex quo dubito, interitu ejus utrum respublica an historia magis doleat ». Sed de veritate hujus fragmenti dubitat J. V. L. nec putat Ciceroni omnia ea fuisse, quæ in historia scribenda requirantur. Ed.

12. Olim edebatur *coss.* Lambinus autem ex antiquo libro legendum putabat, « quibus consulibus.... P. Africano, L. Mummio censoribus », valde probante Pighio ad ann. 611, quo anno illi lustrum condiderunt. J. V. L.

EPISTOLA XIV.

Tribus Attici epistolis respondet. (In Arpinati, anno U. C. 708, mense novembri.)

CICERO ATTICO S.

Nihil erat plane, quod scriberem. Nam quum Puteolis essem, quotidie aliquid novi de Octaviano, multa etiam falsa de Antonio. Ad ea autem, quæ scripsisti (tres enim acceperam III idus a te epistolas), valde tibi assentior : si multum possit Octavianus, multo firmius acta tyranni comprobatum iri, quam in Telluris [1], atque id contra Brutum fore : sin autem vincitur, vides intolerabilem Antonium; ut, quem velis, nescias. O Sextii tabellarium, hominem nequam! postridie Puteolis Romæ se dixit fore. Quod me mones, ut pedetentim [2]; assentior : etsi aliter cogitabam. Nec me Philippus [3], aut Marcellus movet : alia enim eorum ratio ; et, si non est, tamen videtur. Sed in isto juvene [4], quamquam animi satis, auctoritatis parum est. Tamen vide, si forte in Tusculano recte esse possum [5], ne id melius sit (ero libentius ; nihil enim ignorabo), an hoc [6], quum Antonius venerit. Sed, ut aliud

1. *In Telluris.* Templo. Quo in loco decretum est, ut, quæ Cæsar statuisset, decrevisset, egisset, rata manerent. Man.

2. *Ut pedetentim.* Ut in consilio capiendo ne properem. Et hoc monebat Atticus, quia Cicero jam illud iterum rogaverat, quid sibi esset agendum : manendum Arpini, an propius accedendum, an eundum Romam. Id.

3. *Philippus.* Monuerat Ciceronem Atticus, ut Philippum et Marcellum imitaretur, nihil propere agentes. Habebat autem L. Philippus in matrimonio Atiam, Octaviani matrem, C. Marcellus Atiæ filiam, Octaviani sororem Oratione III in Antonium. Idem.

4. *Juvene.* Octavianu. Corr.

5. Al. *possim.* J. V. L.

6. *An hoc.* Faciendum erit.—*Quum Antonius venerit*, Brundisio Romam. Man.

ex alio, mihi non est dubium, quin, quod Græci καθῆκον, nos « officium ». Id autem, quid dubitas, quin etiam in rempublicam præclare caderet? nonne dicimus, « consulum officium, senatus officium ? » Præclare convenit; aut da melius. Male narras de Nepotis filio[7]. Valde mehercule moveor, et moleste fero. Nescieram omnino esse istum puerum. Caninium[8] perdidi, hominem, quod ad me attinet, non ingratum. Athenodorum, nihil est, quod hortere : misit enim satis bellum ὑπόμνημα[9]. Gravedini, quæso, omni ratione subveni. [Quintus[10]] avi tui pronepos, scribit ad patris mei nepotem, se ex nonis iis, quibus nos magna gessimus, ædem Opis[11] explicaturum, idque ad populum. Videbis igitur, et scribes. Sexti[12] judicium exspecto.

7. *De Nepòtis filio*. Mortuo. Man.

8. *Caninium*. Gallum. Ad Div. II, 8; VII, 1.

9. Ὑπόμνημα. Commentarium.

10. *Quintus*. Muretus valde probabiliter suspicatur *Quintus* delendum esse : sane videtur interpretis cujusdam explicatio. Non minus enim hic *Quintus* ad intelligendum quis sit avi Attici pronepos, requiritur, quam in sequentibus verbis *Marcus* ad denotandum, quis sit patris Ciceronis nepos. Græv. — *Quintus* delendum esse recte judicat Muretus, probante Grævio; nam et post *Marci* nomen non est; nec periphrasis ejus patitur. Est a glossatore. Uncis saltem inclusi. Ernest. J. V. L.

11. *Ædem Opis*. Hoc est, acturum in concione populi de pecunia in ædem Opis deposita. Eam Cæsar pecuniam in sumptus belli Parthici congesserat : Antonius magnam partem diripuerat. Antonii nomen deferre constituerat Q. Cicero, Q. filius, nonis decembribus, ut novum patriæ hostem, eodem die, quo suus olim patruus M. Tullius Cicero Catilinariam conjurationem oppresserat. Mongaltius recte animadvertit, accusatorum fuisse Quintum privato dumtaxat nomine, atque eos refellit, qui designatum fuisse illum aiunt alii tribunum plebis, alii ædilem. Hujus enim rei nusquam est ulla mentio, ne in his quidem epistolis, in quibus multa referuntur minoria longe momenti. Olivet.

12. *Sexti*. Sexti Peducæi judicium exspecto de oratione mea in Antonium. Popma.

EPISTOLA XV.

Queritur se a Dolabella improbissime tractari; laudat Attici judicium de Octaviano; seque ad nomina sua expedienda mox Romam venturum nuntiat. (In Arpinati, anno U. C. 709, mense novembri.)

CICERO ATTICO S.

Noli putare, pigritia me facere, quod non mea manu scribam: sed mehercule pigritia. Nihil enim habeo aliud, quod dicam; et tamen in tuis quoque epistolis Alexim videor agnoscere. Sed ad rem venio. Ego, si me non improbissime[1] Dolabella tractasset, dubitassem fortasse, utrum remissior essem, an summo jure contenderem. Nunc vero etiam gaudeo mihi causam oblatam, in qua et ipse sentiat, et reliqui omnes, me ab illo abalienatum: idque præ me feram, et quidem me mea facere, et reipublicæ causa, ut illum oderim; quod, quum eam, me auctore, defendere cœpisset, non modo deseruerit, emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuit, everterit. Quod autem quæris, quomodo agi placeat, quum dies[2] venerit: primum velim ejusmodi sit, ut non alienum sit, me Romæ esse; de quo, ut de ceteris, faciam, ut tu censueris. De summa autem agi prorsus vehementer et severe volo. Etsi, sponsores appellare, videtur habere quamdam δυσωπίαν[3]: tamen hoc, quale sit, consideres velim. Possumus enim[4], ut sponsores

1. *Improbissime.* Qui quum mihi pecuniam deberet, et de solutione asseveranter quotidie promitteret: diu variis excusationibus ludificans, ad extremum, ne nummo quidem persoluto, in Syriam profectus est. Ep. 13, lib. XV. Man.

2. *Dies.* Exigendæ pecuniæ. Idem.

3. Δυσωπίαν. Verecundiam.

4. *Possumus enim.* Possumus ita

appellentur, procuratores introducere. Neque enim illi litem contestabuntur : quo facto, non sum nescius, sponsores liberari. Sed et illi turpe arbitror, eo nomine, quod satisdato debeat, procuratores ejus non dissolvere; et nostræ gravitatis, jus nostrum sine summa illius ignominia persequi. De hoc quid placeat, rescribas velim : nec dubito, quin hoc totum lenius administraturus sis. Redeo ad rempublicam.

Multa mehercule a te sæpe ἐν πολιτικῷ [5] genere prudenter; sed his literis nihil prudentius : « Quamquam enim postea [6], in præsentia belle iste puer retundit Antonium, tamen exitum exspectare debemus ». At, quæ concio [7]? nam est missa mihi. Jurat, « ita sibi parentis honores consequi liceat [8] » : et simul dextram intendit ad statuam [9]. Μηδὲ σωθείην ὑπό γε [10] τοιούτου. Sed, ut scribis, certissimum esse video discrimen [11],

rem agere. Introducemus procuratorem, qui sponsores appellet. Illi judicio non disceptabunt, sed nos ad Dolabellæ bona rejicient. Ita et ipsi liberabuntur : quum reus habeat, unde solvat : et nos tum demum honeste jus nostrum persequentes, e Dolabellæ re eam partem capiemus, quæ facta æstimatione, debitæ pecuniæ respondeat. Man.

5. Ἐν πολιτικῷ. In eo, quod ad reipublicæ administrationem pertinet.

6. *Quamquam enim postea.* Hæc, quæ sensum commodum non habent, J. F. Gronov. corrigebat sic, « Quamquam enim potest, et in præsentia, etc. » Olim Manutius, « Quamquam enim posset in præsentia belle iste puer retundere Antonium ». Schütz. vero satius putat *postea* delere. Malim Gronovium sequi. J. V. L.

7. *Concio.* In ea concione Octavianus res gestas patris Julii in memoriam populo redegit : Antonium accusavit : milites, qui se ducem sequuti essent, laudibus ornavit; seque una cum iis ita animatum esse dixit, ut obsequi ad omnia, et inservire patriæ vellet. Hæc autem in templo Castoris et Pollucis, quum eo Ti. Canutius tribunus plebis Antonio infensus, concionem advocasset. Dio lib. XLV, et Appianus lib. III. Man.

8. *Ita sibi parentis honores consequi liceat.* Ut patriæ defensionem susceperit. Idem.

9. *Ad statuam.* Per parentem juravit, manu statuæ illius imposita : ex vetere Græcorum more, illa ipsa, per quæ jurabant, numina tangentium. Herodotus, lib. VI; Juvenalis, sat. 14. Idem.

10. Μηδὲ σωθείην ὑπό γε τοιούτου. *Ne velim quidem servari ab isto.*

11. *Discrimen.* Id est, certo discernet et aperiet voluntatem Octaviani,

Cascæ nostri tribunatum: de quo quidem ipso dixi Oppio, quum me hortaretur, ut adolescentem, totamque causam, manumque veteranorum complecterer, me nullo modo facere posse, ni mihi exploratum esset, eum non modo non inimicum tyrannoctonis, verum etiam amicum fore. Quum ille diceret, ita futurum: Quid igitur festinamus? inquam. Illi enim mea opera ante kalend. januar.[12] nihil opus est. Nos autem ejus voluntatem ante idus decemb. perspiciemus in Casca. Mihi valde assensus est. Quamobrem hæc quidem hactenus. Quod reliquum est, quotidie tabellarios habebis, et, ut ego arbitror, etiam, quod scribas, habebis quotidie. Leptæ literarum exemplum tibi misi; ex quo mihi videtur στρατύλλαξ[13] ille dejectus de gradu[14]. Sed tu, quum legeris, existimabis.

Obsignata jam epistola, literas a te, et a Sexto accepi. Nihil jucundius literis Sexti, nihil amabilius: nam tuæ, breves; priores erant uberrimæ. Tu quidem et prudenter, et amice suades, ut in his locis potissimum sim, quoad audiamus, hæc, quæ commota sunt, quorsum evadant. Sed me, mi Attice, non sane hoc quidem tempore movet respublica; non quo aut sit mihi quidquam carius, aut esse debeat; sed desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere me-

an inimicus tyrannicidis, an amicus sit, si Cascam percussorem Cæsaris tribunatum pl. gerere patiatur. Hoc autem passus est, ut ex Philipp. III liquet. Porma.

12. *Ante kal. jan.* Quo die, senatu a novis consulibus coacto, suam veteranorumque causam magnopere cupiebat Octavianus commendari. Id quod postea factum, declarat Philipp. III. Manut.

13. Στρατύλλαξ. *Imperatorculus.* — Lambin. ϛρατηλάτης. Alii aliter. J. V. L. — Mong. nomen putat esse gladiatoris, quo designatur Antonius.

14. *Dejectus de gradu.* Elegans locutio petita a gladiatoribus, et militibus quorum status et habitus ad præliandum compositus dicitur gradus. Vide Lips. II, Saturnal. 20, et J. F. Gronov. notas ad Senec. Agamemn. v. 515. Græv.

dicinam. Quare ista valeant : me res familiaris movet; rem dico? immo vero existimatio. Quum enim tanta reliqua [15] sint; ne Terentiæ quidem adhuc, quod solvam, expeditum est. Terentiam dico? scis nos pridem jam constituisse Montani [16] nomine H-S xxv dissolvere. Pudentissime hoc Cicero petierat, ut fide sua [17]. Liberalissime, ut tibi quoque placuerat, promiseram; Erotique dixeram, ut sepositum [18] haberet. Non modo; sed iniquissimo fœnore versuram facere Aurelius coactus est. Nam de Terentiæ nomine, Tiro ad me scripsit, te dicere, nummos a Dolabella fore. Male eum credo intellexisse, si quisquam male intelligit [19]; potius, nihil intellexisse. Tu enim ad me scripsisti Cocceii responsum, et iisdem pæne verbis Eros. Veniendum est igitur vel in ipsam [20] flammam : turpius est enim privatim cadere, quam publice. Itaque ceteris de rebus, quas ad me suavissime scripsisti, perturbato animo, non potui, ut consueram, rescribere. Consenti [21] in hac cura, ubi sum, ut me expediam : quibus autem rebus, venit quidem mihi in mentem; sed certe [22] constituere nihil possum, priusquam te videro. Qui minus [23] autem ego istic

15. *Reliqua.* Quum supra id quod debemus, tantum habeamus in nominibus. Man.

16. *Montani.* Vide l. XII, ep. 50. *Aurelius* infr. ejus procurator. Ed.

17. *Ut fide sua.* Cicero filius se fidejussorem ejus summæ constituebat pro Montano. Bosius. — Tunstall. epist. ad Middleton. p. 189, conjicit, *ut si de suo.* J. V. L.

18. *Sepositum.* Tantum nummorum, ut id dissolvere possemus. Corr.

19. *Si quisquam male intelligit.* Romani sermonis elegans quædam ratio, qua significamus aliquem in eo genere, quo de agitur, alios superare. Malasp.

20. *Flammam.* Publicarum contentionum. Man.

21. *Consenti.* Quamvis suadeas, ut in his locis potissimum sim. Corr. — Balliol. « Constitue in hac cura invisum ». Videtur locus hic non esse perpurgatus, et aliquid latere vitii, quod ingeniosioribus eluendum relinquemus. Græv.

22. Al. *certo.* Malim ego *certi.*

23. *Qui minus.* Romæ : cur ego istic æque tuto esse non possim, atque est Marcellus? de quo ep. sup. Man.

recte esse possim, quam est Marcellus? Sed non id agitur; neque id maxime curo. Quid curem, vides. Adsum igitur.

EPISTOLA XVI.

Exemplum literarum ad Plancum in Buthrotiorum causa scriptarum Attico mittit. (In Tusculano, anno U. C. 709, mense junio.)

CICERO ATTICO S.

Jucundissimas tuas legi literas. Ad Plancum scripsi: habes exemplum. Cum Tirone quid sit loquutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista [1] relaxaris.

1. *Occupatione ista.* De re Buthrotia. Man. — Commendatitias, quæ sequuntur, epistolas non eo habemus digestas ordine, quo scriptas. Qui collegit, has conjunxit, quoniam eamdem omnes ad rem pertinent. Ipsa hæc ad Atticum extrema, idcirco hic est, quia fuerat conjuncta cum epistola ad Plancum, quam Attico legendam mittebat Tullius. Mong.

A.

M. CICERO L. PLANCO [1], PRÆT. DES. S.

Cn. Planco causam Buthrotiorum diligentissime commendat. (In Tusculano.)

Attici nostri te valde studiosum esse cognovi, mei vero ita cupidum, ut mehercule paucos æque observantes atque amantes me [2] habere existimem. Ad paternas enim magnas, et veteres, et justas necessitu-

1. *Cn. Planco.* Alii, *L. Planco.* Atqui L. Plancus, Cn. hujus frater, erat tum in Galliis cum imperio, consul designatus cum D. Bruto. Hic Cn. Plancus (gentile nomen erat Munatius) a triumviris proscriptus periit vel poscente Lucio fratre, vel non obsistente. Triumphavit de Gallis L. Plancus cum Lepido, qui ipse fratrem Æmilium Paullum proscriptioni dediderat; unde militaris jocus: « de Germanis, non de Gallis triumphant ambo consules ». Mongalt.

2. Forte, *mei.* J. V. L.

dines magnam attulit accessionem tua voluntas erga me, meaque erga te par atque mutua. Buthrotia tibi causa ignota non est: egi enim sæpe de ea re tecum, tibique totam rem demonstravi; quæ est acta hoc modo. Ut primum Buthrotium agrum proscriptum vidimus, commotus Atticus libellum composuit: eum mihi dedit, ut darem Cæsari; eram enim cœnaturus apud eum illo die. Eum libellum Cæsari dedi: probavit causam; rescripsit Attico, æqua eum postulare; admonuit tamen, ut pecuniam reliquam[3] Buthrotii ad diem solverent. Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo. Quod quum esset factum, adiimus ad Cæsarem, verba fecimus pro Buthrotiis, liberalissimum decretum abstulimus; quod est obsignatum ab amplissimis viris. Quæ quum essent acta, mirari quidem solebam, pati Cæsarem convenire eos, qui agrum Buthrotium concupissent; neque solum pati, sed etiam ei negotio te præficere. Itaque et ego cum illo loquutus sum, et sæpius quidem, ut etiam accusarer ab eo, quod parum constantiæ suæ confiderem; et M. Messallæ, et ipsi Attico dixit, ut sine cura essent, aperteque ostendebat, se præsentium[4] animos (erat enim popularis, ut noras) offendere nolle; quum mare transissent, curaturum se, ut in alium agrum deducerentur. Hæc illo vivo. Post interitum autem Cæsaris, ut primum ex senatusconsulto[5] causas consules cognoscere instituerunt, hæc, quæ supra scripsi, ad eos delata sunt. Probaverunt causam sine ulla dubitatione, seque ad

3. *Pecuniam reliquam.* Nam imperatæ pecuniæ partem jam antea solverant; reliquæ solutionem quum differrent, Cæsar eorum agrum proscripserat. MANUT.

4. *Præsentium.* Qui divisionem agri Buthrotii præsentes petebant. IDEM.

5. *Ex senatusconsulto.* Quo consulibus datum erat negotium ut de actis Cæsaris cognoscerent. Vid. ep. 15. ED.

te literas daturos esse dixerunt. Ego autem, mi Plance, etsi non dubitabam, quin et senatusconsultum, et lex, et consulum decretum[6] ac literæ apud te plurimum auctoritatis haberent, teque ipsius Attici causa velle intellexeram: tamen hoc, pro conjunctione et benivolentia nostra, mihi sumpsi, ut id a te peterem, quod tua singularis humanitas suavissimique mores a te essent impetraturi. Id autem est, ut hoc, quod te tua sponte facturum esse certo scio, honoris nostri causa libenter, prolixe, celeriter facias. Mihi nemo est amicior, nec jucundior, nec carior Attico: cujus antea res solum familiaris agebatur, eaque magna; nunc accessit etiam existimatio, ut, quod consequutus est magna et industria, et gratia, et vivo Cæsare, et mortuo, id, te adjuvante obtineat. Quod si a te erit impetratum, sic velim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficio me affectum judicem. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, studiose diligenterque curabo. Da operam, ut valeas.

6. *Consulum decretum*. Quod enim Cæsar in causa Buthrotia nobis postulantibus decreverat, id postea consules decreto probaverunt. MAN.

B.

CICERO PLANCO, PRÆT. DES. S.

Causam Buthrotiorum iterum Planco commendat. (In Puteolano.)

JAM antea petivi abs te per literas, ut, quum causa Buthrotiorum probata a consulibus esset, quibus et lege, et senatusconsulto permissum erat, ut de Cæsaris actis cognoscerent, statuerent, judicarent, eam rem tu adjuvares; Atticumque nostrum, cujus te studiosum cognovi, et me, qui non minus laboro,

molestia liberares. Omnibus enim rebus magna cura, multa opera, et labore confectis, in te positum est, ut nostræ sollicitudinis finem quam primum facere possimus. Quamquam intelligimus, ea te esse prudentia, ut videas, si ea decreta consulum, quæ de Cæsaris actis interposita sunt, non serventur, magnam perturbationem rerum fore. Equidem, quum multa, quod necesse erat in tanta occcupatione, non probentur, quæ Cæsar statuerit, tamen otii pacisque causa acerrime illa soleo defendere; quod tibi idem magnopere faciendum censeo : quamquam hæc epistola non suasoris est, sed rogatoris. Igitur, mi Plance, rogo te, et etiam oro, sic medius fidius, ut majore studio, magisque ex animo agere non possim, ut totum hoc negotium ita agas, ita tractes, ita conficias, ut, quod sine ulla dubitatione apud consules obtinuimus, propter summam bonitatem et æquitatem causæ, id tu nos obtinuisse non modo facile patiare, sed etiam gaudeas. Qua quidem voluntate esse[1] erga Atticum, sæpe præsens et illi ostendisti, et vero etiam mihi. Quod si feceris, me, quem voluntate, et paterna necessitudine conjunctum semper habuisti, maximo beneficio devinctum habebis. Idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

1. *Voluntate esse.* Lege : « Qua quidem voluntate te esse erga Atticum ». Tò *te* absorpserat præcedentis vocis ultima syllaba, ut sæpe. GRÆV.

C.

CICERO CAPITONI [1] SUO S.

Capitonem rogat, ut sibi et Attico in causa Buthrotiorum operam præstet. (In Tusculano.)

Numquam putavi fore, ut supplex ad te venirem: sed hercule facile patior, datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam, scis. Amabo te, da mihi et hoc: obliviscere mea causa, illum aliquando suo familiari, adversario tuo, voluisse consultum, quum illius existimatio ageretur. Hoc primum ignoscere est humanitatis tuæ; suos enim quisque debet tueri: deinde, si me amas (omitte Atticum), Ciceroni tuo, quem quanti facias, præ te soles ferre, totum hoc da, ut, quod semper existimavi, nunc plane intelligam, me a te multum amari. Buthrotios quum Cæsar decreto suo, quod ego obsignavi cum amplissimis viris, liberavisset, ostendissetque nobis, se, quum agrarii mare transissent, literas missurum, quem in agrum deducerentur, accidit, ut subito ille interiret. Deinde, quemadmodum tu scis (interfuisti enim, quum consules oporteret ex senatusconsulto de actis Cæsaris cognoscere), res ab iis in kal. jun. dilata est. Accessit ad senatusconsultum lex, quæ lata est a. d. iv non. jun.; quæ lex earum rerum, quas Cæsar statuisset, decrevisset, egisset, consulibus cognitionem dedit. Causa Buthrotiorum delata est ad consules. Decretum Cæsaris recitatum est, et multi præterea libelli Cæsaris prolati. Consules

1. *Capitoni.* C. Atteius Capito, de quo lib. XIII, ad Att. ep. 33, et ad Div. XIII, 29. Sed hæc conjectura J. V. L. parum verisimilis videtur. Ea nempe nullo modo firmatur priori epist. Altera autem evertitur. Ed.

de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios; Plancum dederunt[2]. Nunc, mi Capito (scio enim, quantum semper apud eos, quibuscum sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum atque humanissimum Plancum), enitere, elabora, vel potius eblandire, effice, ut Plancus, quem spero optimum esse, sit etiam melior opera tua. Omnino res hujusmodi videtur esse, ut sine cujusquam gratia Plancus ipse, pro ingenio et prudentia sua, non sit dubitaturus, quin decretum consulum, quorum et lege, et senatusconsulto cognitio et judicium fuit, conservet: præsertim quum, hoc genere cognitionum labefactato, acta Cæsaris in dubium ventura videantur; quæ non modo ii, quorum interest, sed etiam ii, qui illa non probant, otii causa confirmari velint. Quod quum ita sit, tamen interest nostra, Plancum hoc animo libenti prolixoque facere: quod certe faciet, si tu nervulos tuos, mihi sæpe cognitos, suavitatemque, qua nemo tibi par est, adhibueris. Quod ut facias, te vehementer rogo.

2. *Plancum dederunt.* Haud aliter scriptum est in antiquis libris: durum, si intelligendum est *Plancum arbitrum dederunt.* Manut. tamen in hanc opinionem ratio ipsa perduxit, ut leg. crederet, « literas ad Plancum dederunt ». Videbat enim ita scriptum supra: « Consules probaverunt causam sine ulla dubitatione, seque ad te literas daturos esse dixerunt ». Ed.

D.

CICERO C. CUPIENNIO S.

Cupiennio causam civitatis Buthrotiorum commendat.
(In Tusculano.)

Patrem tuum plurimi feci; meque ille mirifice et coluit, et amavit: nec mehercule umquam mihi dubium fuit, quin a te diligerer. Ego quidem id facere non destiti. Quamobrem peto a te in majorem mo-

dum, ut civitatem Buthrotiam subleves, decretumque consulum, quod ii secundum Buthrotios fecerunt, quum et lege, et senatusconsulto statuendi potestatem haberent, des operam, ut Plancus noster quam primum confirmet et comprobet. Hoc te vehementer, mi Cupienni, etiam atque etiam rogo.

E.

CICERO PLANCO, PRÆT. DES. S.

Buthrotiorum causam iterum Planco commendat.

Ignosce mihi, quod quum antea accuratissime de Buthrotiis ad te scripserim, eadem de re sæpius scribam. Non mehercule, mi Plance, facio, quo parum confidam aut libertati tuæ, aut nostræ amicitiæ; sed quum tanta res agatur Attici nostri, nunc vero etiam existimatio, ut id, quod probavit Cæsar, nobis testibus et obsignatoribus, qui et decretis, et responsis Cæsaris interfueramus, videatur obtinere potuisse, præsertim quum tota potestas ejus rei tua sit, ut ea quæ consules decreverunt secundum Cæsaris decreta et responsa, non dicam comprobes, sed studiose libenterque comprobes. Id mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior esse possit. Etsi jam sperabam, quum has literas accepisses, fore, ut ea, quæ superioribus literis a te petiissemus, impetrata essent, tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit, te id fecisse; quod magna cum spe exspectamus. Deinde enim confido fore, ut alio genere literarum utamur, tibique pro tuo summo beneficio gratias agamus. Quod si acciderit, velim sic existimes, non tibi tam Atticum, cujus permagna res agitur, quam me, qui non minus laboro, quam ille, obligatum fore.

F.

CICERO CAPITONI S.

Iterum rogat Capitonem ut causam Buthrotiorum apud Plancum juvet.

Non dubito, quin mirere, atque etiam stomachere, quod tecum de eadem re agam sæpius. Hominis familiarissimi, et mihi omnibus rebus conjunctissimi, permagna res agitur, Attici. Cognovi ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum. Multum potes nos apud Plancum juvare. Novi humanitatem tuam; scio, quam sis amicis jucundus. Nemo nos in hac causa plus juvare potest, quam tu. Et res ita est firma, ut debet esse, quam consules de consilii sententia decreverunt, quum et lege, et senatusconsulto cognoscerent. Tamen omnia posita putamus in Planci tui liberalitate; quem quidem arbitramur quum officii sui, et reipublicæ causa decretum consulum comprobaturum, tum libenter nostra causa esse facturum. Adjuvabis igitur, mi Capito : quod ut facias, vehementer etiam atque etiam rogo.

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
AD Q. FRATREM
LIBRI TRES

PRÆFATIUNCULA.

Q. T. Cicero, Marci frater, paullo ætate minor, rempublicam quoque, sed multo minore cum fama gessit. In matrimonio habuit Pomponiam, Attici sororem; deinde ædilis, et ann. 691 prætor urbanus fuit. Si scholiastæ nuper edito fides est adhibenda, apud eum Marcus pro Archia orationem habuit. Vid. J. V. L. tom. XII, pag. 10. Asiam tres annos proprætor obtinuit. Anno 695, inimicitiis Clodii objectus, quum in revocando fratre multum laboraret, sæpe in discrimen vitæ venit. Anno U. C. 699, aliquamdiu in Sardinia mansit Pompeii legatus, tunc a senatu rei frumentariæ præpositi [1]. Postea Cæsaris quoque legatus in Gallia, quem quum in Britanniam comitatus esset, ann. 702, M. fratris in Cilicia legatus fuit. Cum illo partes Pompeii sequutus, post Pharsalicam cladem, veniam Cæsaris imploravit. Ann. 708 Pomponiæ uxori nuntium remisit. A triumviris proscriptus, eodem fere tempore quo frater trucidatus est.

Scripsit autem opusculum quod exstat, de Petitione consulatus. Annales scripserat, quos fratri corrigendos et edendos mandavit. (Epist. ad Att. II, 16.) Erant forte commentarii de expeditione

1. Hoc conjectura assequutus est Manutius, quæ certa nunc est ex fragmentis orat. pro Scauro.

Cæsaris. (Ad Q. Fratr. II, 16.) Poesi quoque operam dedisse, ex titulis tragœdiarum, Erigone, Electra, Troade, apparet. Non mirum videtur viro doctissimo J. V. LECLERC vix versus viginti ejus exstare : poetam enim qui diebus sexdecim quatuor tragœdias scripsit, vix ad posteros perventurum recte judicat.

Ejus sunt epist. ad Tironem tres, ad Marcum multæ satis, quæ tribus libris comprehensæ sunt.

Primus liber, cujus videtur pars tantum exstare, habet duas epistolas ad Q. Asiæ proprætorem scriptas. Priorem præsertim optimis præceptis plenam diserte miratus J. V. L. quam vulgo putant imitatum esse D. Bernardum in libro de Consideratione ad Summum Pontificem Eugenium III [1]. Duo reliquæ hujus libri epist. scriptæ dum Thessalonicæ, exsulante Cicerone.

Secundo libro continentur epist. ad Quintum scriptæ ann. 697, quum in Sardinia esset. Duæ tresve quas in Italia accepit: eæ denique quæ illi in Galliam ann. 699 missæ sunt.

Tertii libri epist. omnes ann. 699 scriptæ, quum Quintus in Gallia vel in Britannia cum Cæsare. Ex his epistolis et ad Trebatium (ad Divers. VII, 6-18) multa colligi possunt, quæ has expeditiones illustrent.

1. Hanc separatim explicarunt et ediderunt Rol. Petreius, Paris. 1564; *Baumier*, Zurich. 1587; Zachar. Schœfer. Tubing. 1628; Franc. Hotomannus, Natz. Chistræus, Facciolati, etc. Hanc in edit. J. V. L. interpretatus est vir doctissimus, D. *Burnouf*, meus in Academia Parisiensi collega, in collegio Galliæ eloquentiæ latinæ professor.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD Q. FRATREM
LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

Quintus Cicero ex prætura provinciam Asiam sortitus, annos jam duos continuos parum secunda fama eam administrarat. Quum in annum tertium prorogatum illi imperium fuisset, Marcus frater inde occasionem eum ad laudem cohortandi sumpsit, quod de accessione hac annua facere illum certiorem vellet. Est autem bipartita cohortatio : prior enim pars ad ea quæ rempub. attingunt, altera ad ea quæ privata et Quinti fere præcipua sunt, pertinet: nam in priore parte ea persequitur, quæ ad Quinti imperium ac provincialem administrationem spectant; de quibus quadripartite disputat. Primo igitur loco, de Quinto ipso præcepta dat : sed non ita quasi de Quinto ac cive romano; verum ut de amplissimo populi romani magistratu, Asiam provinciam cum summo imperio administrante. Altero loco, de iis comitibus præcipit, quos secum in provinciam imperii sui ministros, publicorumque negotiorum adjutores eduxerat. Postea de vitandis Græcorum et publicanorum nimiis familiaritatibus illum monet; utpote quibus imperii sui dignitas labefactari facile convellique possit. Postremo, etiam de servis cautionem adhibet, ejusque caput hoc esse voluit, ne quid iis, quod ad remp. ulla ex parte pertineat, committatur. Altera pars ea, ut ante dixi, quæ privata magis sunt, id est, quæ Quinti personam atque officium præcipue attingunt, complectitur. Nam primo loco, de moderanda acerbitate, qua usus in suppliciis antea fuerat, deque retinenda

in jure dicendo æquabilitate præcipit; secundo, de sublevandis provinciæ oneribus, minuendisque sumptibus et jacturis; tertio, de conciliandis cum publicanorum ordine sociis, constituendaque inter illos concordia; postremo, de coercenda iracundia et naturæ impetu moderando, ita luculenter, et prope divinitus disputat, ut hanc epistolam non Quinto fratri scripsisse, potius quam omnibus provinciarum gubernatoribus præclaram quamdam imperii recte administrandi normam ac regulam perscripsisse videatur. (Romæ, anno U. C. 693.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Etsi non dubitabam, quin hanc epistolam multi nuntii, fama[1] denique esset ipsa sua celeritate superatura, tuque ante ab aliis auditurus esses, annum tertium accessisse desiderio nostro, et labori tuo, tamen existimavi a me quoque tibi hujus molestiæ nuntium perferri oportere. Nam superioribus literis, non unis, sed pluribus, quum jam ab aliis desperata res esset, tamen ego tibi spem maturæ decessionis afferebam; non solum, ut quam diutissime te jucunda opinione oblectarem, sed etiam quia tanta adhibebatur et a nobis, et a prætoribus[2] contentio, ut rem posse confici non diffiderem. Nunc quoniam ita accidit, ut neque prætores suis opibus, neque nos nostro studio quidquam proficere possemus, est omnino difficile non graviter id ferre; sed tamen nostros animos maximis in rebus et gerendis, et sustinendis exercitatos, frangi et debilitari molestia non oportet. Et quoniam ea molestissime ferre homines debent, quæ ipsorum culpa contracta sunt, est quiddam in hac re mihi molestius ferendum, quam tibi. Factum est enim mea

1. *Fama.* Verbo *denique*, et Ciceronis in tali re consuetudine motus Ernest. putat post *nuntii* excidisse, « multorum literæ ». Frustra. J. V. L.

2. *A prætoribus.* Contendentibus obtinere provinciam Asiam. Jac. Facc.

culpa, contra quam tu mecum et proficiscens, et per literas egeras, ut prioré anno non succederetur. Quod ego, dum sociorum saluti consulo, dum impudentiæ nonnullorum negotiatorum[3] resisto, dum nostram gloriam tua virtute augeri expeto, feci non sapienter: præsertim quum id commiserim, ut ille alter annus etiam tertium posset adducere. Quod quoniam peccatum meum esse confiteor, est sapientiæ atque humanitatis tuæ curare et perficere, ut hoc minus sapienter a me provisum diligentia tua corrigatur.

Ac si te ipse vehementius ad omnes partes bene audiendi[4] excitaris, non ut cum aliis, sed ut tecum jam ipse certes; si omnem tuam mentem, curam, cogitationem, ad excellentem[5] omnibus in rebus laudis cupiditatem incitaris; mihi crede, unus annus additus labori tuo, multorum annorum lætitiam nobis, gloriam vero etiam posteris nostris afferet. Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas, aut[6] demittas animum, neve te obrui, tamquam fluctu, sic magnitudine negotii sinas, contraque erigas, ac resistas, sive etiam ultro occurras negotiis. Neque enim ejusmodi partem reipublicæ geris, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimum ratio possit, et diligentia. Quod si tibi, bellum aliquod magnum et periculosum administranti, prorogatum imperium viderem, tremerem animo, quod eodem tempore esse intelligerem etiam fortunæ potestatem in nos prorogatam. Nunc

3. *Negotiatorum.* Qui Romam questum venerant de Quinti acerbitate. Querelæ autem injustæ videbantur, si ille judicio senatus in imperio confirmaretur. Vide quoque ad Attic. VI, 1, 2, etc. Ed.

4. *Ad omnes partes bene audiendi excitaris.* Prosperæ famæ, nominis et existimationis.

5. Ernestius conjicit, *excellentis*. J. V. L.

6. *Ac demittas.* Ita Victorius. Alii, *aut demittas.* Malaspina primum illud tuetur.

vero ea pars tibi reipublicæ commissa est, in qua aut nullam, aut perexiguam partem fortuna tenet, et quæ mihi tota in tua virtute ac moderatione animi posita esse videatur. Nullas, ut opinor, insidias hostium, nullam prælii dimicationem, nullam defectionem sociorum, nullam inopiam stipendii aut rei frumentariæ, nullam seditionem exercitus pertimescimus: quæ persæpe sapientissimis viris acciderunt, ut, quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic illi fortunæ impetum superare non possent. Tibi data est summa pax, summa tranquillitas: ita tamen, ut ea dormientem gubernatorem vel[7] obruere, vigilantem etiam delectare possit. Constat enim ea provincia primum ex eo genere sociorum[8], quod est ex hominum omni genere humanissimum; deinde ex eo genere civium, qui aut, quod publicani sunt, nos summa necessitudine[9] attingunt; aut, quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio[10] se incolumes fortunas habere arbitrantur.

At enim inter hos ipsos exsistunt graves controversiæ, multæ nascuntur injuriæ, magnæ contentiones consequuntur. Quasi vero ego id putem, non te aliquantum negotii sustinere. Intelligo permagnum esse negotium, et maximi consilii. Sed memento, consilii me hoc negotium esse magis aliquanto, quam fortunæ, putare. Quid est enim negotii, continere eos, quibus præsis, si te ipse contineas? Id autem sit magnum et difficile ceteris, sicut est difficillimum; tibi et fuit hoc semper facillimum, et vero esse debuit:

7. Ernestius *vel* delendum putat. Male. J. V. L.

8. *Sociorum.* Id est, Græcorum.

9. *Necessitudine.* Ordo publicanorum, qui erat equitum romanorum flos, semper Ciceroni faverat, et ab eo vicissim omnibus in rebus defensus fuerat.

10. *Beneficio.* Quia nisi Cicero consul Catilinæ conjurationem exstinxisset, in negotiatorum fortunas impetus factus esset.

cujus natura talis est, ut etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse; ea autem adhibita doctrina est, quæ vel vitiosissimam naturam excolere[11] possit. Tu quum pecuniæ, quum voluptati, quum omnium rerum cupiditati resistes, ut facis; erit, credo, periculum, ne improbum negotiatorem, paullo cupidiorem publicanum comprimere non possis. Nam Græci quidem sic te ita viventem intuebuntur, ut quemdam ex annalium memoria, aut etiam de cælo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent.

Atque hæc nunc, non ut facias, sed ut te facere et fecisse gaudeas, scribo. Præclarum est enim summo cum imperio fuisse in Asia[12] triennium, sic ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cujusquam, nulla conditio pecuniæ (quibus rebus abundat ista provincia) ab summa integritate continentiaque deduxerit. Quid autem reperiri tam eximium, aut tam expetendum potest, quam istam virtutem, moderationem animi, temperantiam, non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asiæ, in oculis clarissimæ provinciæ, atque in auribus omnium gentium ac nationum esse positam? non itineribus tuis perterreri homines? non sumptu exhauriri? non adventu commoveri? esse, quocumque veneris, et publice, et privatim maximam lætitiam, quum urbs custodem, non tyrannum, domus hospitem, non expilatorem, recepisse videatur?

11. *Attollere*. Ita Gruterus ex MSS. Alii vero omnes, *excolere*.

12. *Asia*. Asiam minorem significat, quæ proprie *Asia* dicebatur, et provincia romana erat. Per hæc tempora comprehendebantur hoc nomine utraque Mysia, Lydia, Æolia, Ionia, Caria, Doris, et utraque Phrygia, sed non tota: nam majoris Phrygiæ pars (in qua oppida Laodicea, Apamea, Philomelum et Synnada) una cum Pisidia, et Lycaonia, bello Mithridatico, adjecta est Ciliciæ, quæ alia erat romana provincia.

His autem in rebus jam te usus ipse profecto erudivit, nequaquam satis esse, ipsum hasce habere virtutes, sed esse circumspiciendum diligenter, ut in hac custodia provinciæ non te unum, sed omnes ministros imperii tui, sociis, et civibus, et reipublicæ præstare[13] videare. Quamquam legatos[14] habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suæ: de quibus honore, et dignitate, et ætate præstat Tubero, quem ego arbitror, præsertim quum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos velit et possit imitari; Allienus[15] autem noster est[16], quum animo et benivolentia, tum vero etiam imitatione vivendi. Nam quid ego de Gratidio[17] dicam? quem certo scio ita laborare de existimatione sua, ut, propter amorem in nos fraternum, etiam de nostra laboret. Quæstorem[18] habes, non tuo judicio delectum[19], sed eum, quem sors dedit. Hunc oportet et sua sponte esse moderatum, et tuis institutis ac præceptis obtemperare. Quorum si quis forte esset sordidior, ferres eatenus[20], quoad per se negligeret eas leges, quibus esset[21] adstrictus; non ut ea pote-

13. *Præstare*. Verbum est juris. *Præstare aliquem* est prædem esse pro aliquo, et periculum, quod ex eo timetur, in se recipere. HOTOM.

14. *Legatos*. Legatos Romani appellabant (ut scribit Appianus, lib. I, Bell. Civ. et alii), quos provinciarum rectoribus addebant, ut iis auxilio essent, eorumque locum tenerent, ubi opus videretur. Fere dabantur a senatu; interdum tamen a prætoribus ipsis, permittente senatu, adsciscebantur.

15. *Halienus*. F. Ursinus hic malebat *Allienus*, ut et Tusculan. IV, 22. — *Halienus*. Edit. Jenson. habet *Anienus*, quod ex *Allienus* manifesto factum est. Ernestius. J. V. L.

16. Abest *est*. J. V. L.

17. *De Gratidio*. Hunc J.V. L. putat cognatum vel affinem Ciceronis fuisse. Constat ex orat. pro Flacco, cap. 21, legatum Quinti fuisse. ED.

18. *Quæstorem*. Prætores non eligebant, sed sortiebantur sibi quæstores suos; ideoque filiorum loco habebant tamquam a diis datos.

19. Al. ut passim, *dilectum*. J.V. L.

20. *Ferres eatenus*. Modo non abutantur auctoritate tua ad quæstum, sine eos abuti sua. Istiusmodi enim ministri non sine spe ingentis lucri patriam relinquunt, et in provincias eunt.

21. Al. *est*. J. V. L.

state, quam tu ad dignitatem permisisses, ad quæstum uteretur. Neque enim mihi sane placet, præsertim quum hi[22] mores tantum jam[23] ad nimiam lenitatem et ad[24] ambitionem incubuerint, scrutari te omnes sordes, excutere unumquemque eorum; sed, quanta sit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos, eos, quos tibi comites et adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa respublica, duntaxat finibus his præstabis, quos ante præscripsi. Quos vero aut ex domesticis convictionibus[25], aut ex necessariis apparitionibus[26] tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt. Sed habes eos tecum, quos possis recte facientes facile diligere; minus consulentes existimationi tuæ, facillime coercere : a quibus, rudis quum esses, videtur potuisse tua liberalitas decipi; nam ut quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur : nunc vero tertius hic annus habeat integritatem eamdem, quam superiores, cautionem[27] etiam diligentiorem. Sint aures tuæ, quæ id, quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte et simulate quæstus causa insusurretur. Sit annulus tuus[28] non

22. *Hi*. Al. *ii*. J. V. L.

23. *Tantum jam*. J. F. Gronovius emendabat, « tantum non ad nimiam, etc. » Facciolatus, « mores sint, ut jam ad, etc. »

24. Abest *ad*. J. V. L.

25. *Convictionibus*. Manut. et Lamb. « convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus ». Cicer. filius eadem voce, *convictio*, utitur ad Divers. lib. XVI, epist. 21.

26. *Apparitionibus*. Apparitoria nomen generale, quo comprehenduntur omnes, qui magistratui alicui apparere solent, eique imperanti præsto esse, ut accensi, viatores, lictores, interpretes, scribæ, præcones.

27. *Cautiorem*. Alii legunt *cautionem*, extrusa particula *ac*.

28. *Annulus tuus*. Hoc est, *annulus tuus* signatorius *non sit ut vas* aliquod quo uti alii possint et abuti : *sed tamquam ipse tu*. Tam certum sit, id velle te ac sentire, quod tuo est obsignatum annulo, quam si tu ipse verbia ac voce coram ediceres. Ita fere Turnebus, qui et aliud (Adversar. XXVII, 1) proponit, quo non ita delector. Oliv.

ut vas[29] aliquod, sed tamquam ipse tu; non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ. Accensus[30] sit eo numero, quo eum majores nostri esse voluerunt: qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant; quibus illi quidem non multo secus, ac servis, imperabant. Sit lictor[31] non suæ[32], sed tuæ lenitatis[33] apparitor; majoraque præferant fasces illi ac secures dignitatis insignia, quam potestatis. Toti denique sit provinciæ cognitum, tibi omnium, quibus præsis, salutem, liberos, famam, fortunas esse carissimas. Denique hæc opinio sit, non modo iis, qui aliquid acceperint, sed iis etiam, qui dederint, te inimicum (si id cognoveris) futurum. Neque vero quisquam dabit, quum erit hoc perspectum, nihil per eos, qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari. Nec tamen est hæc oratio mea hujusmodi, ut te in tuos aut durum esse nimium, aut suspiciosum velim: nam si quis est eorum, qui tibi biennii spatio numquam in suspicionem avaritiæ venerit (ut ego Cæsium, et Chærippum, et Labeonem et audio, et, quia cognovi, existimo), nihil est, quod non et iis, et si quis est alius ejusdemmodi, et committi, et credi rectissime putem. Sed si quis est, in quo jam offenderis, de quo

29. Multi corr. *vas aliquis*. Malc. Quod jam Ernest. viderat. J. V. L.

30. *Accensus*. Accensi fuere ministri eorum magistratuum, qui vocationis jus habebant, non solum in Urbe, sed etiam in provinciis. Eos Varro dictos fuisse ab *acciendo* scribit in lib. V de L. L. Nam illorum officium erat vocare ad concionem, ad jus, ad delectum, etc. Eorum item silentium indicere, ubi opus esset, coram magistratu.

31. *Lictor*. Lictores lenius agere jussi, lenitatis meritum sibi adsciscunt, ut hinc aliquid lucrifaciant. Prætori in provincia apparebant, quemadmodum in Urbe, præeuntes cum fascibus et securibus. Eorum erat submovere obvios, damnatosque virgis cædere, ac securi percutere.

32. Al. *non suæ sævitiæ*. J. V. L.

33. *Lenitatis*. Mere dixit pro *severitatis*. Et est sensus: Adhibeat eam severitatem, non quæ ipsi, sed quæ tibi videbitur. Hutom.

aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris.

In provincia vero ipsa si quem[34] es nactus, qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis ante fuerit ignotus, huic quantum credendum sit, vide: non quin possint multi esse provinciales[35] viri boni; sed hoc sperare licet, judicare periculosum est. Multis enim simulationum involucris tegitur, et quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura: frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio vero sæpissime. Quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant[36] his rebus omnibus, a quibus nos divulsi esse non possumus, te autem, alienum hominem, ament ex animo, ac non sui commodi causa simulent? Mihi quidem permagnum videtur; præsertim si iidem homines privatum non fere quemquam, prætores semper omnes amant. Quo ex genere si quem forte tui cognosti amantiorem (fieri enim potuit), quam temporis[37], hunc vero ad tuum numerum[38] libenter adscribito: sin autem id non perspicies, nullum erit genus in familiaritate cavendum magis; propterea quod et omnes vias pecuniæ norunt, et omnia pecuniæ causa faciunt, et, quicum victuri non sunt, ejus existimationi consulere non curant. Atque etiam e Græcis ipsis diligenter cavendæ sunt quædam familiaritates, præter hominum perpaucorum, si qui sunt

34. *Si quem.* Civem romanum, negotiandi causa in provincia degentem.

35. *Provinciales.* Id est, romani cives, qui negotiorum suorum causa in provincia sedem posuerunt.

36. *Careant.* Urbe Roma, et tantis his bonis, quibus nos carere non possumus, nisi ægro animo et ad breve tempus.

37. *Tui... quam temporis.* Qui te plus amet, quatenus Cicero es, quam quatenus prætor.

38. Ursinus e libro Longolii, « ad tuorum numerum ». J. V. L.

vetere Græcia digni. Sic vero [39] fallaces sunt permulti, et leves, et diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi. Quos ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio amicitiaque conjungi dico oportere: nimiæ familiaritates eorum neque tam fideles sunt (non enim audent adversari nostris voluntatibus), et vero invident [40] non nostris solum, verum etiam suis.

Jam qui in ejusmodi rebus, in quibus vereor etiam, ne durior sim, cautus esse velim, ac diligens; quo me animo in servos esse censes? quos quidem quum omnibus in locis, tum præcipue in provinciis regere debemus : quo de genere multa præcipi possunt. Sed hoc et brevissimum est, et facillime teneri potest, ut ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, ut si iter Appia via [41] faceres [42]; neve interesse quidquam putent, utrum Tralles [43] an Formias venerint. At, si quis est ex servis egregie fidelis, sit in domesticis rebus, et privatis; quæ res ad officium imperii tui, atque ad aliquam partem reipublicæ pertinebunt, de his rebus ne quid attingat. Multa enim, quæ recte committi servis fidelibus possunt, tamen, sermonis et vituperationis vitandæ causa, committenda non sunt.

Sed nescio quo pacto ad præcipiendi rationem delapsa est oratio mea, quum id mihi propositum initio non fuisset. Quid enim ei præcipiam, quem ego in

39. Schütz. rescripsit « Nunc vero ». Male; nam « sic vero » valet « ut nunc vero sunt ». J. V. L.

40. *Et vero invident.* Non possunt esse fideles, quia nobis invident: sicut invident etiam suis, qua parte præstant. Quidam extrudunt particulam *vero*; sed retineri debet, quia respondet superiori particulæ *neque*.

41. *Appia via.* Id est, sub ipsis Romæ oculis. Erat autem Appia via inter Romam et Capuam, ab Appio Claudio strata.

42. *Faceres.* Ernest. correxerat *facias*. J. V. L.

43. *Utrum Tralles an Formias venerint. Tralles.* Urbs Lydiæ. *Formiæ.* Urbs novi Latii ad mare.

hoc præsertim genere intelligam prudentia non esse inferiorem, quam me; usu vero etiam superiorem? Sed tamen si ad ea, quæ faceres, auctoritas accederet mea, tibi ipsi illa putavi fore jucundiora. Quare sint hæc fundamenta dignitatis tuæ: tua primum integritas et continentia; deinde omnium, qui tecum sunt, pudor; delectus in familiaribus, et provincialium hominum, et Græcorum, percautus et diligens; familiæ gravis et constans disciplina. Quæ quum honesta sint in his privatis nostris quotidianisque rationibus; in tanto imperio, tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia, divina videantur necesse est. Hæc institutio atque hæc disciplina potest sustinere in rebus statuendis et decernendis eam severitatem, qua tu in iis rebus usus es, ex quibus nonnullas simultates[44] cum magna mea lætitia susceptas habemus. Nisi forte me Paconii nescio cujus, hominis ne Græci quidem, at Mysi[45], aut Phrygis potius, querelis moveri putas; aut Tuscenii, hominis furiosi ac sordidi, vocibus, cujus tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum æquitate.

Hæc, et cetera plena severitatis, quæ statuisti in ista provincia, non facile sine summa integritate sustineremus. Quare sit summa in jure dicundo severitas, dummodo ea ne varietur gratia, sed conservetur æquabilis. Sed tamen parvi refert abs te ipso jus dici æquabiliter et diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem videtur non sane magna varietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota jurisdictione

44. *Simultates.* Quia Quintus nimia quadam acerbitate multorum in se odia commoverat: qua de causa parum secunda fama eum laborasse, scribit Suetonius in Augusto, cap. 3.

45. *At Mysi.* Vulg. *at Mysii.* Sed nos sequimur morem Ciceronianum. J. V. L.

maxime sustineri[46]. In qua scientiæ præsertim provincialis[47] ratio ipsa expedita est : constantia est adhibenda, et gravitas, quæ resistat non solum gratiæ, verum etiam suspicioni. Adjungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando[48] diligentia. His rebus nuper C. Octavius[49] jucundissimus fuit : apud quem primus[50] lictor quievit; tacuit accensus[51]; quoties quisque voluit, dixit, et quam voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi hæc lenitas illam severitatem tueretur. Cogebantur Sullani homines[52], quæ per vim et metum abstulerant, reddere. Qui in magistratibus injuriose decreverant, eodem ipsis privatis erat jure parendum. Hæc illius severitas acerba videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quod si hæc lenitas grata Romæ est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magistratus, tot auxilia[53], tanta[54] vis,

46. *Sustineri.* Totum hoc, quidquid est oneris, jurisdictionis est. MAN.— *Sustineri.* Quidam malunt *contineri.* J. V. L.

47. *Scientiæ provincialis.* Facile erat jus dicere in provincia, in qua neque tam multæ leges, neque tanta formularum quasi superstitio.

48. *In satisfaciendo ac disputando.* Licebat prætorum decretis interdum disputando resistere. Eorum autem erat resistentibus satisfacere. Habes exemplum rei hujus in oratione pro Quintio, cap. 8.

49. *Cn. Octavius.* Pater Augusti, qui Macedoniam provinciam magna cum laude administravit. Vide Suetonium initio vitæ Augusti. — *Cn.* Sed habet *C.* ed. Jenson. Recte. J. V. L.

50. *Primus lictor.* Primi lictoris erat turbam arcere a tribunali, in itinere submovere obvios, etc. Alii legunt *primum*, quasi dicat, lictores primum quiescere cœpisse apud Octavium.

51. *Tacuit accensus.* Noluit cuiquam silentium imperari; quod munus erat accensi.

52. *Sullani homines.* Qui Sullanæ factionis auxilio in aliorum bona irrepserant.

53. *Tot auxilia.* Scilicet magistratus magistratui intercedebat, et ab uno ad alium auxilii causa pergebatur.

54. *Tanta vis.* Hoc videtur referendum ad populi vim, quæ concionibus ciebatur. Apparet ex iis, quæ sequuntur. — Sch. maluit « tanta vis populi », Ernestio auctore : sed is *populi* uncis includit. Nihil addendum

tanta senatus auctoritas; quam jucunda tandem prætoris comitas in Asia potest esse, in qua tanta multitudo civium, tanta sociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis nutum intuentur? ubi nullum auxilium [55] est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio [56]? Quare quum permagni hominis est, et quum ipsa natura moderati, tum vero etiam doctrina atque optimarum artium studiis eruditi, sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis, quibus ipse præsit, desideretur.

Cyrus ille [57] a Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii; cujus summa gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate conjungitur (quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim prætermissum in iis officium diligentis et moderati imperii): eaque si sic coluit ille, qui privatus futurus numquam fuit; quonam modo retinenda sunt iis, quibus imperium ita datum est, ut redderent, et ab iis legibus datum est, ad quas revertendum est? Ac mihi quidem videntur huc omnia esse referenda iis, qui præsunt aliis, ut ii, qui erunt eorum in imperio, sint quam beatissimi: quod tibi

est. Male Olivetus de violentia multitudinis interpretatur. Ed.

55. *Nullum auxilium*. Hinc apparet prætores in provincia summa cum potestate fuisse, a qua nulla esset provocatio.

56. *Nulla concio*. Hoc nomine populi auxilia significantur, quæ per conciones eliciebantur.

57. *Cyrus ille*. Videtur ex hoc loco effluxisse particula *ut*. Nam quum prius dixisset, « permagni hominis est », recte infertur, « ut Cyrus ille, etc. » Et facile, propter proximam syllabam *tur*, elidi potuit. Hotom. — Tota hæc constructio laborat inconsequentia, quod Græci ἀνακόλουθον dicunt. Fit hoc impetu scribendi, et incuria quadam magni ingenii, nihil sibi metuentis. Sunt alibi alia generis hujus et apud Ciceronem, et apud alios, tum latinos, tum græcos scriptores. Facciol. — De Cyropæd. vid. Platon. de Legib. III, 12, et dissertationes vir. doct. *Fraguier*, *Banier*, *Freret*, *Mémoires de l'Académie des*

et esse antiquissimum [58], et ab initio fuisse, ut primum Asiam attigisti, constante fama atque omnium sermone celebratum est. Est autem non modo ejus, qui sociis et civibus, sed etiam ejus, qui servis, qui mutis pecudibus præsit, eorum, quibus præsit, commodis utilitatique servire. Cujus quidem generis constare inter omnes video abs te summam adhiberi diligentiam; nullum æs alienum novum contrahi civitatibus; vetere autem magno et gravi multas abs te esse liberatas; urbes [59] complures, dirutas ac pæne desertas (in quibus unam Ioniæ nobilissimam, alteram Cariæ, Samum et Halicarnassum), per te esse recreatas; nullas esse in oppidis seditiones, nullas discordias; provideri abs te, ut civitates optimatium consiliis administrentur; sublata Mysiæ latrocinia; cædes multis locis repressas; pacem tota provincia constitutam; neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura et majora oppidorum et fanorum furta et latrocinia esse depulsa; remotam a fama, et a fortunis, et ab otio locupletum, illam acerbissimam ministram prætorum avaritiæ, calumniam [60]; sumptus et tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fines incolant, tolerari æquabiliter; facillimos esse aditus ad te; patere aures tuas querelis omnium; nullius inopiam ac solitudinem, non modum illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem et cubiculo esse exclusam; tuo toto denique imperio nihil

Belles-lettres. Ed. — Lambin. legit, « Si Cyrus ille », ne oratio sit ἀνακόλουθος. J. V. L.

58. *Quod tibi et esse antiquissimum*. Alii, « quod tibi esse et antiquissimum ». J. V. L.

59. *Urbes complures*. In omnibus editionibus (præter Manutianam) vox *urbes* addicitur superiori membro, ut sit « liberatas urbes »: sed error irrepsit non reputantibus, in quo differat *urbs* a *civitate*.

60. *Calumniam*. Subornabantur enim ab avaris prætoribus calumniatores, nempe ut locupletes spoliarent ipsi: ut de Verre legimus lib. II, ubi

acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis.

Quantum vero illud est beneficium tuum, quod iniquo et gravi vectigali ædilitiorum[61], magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti ? Enimvero, si unus homo nobilis queritur palam, te, quod edixeris, NE AD LUDOS PECUNIÆ DECERNERENTUR, H-S cc sibi eripuisse; quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine, quicumque Romæ ludos facerent, quod erat jam institutum, erogaretur ? Quamquam has querelas hominum nostrorum illo consilio oppressimus, quod in Asia nescio quonam modo[62], Romæ quidem non mediocri cum admiratione laudatur, quod, quum ad templum monumentumque[63] nostrum civitates pecunias decrevissent; quumque id et pro meis magnis meritis, et pro tuis maximis beneficiis, summa sua voluntate fecissent; nominatimque lex exciperet[64], UT AD TEMPLUM MONUMENTUMQUE CAPERE LICERET; quumque id, quod dabatur, non esset interiturum, sed in ornamentis templi futurum, ut non mihi potius, quam populo romano, ac diis immortalibus datum videretur : tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas, accipiendum non putavi; quum aliis de causis, tum

de Heraclio, Epicrate, Sostrato, etc. HOTOM.

61. *Ædilitiorum.* Id est, munerum ædilitiorum. Ædiles enim ludorum nomine pecuniam a provinciis exigebant. — Hotomann. corrigit « ædilitio ». Forte rectius. J. V. L.

62. Ernest. edidit « quo modo ».

63. *Ad templum monumentumque.* Civitates Asiæ pecunias decreverant, quibus templum construeretur, in eoque monumentum Marco Ciceroni poneretur. — Mos Græcis et Romanis fuit. De Legg. II, 11. De Nat. Deor. II, 23 : « Sacra ipsi Verri facta sunt, quam infamiam Siculi præclare expiaverunt ». ED.

64. *Lex exciperet.* Lex de repetundis vetabat, ne pecuniæ in provincia caperentur, nisi nominibus illis, quæ in lege ipsa excipiebantur. — Vide Mongaltii dissertationem de honoribus provinciarum rectoribus habitis, *Mémoires de l'Académie des Insc.* ED.

etiam ut animo æquiore ferrent ii, quibus nec deberetur[65], nec liceret.

Quapropter incumbe toto animo et studio omni in eam rationem, qua adhuc usus es, ut eos, quos tuæ fidei potestatique senatus populusque romanus commisit et credidit, diligas et omni ratione tueare, ut[66] esse quam beatissimos velis. Quod si te sors Afris, aut Hispanis, aut Gallis præfecisset, immanibus ac barbaris nationibus : tamen esset humanitatis tuæ, consulere eorum commodis, et utilitati salutique servire. Quum vero ei generi hominum præsimus, non modo in quo ipsa sit, sed etiam a quo ad alios pervenisse putetur humanitas : certe iis eam potissimum tribuere debemus, a quibus accepimus. Non enim me hoc jam dicere pudebit, præsertim in ea vita, atque iis rebus gestis, in quibus non potest residere inertiæ aut levitatis ulla suspicio, nos ea, quæ consequuti sumus, his studiis et artibus esse adeptos, quæ sint nobis Græciæ monumentis disciplinisque tradita. Quare præter communem fidem, quæ omnibus debetur, præterea[67] nos isti hominum generi præcipue debere videmur, ut, quorum præceptis simus[68] eruditi, apud eos ipsos, quod ab iis didicerimus, velimus expromere.

Atque ille quidem princeps ingenii et doctrinæ Plato, tum denique fore beatas respublicas putavit, si aut docti ac sapientes homines eas regere cœpissent, aut ii, qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent[69]. Hanc conjun-

65. *Quibus nec deberetur*. Ædiles, qui pecunias petebant ad ludos.

66. *Ut*. Ita vulgati ad unum omnes. Sed emendat Facciol. « et esse, quam beatissimos, etc. »

67. Hoc verbum frigide redundat, delendumque puto. Ernest.

68. *Præceptis simus*. Alii, « præceptis sumus ». J. V. L.

69. *Collocassent*. Hoc celeberrimum

ctionem videlicet potestatis ac sapientiæ, saluti censuit civitatibus esse posse : quod fortasse aliquando universæ reipublicæ nostræ, nunc quidem profecto isti provinciæ contigit, ut is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in virtute atque humanitate percipienda plurimum a pueritia studii fuisset, et temporis. Quare cura, ut hic annus, qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiæ prorogatus esse videatur. Quoniam in te retinendo fuit Asia felicior, quam nos in deducendo, perfice, ut lætitia provinciæ desiderium nostrum leniatur. Etenim si in promerendo, ut tibi tanti honores [70] haberentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus; multo majorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Et quidem de isto genere honorum quid sentirem, scripsi ad te ante : semper eos putavi, si vulgares essent, viles; si temporis causa constituerentur, leves; si vero (id quod ita factum est) meritis tuis tribuerentur, existimabam multam tibi in his honoribus tuendis [71] operam esse ponendam. Quare, quoniam in istis urbibus cum summo imperio et potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas et in deorum numero collocatas vides; in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te judiciis, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem

axioma est in Republ. V, 18 : quod frustra impugnaverunt recentiores quidam. Legitur et a Valer. Maxim. VII, 2, extr. 4; Alcinoo, cap. 27; Musonio apud Stobæum, orat. 46; Themistio, orat. 2 et 8; Justino martyre, Apolog. I, 3; Gregorio Nazianz. epist. 140; Lactantio, Institut. Divin. III, 21. Julius Capitolinus, cap. 27, refert Marcum Aurelium hanc sententiam semper in ore habuisse. Ed. — Ernest. « collocarent ».

70. *Tanti honores.* Positis aris ac templis, ut in more provinciarum fuit, virtutibus Quinti, justitiæ, clementiæ, fidei, etc.

71. *Tuendis.* Is tuetur honores suos, qui digna facit suis honoribus.

erit ejusmodi, ut consulas omnibus, ut medeare incommodis hominum, provideas saluti, ut te parentem Asiæ et dici, et haberi velis.

Atque huic tuæ voluntati ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt publicani[72]. Quibus si adversamur, ordinem de nobis optime meritum[73], et per nos cum republica conjunctum, et a nobis, et a republica dijungemus[74]. Sin autem omnibus in rebus obsequemur, funditus eos perire patiemur, quorum non modo saluti, sed etiam commodis consulere debemus. Hæc est una (si vere cogitare volumus) in toto imperio tuo difficultas. Nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coercere, juris æquabilem tenere rationem; facilem te[75] in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque præbere; præclarum magis est, quam difficile. Non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi atque voluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis[76] Italiæ tollendis, non tam de portorio, quam de nonnullis injuriis portitorum querebantur. Quare non ignoro, quid sociis accidat in ultimis terris, quum audierim in Italia querelas civium. Hic te ita versari, ut et publicanis satisfacias, præsertim publicis male redemptis[77], et socios perire non sinas, divinæ cujusdam virtutis esse

72. *Publicani.* Quibus morem gerere difficile erat, simulque sociorum jura tueri, eorumque voluntates sibi conciliare.

73. *Optime meritum.* Publicani magnam operam Ciceroni navaverant in exstinguenda Catilinæ conjuratione; eique mutuorum beneficiorum causa conjunctissimi erant.

74. Alii, « disjungemus ».

75. *Te.* Facciolatus edidit *se*, propter vocem *suos*, quæ præcedit.

76. *Portoriis.* Q. Metellus Nepos, quum prætor esset, portoria Italiæ, lege lata, sustulerat : qua de re vide Dionem. De his ipsis portoriis sublatis scribit Cicero lib. II ad Att. ep. 16.

77. *Male redemptis.* Quia publicani

videtur, id est, tuæ[78]. Ac primum Græcis, id quod acerbissimum est, quod sunt vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quod sine imperio populi romani, suis institutis[79], per se ipsi ita fuerunt. Nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano[80] non potuerunt, quod iis æqualiter[81] Sulla descripserat. Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quam nostros publicanos, hinc intelligi potest, quod Caunii[82] nuper, omnesque ex insulis, quæ erant ab Sulla Rhodiis attributæ[83], confugerunt ad senatum, nobis ut potius vectigal, quam Rhodiis penderent. Quare nomen publicani neque ii debent horrere, qui semper vectigales fuerunt; neque ii aspernari, qui per se pendere vectigal non potuerunt; neque ii recusare, qui postulaverunt. Simul et illud Asia cogitet, nullam a se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem abfuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur : id autem imperium quum retineri sine vectigalibus nullo modo possit, æquo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atque otium.

Quod si genus ipsum et nomen publicani non iniquo animo sustinebunt; poterunt iis, consilio et pru-

nimis magno pretio publica vectigalia redemerant, socios enecabant, acerbius exigendo.

78. Schütz. delevit, « id est, tuæ », quasi e glossa fluxerit. Factum contra Ciceronis sententiam. J. V. L.

79. *Suis institutis.* Græcia, quum libera esset, suis populis vectigalia describebat.

80. *Sine publicano.* Ipsæ enim per se civitates non facile ad colligendum vectigal adducuntur, nisi sit, qui præcipuam hujus muneris curam gerat, et suo periculo e sociis exigat. Quod facit publicanus. MAN.

81. *Æqualiter.* Quo facilius sine publicano exigi videbatur posse.

82. *Caunii.* Populi Cariæ. Caunus autem portus erat ad Rhodium mare in Lyciæ confinio.

83. *Rhodiis attributæ.* Sulla decreverat, ut Caunii, et vicinæ insulæ vectigalia inferrent in ærarium Rhodiorum.

dentia tua, reliqua videri mitiora. Possunt in pactionibus[84] faciendis non legem[85] spectare censoriam, sed potius commoditatem[86] conficiendi negotii, et liberationem molestiæ. Potes etiam tu id facere, quod et fecisti egregie, et facis, ut commemores, quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, ut remoto imperio, ac vi potestatis et fascium, publicanos cum Græcis gratia atque auctoritate conjungas. Sed et ab iis, de quibus optime tu meritus es, et qui tibi omnia debent, hoc[87] petas, ut facilitate sua, nos eam necessitudinem, quæ est nobis cum publicanis, obtinere et conservare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu non modo facere potes tua sponte sine cujusquam præceptis, sed etiam magna jam ex parte perfecisti? Non enim desistunt nobis agere quotidie gratias honestissimæ et maximæ societates[88]: quod quidem mihi idcirco jucundius est, quod idem faciunt Græci. Difficile est autem, ea, quæ commodis, utilitate, et prope natura diversa sunt, voluntate conjungere. At ea quidem, quæ supra scripta sunt, non ut te instituerem, scripsi (neque enim prudentia tua cujusquam præcepta desiderat), sed me in scribendo commemoratio tuæ virtutis delectavit: quamquam in his literis longior fui, quam aut vellem, aut quam me putavi fore.

Unum est, quod tibi ego præcipere non desinam,

84. *In pactionibus.* Paciscebantur publicani cum provincialibus de modo, de re, de tempore, etc.—De his pactionibus vide in Verr. III, 14. En.

85. *Legem censoriam.* Vectigalium ocandorum cura penes censores erat, qui certas conditiones conductoribus dicebant, ne nimia acerbitate et avaritia socios perderent.

86. *Commoditatem.* Ut res exitum inveniat, quædam remitti in pactionibus debent.

87. *Hoc petas.* Ut tibi in re hac gratificentur, id est, ut pactionum difficultates removeant, et negotium expediant.

88. *Et maximæ societates.* Publicanorum.

neque te patiar (quantum in me erit) cum exceptione laudari. Omnes enim, qui istinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis summis laudibus excipiant unam iracundiam. Quod vitium quum in hac privata quotidianaque vita levis esse animi atque infirmi videtur; tum vero nihil est tam deforme, quam ad summum imperium etiam acerbitatem naturæ adjungere. Quare illud non suscipiam, ut, quæ de iracundia dici solent a doctissimis hominibus, ea tibi nunc exponam, quum et nimis longus esse nolim, et ex multorum scriptis ea facile possis cognoscere: quod[89] est epistolæ proprium, ut is, ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat, prætermittendum esse non puto.

Sic ad nos omnes fere deferunt, nihil, quum absit iracundia, te fieri posse jucundius; sed quum te alicujus improbitas perversitasque commoverit, sic te animo incitari, ut ab omnibus tua desideretur humanitas. Quare, quoniam in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quam res ipsa ac fortuna deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit; caveamus, quantum efficere et consequi possumus, ut ne quod in nobis insigne vitium fuisse dicatur. Neque ego nunc hoc contendo, quod fortasse quum in omni natura, tum jam in nostra ætate difficile est, mutare animum, et si quid est penitus insitum moribus, id subito evellere: sed te illud admoneo, ut, si hoc plane vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit, ne occuparetur, ut te[90] ante compares, quotidieque meditere, resistendum esse

89. *Quod est.* Alii, «illud, quod».

90. *Ut te ante.* Particula *ut* redundat: quod eleganter fieri solet, quoties multa interponuntur.

iracundiæ; quumque ea maxime animum moveat, tum tibi esse diligentissime linguam continendam: quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quam omnino non irasci. Nam illud non solum est gravitatis, sed nonnumquam etiam lentitudinis[91]; moderari vero et animo, et orationi, quum sis iratus, aut etiam tacere, et tenere in sua potestate motum animi et dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris ingenii. Atque in hoc genere multo te esse jam commodiorem mitioremque nuntiant. Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ contumeliæ perferuntur: quæ quum abhorrent a literis, ab humanitate, tum vero contraria sunt imperio ac dignitati. Nam si implacabiles iracundiæ sint, summa est acerbitas; sin autem exorabiles, summa levitas: quæ tamen (ut in malis) acerbitati anteponenda est.

Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, credo propterea, quod tibi hominum injuriæ, quod avaritiæ, quod insolentia præter opinionem accidebat, et intolerabilis videbatur; secundus autem multo lenior, quod et consuetudo, et ratio, et (ut ego arbitror) meæ quoque literæ te patientiorem lenioremque fecerunt: tertius annus ita esse debet emendatus, ut ne minimam quidem rem quisquam possit ullam reprehendere. Ac jam hoc loco non hortatione, neque præceptis, sed precibus tecum fraternis ago; totum ut animum, curam, cogitationemque tuam ponas in omnium laude undique colligenda. Quod si in mediocri statu sermonis ac prædicationis nostræ res essent; nihil abs te eximium, nihil præter aliorum consuetudinem po-

91. *Lentitudinis*. Vide Tusc. IV, 19.

stularetur. Nunc vero, propter earum rerum, in quibus versati sumus, splendorem et magnitudinem, nisi summam laudem ex ista provincia assequimur, vix videmur summam vituperationem posse vitare. Ea nostra ratio est, ut omnes boni quum faveant, tum etiam a nobis omnem diligentiam virtutemque et postulent, et exspectent; omnes autem improbi (quod cum iis bellum suscepimus sempiternum) vel minima re ad reprehendendum contenti esse videantur. Quare, quoniam ejusmodi theatrum tuis virtutibus[92] est datum, celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, judicio eruditissimum, natura autem ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur; contende, quæso, atque elabora, non modo ut his rebus dignus fuisse, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse videare.

Et quoniam mihi casus urbanam in magistratibus administrationem reipublicæ, tibi provincialem dedit; etsi[93] mea pars nemini cedit, fac, ut tua ceteros vincat. Simul et illud cogita, nos non de reliqua et sperata gloria jam laborare, sed de parta dimicare: quæ quidem non tam expetenda nobis fuit, quam tuenda est. Ac si mihi quidquam esset abs te separatum, nihil amplius desiderarem hoc statu, qui mihi jam partus est. Nunc vero res sic sese habet, ut, nisi omnia tua facta atque dicta nostris rebus istinc respondeant, ego me meis tantis laboribus, tantisque periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil conse-

92. *Theatrum tuis virtutibus est datum*. Magna est loci hujus varietas et perturbatio; quod librarius quidam pro *tuis* reposuerit *totius*; alius addiderit *Asiæ*; alius aliter verba inverterit. Ego sequutus sum, quæ probavit Manutius (et Lambinus edidit).— Sic Lambin. Lallem. al. Sunt qui legant, « ejusmodi theatrum totius Asiæ virtutibus est datum », vel, ut Ernest. « ejusmodi theatrum est totius Asiæ, cel. ref. » J. V. L.

93. *Etsi mea pars*, etc. Multis et delendum videtur.

quutum putem. Quod si, ut amplissimum nomen consequeremur, unus præter ceteros adjuvisti; certe idem, ut id retineamus, præter ceteros elaborabis. Non est tibi solis utendum existimationibus ac judiciis, qui nunc sunt, hominum, sed iis etiam, qui futuri sunt: quamquam illorum erit verius judicium, obtrectatione et malivolentia liberatum. Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi soli gloriam quærere: quod si esset, tamen non negligeres, præsertim quum amplissimis monumentis [94] consecrare voluisses memoriam nominis tui: sed ea tibi est communicanda mecum, prodenda liberis nostris. In qua [95] cavendum est, ne, si negligentior fueris, non solum tibi parum consuluisse, sed etiam tuis invidisse videaris.

Atque hæc non eo dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitasse, sed potius ut currentem incitasse videatur. Facies enim perpetuo, quæ fecisti, ut omnes æquitatem tuam, temperantiam, severitatem, integritatemque laudent. Sed me quædam tenet, propter singularem amorem, infinita in te aviditas gloriæ: quamquam illud existimo, quum jam tibi Asia, sicut unicuique sua domus, nota esse debeat, quum ad tuam summam prudentiam tantus usus accesserit, nihil esse, quod ad laudem attineat, quod non tu optime perspicias, et tibi non, sine cujusquam hortatione, in mentem veniat quotidie. Sed ego, qui, quum tua lego, te audire, et qui, quum ad te scribo, tecum loqui videor, idcirco et tua longissima quaque epistola maxime delector, et ipse in scribendo sæpe sum lon-

94. *Monumentis.* Refertur hoc ad honores, quorum meminit in cap. 10. Manutius putat referri ad annales a Quinto scriptos.

95. *In qua cavendum est*, etc. Scilicet in memoria nominis nostri. *In quo* rectius visum Lallem. Ernest. al. J. V. L.

gior. Illud te ad extremum et oro, et hortor, ut tamquam poetæ boni et actores industrii solent, sic tu in extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tamquam tertius actus[96], perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur. Id facillime facies, si me (cui semper uni magis, quam universis, placere voluisti) tecum semper esse putabis, et omnibus iis rebus, quas dices ac facies, interesse. Reliquum est, ut te orem, ut valitudini tuæ, si me et tuos omnes valere vis, diligentissime servias.

96. *Tertius actus.* Hinc apparet, aliquando tribus actibus fabulas fuisse conclusas; quamvis scribat Horatius in epist. ad Pisones, vs. 149: «Neve minor quinto, etc.» Ceterum hujus loci comparatio non cadit in numerum, sed in finem et conclusionem. — Repetita est de Senect. cap. 2. Ed.

EPISTOLA II.

De Statii liberti nimis apud Quintum gratiosi adventu, et hominum de eo sermonibus; de græcorum provincialium adversus eum querelis, suoque eos placandi studio; de romanis negotiatoribus Quinto iratis; se nihil in Quinto nisi orationis acerbitatem, iracundiam et literarum ad alios scriptarum indiligentiam reprehendisse. Itaque ut ejusmodi epistolas tollat fratrem hortatur. L. Flavii prætoris designati querelas exponit; objurgationes suas excusat. Attali Iphimeni et Æsopi tragœdi negotium commendat. Statum reip. exponit, suamque spem rei adversus Clodium bene gerendæ demonstrat. (Romæ, anno U. C. 694, mense novembri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

STATIUS ad me venit a. d. VI. kalend. novembr. Ejus adventus, quod ita scripsisti, direptum[1] iri te a

1. *Direptum iri te a tuis*, etc. Quod rem domesticam Statii liberti studio ac fidelitate conservari Quintus arbitraretur. MAN.

tuis, dum is abesset, molestus mihi fuit. Quod autem exspectationem tui [2], concursumque eum, qui erat futurus, si una tecum decederet, neque antea visus esset, sustulit; id mihi non incommode visum est accidisse. Exhaustus enim est sermo hominum, et multis emissæ jam ejusmodi voces, Ἀλλ' αἰεί [3] τινα φῶτα μέγαν. Quæ te absente confecta esse lætor. Quod autem idcirco a te missus est, mihi ut se purgaret, id necesse minime fuit. Primum enim numquam ille mihi fuit suspectus: neque ego, quæ ad te de illo scripsi, scripsi meo judicio; sed quum ratio salusque omnium nostrum, qui ad rempublicam accedimus, non veritate solum, sed etiam fama niteretur, sermones ad te aliorum semper, non mea judicia perscripsi. Qui quidem quam frequentes essent, et quam graves, adventu suo Statius ipse cognovit. Etenim intervenit nonnullorum querelis, quæ apud me de illo ipso habebantur; et sentire potuit, sermones iniquorum in suum potissimum nomen erumpere. Quod autem me maxime

2. *Exspectationem tui.* Schützius omnino pugnat legendum *sui.* Sine causa, ut videtur. J. V. L.

3. Ἀλλ' αἰεί. *Sed semper hominem quemdam magnum*, etc. Homeri versus est in Od. IX, vers. 513. De Ulysse a Polyphemo pronuntiatur: a quo tam pusillo, tamque imbecillo miratur se esse excæcatum. Nunc qua ratione sententia, de Ulysse et Polyphemo ab Homero prolata, ad Quintum et ad Statium accommodari possit, ut certe egregie potest, consideremus. Per triennium jam Quintus Asiam rexerat. Scripta enim est epistola in exitu fere anni tertii. Rationem ejus administrationis fama jam nuntiique Romam pertulerant; satisque notum erat omnibus in rebus eum uti consilio Statii liberti, quod Cicero modo occulte, modo aperte conqueritur. Exspectabant igitur homines liberti Statii adventum in urbem cum Quinto, quasi τινὰ φῶτα μέγαν; a quo provinciam esse administratam, tamquam a proconsule, audissent: qui quum venisset, quasi decepti, itidem ut Polyphemus, iisdem, quibus ille, versibus errorem suum poterant indicare. Quæ igitur voces, si cum Quinto Statius urbem esset ingressus, conjectæ fuissent, eas in unum Statium, absente Quinto, emissas Cicero gaudet; idque modeste significat, quum ait, « id mihi non incommode visum est accidisse »: ne offenderet animum Quinti ad iracundiam propensi, et de Statio optime existimantis. MAN.

movere solebat, quum audiebam, illum plus apud te posse, quam gravitas istius ætatis, et imperii prudentia postularet, quam multos enim mecum egisse putas, ut se Statio commendarem? quam multa autem ipsum ἀφελῶς[4] mecum in sermone ita protulisse, « id mihi[5] non placuit; monui, suasi, deterrui? » Quibus in rebus etiamsi fidelitas summa est (quod prorsus credo, quoniam tu ita judicas), tamen species ipsa tam gratiosi liberti, aut servi, dignitatem habere nullam potest. Atque hoc sic habeto (nihil enim nec temere dicere, nec astute reticere debeo), materiam omnem sermonum eorum, qui de te detrahere velint, Statium dedisse; et antea tantum intelligi potuisse, iratos[6] tuæ severitati esse nonnullos; hoc manumisso, iratis, quod loquerentur, non defuisse.

Nunc respondebo ad eas epistolas, quas mihi reddidit L. Cæsius (cui, quoniam ita te velle intelligo, nullo loco deero), quarum altera est de Blaudenio[7] Zeuxide, quem scribis certissimum matricidam tibi a me intime commendari. Qua de re, et de hoc genere toto, ne forte me in Græcos tam ambitiosum factum esse mirere, pauca cognosce. Ego quum Græcorum querelas nimium valere sentirem, propter hominum ingenia ad fallendum parata, quoscumque de te queri audivi, quacumque potui ratione placavi. Primum Dionysipolitas[8], qui erant inimicissimi mei[9], lenivi: quorum principem Hermippum[10] non solum sermone

4. Ἀφελῶς. Tuto, secure.

5. *Id mihi.* Verba sunt, quæ in sermone cum Marco proferebat libertus ille.

6. *Iratos.* Vide ad Atticum lib. II, epistol. 18.

7. *Blaudenio.* Ex urbe Blaudo, quæ est in Phrygia. MAN.

8. *Dionysipolitas.* Opinor scribendum, *Dionysopolitas.* In veteribus enim numismatibus video incisum, ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΙΤΩΝ. URSINUS.

9. *Mei.* Forte abundat, *mei*, et subaudiendum, *tui.* MAN.

10. *Hermippum.* De quo, orat. pro Flacco.

meo, sed etiam familiaritate devinxi. Ego Apamensem Hephæstum, ego levissimum hominem, Megaristum Antandrium, ego Niciam Smyrnæum, ego nugas maximas [11] omni mea comitate sum complexus, Nymphontem etiam Colophonium. Quæ feci omnia, non quo me aut ii homines, aut tota natio delectaret: pertæsum est levitatis, assentationis, animorum non officiis, sed temporibus servientium. Sed, ut ad Zeuxim revertar: quum is de M. Cascellii sermone secum habito, quæ tu scribis, ea ipsa loqueretur, obstiti ejus sermoni, et hominem in familiaritatem recepi. Tua autem quæ fuerit cupiditas tanta, nescio, quod scribis cupiisse te, quoniam Smyrnæ duo Mysos [12] insuisses in culeum [13], simile in superiore parte provinciæ edere exemplum severitatis tuæ, et idcirco Zeuxim elicere omni ratione voluisse: quem adductum in judicium fortasse dimitti non oportuerit; conquiri vero, et elici blanditiis (ut tu scribis) ad judicium, necesse non fuit; eum præsertim hominem, quem ego et ex suis civibus, et ex multis aliis quotidie magis cognosco nobiliorem esse prope, quam civitatem suam. At enim Græcis solis indulgeo. Quid? L. Cæcilium [14] nonne omni ratione placavi? quem hominem? qua ira? quo spiritu? Quem denique, præter Tuscenium, cujus causa sanari non potest, non mitigavi? Ecce supra caput [15] homo levis ac sordidus, sed tamen equestri censu, Catienus: etiam is lenietur. Cujus tu in patrem quod fuisti asperior, non reprehendo: certo

11. *Nugas maximas*. Levissimos infimæque conditionis homines, qui nec nominandi sunt. Man.

12. Al. *duos Mysos*. J. V. L.

13. *In culeum*. Quæ parricidarum erat pœna. Vide pro Sex. Roscio Amer. c. 26, p. 94 t. I edit. nost.

14. *Cæcilium*. Hi sunt homines romani, qui in provincia Quinti negotiabantur. Man.

15. *Ecce supra caput*. Ecce præter eos, quos significavi, occurrit animo meo, et quasi supra caput adstat, a me nominandus Catienus. Idem.

enim scio, te fecisse cum causa. Sed quid opus fuit ejusmodi literis, quas ad ipsum misisti? illum crucem sibi ipsum constituere, ex qua tu eum ante detraxisses; te curaturum, fumo [16] ut combureretur, plaudente tota provincia. Quid vero ad C. Fabium, nescio quem (nam eam quoque epistolam T. Catienus circumgestat), renuntiari tibi, Licinium plagiarium cum suo pullo milvino [17] tributa exigere? Deinde rogas Fabium, ut et patrem et filium vivos comburat, si possit; sin minus, ad te mittat, uti judicio comburantur. Hæ literæ abs te per jocum missæ ad C. Fabium, si modo sunt tuæ, quum leguntur, invidiosam atrocitatem verborum habent. Ac, si omnium mearum literarum præcepta repetes; intelliges, nihil esse a me, nisi orationis acerbitatem et iracundiam, et, si forte, raro literarum missarum indiligentiam reprehensam. Quibus quidem in rebus si apud te plus auctoritas mea, quam tua sive natura paullo acrior, sive quædam dulcedo iracundiæ, sive dicendi sal facetiæque, valuisset [18], nihil sane esset, quod nos pœniteret. Et mediocri me dolore putas affici, quum audiam, qua sit existimatione Virgilius [19], qua tuus vicinus C. [20] Octavius? Nam si te interioribus vicinis [21] tuis, Ciliciensi et Syriaco anteponis, valde magnum facis. Atque is dolor est, quod quum ii, quos nominavi, te innocentia non vincant, vincunt tamen arti-

16. *Fumo.* Pro *fumo* placeret si legeretur, *furno*. Ursinus.

17. *Milvino.* Videtur fuisse Licinii servulus, aut certe comes in rapinis hoc nomine. Addit, *Pullo*, per jocum, ad rapacitatem indicandam, quia milvii rapaces. Man. — Plagiarii autem dicebantur qui servum furabantur, aut liberum pro servo vendebant. Vid. in Pandectis Callistratus et Ulpianus. Ed.

18. Al. *valuissent.* J. V. L.

19. *Virgilius.* Vide orationem pro Plancio.

20. Al. *Cn.* J. V. L.

21. *Interioribus vicinis.* Qui in ipsa Asia sunt, et aliquam provinciæ tuæ partem, a te demandatam, administrant. Man.

ficio benivolentiæ colligendæ, qui neque Cyrum Xenophontis, neque Agesilaum noverint : quorum regum summo in imperio nemo umquam verbum ullum asperius audivit. Sed hæc a principio tibi præcipiens, quantum profecerim, non ignoro. Nunc tamen decedens (id quod mihi facere videris), relinque, quæso, quam jucundissimam memoriam tui. Successorem habes perblandum; cetera valde illius adventu tua requirentur. In literis mittendis (ut sæpe ad te scripsi) nimium te exorabilem[22] præbuisti. Tolle[23] omnes, si potes, iniquas, tolle inusitatas, tolle contrarias. Statius mihi narravit, scriptas ad te solere afferri, ab se legi; et, si iniquæ sint, fieri te certiorem; antequam vero ipse ad te venisset, nullum delectum literarum fuisse; ex eo esse volumina selectarum epistolarum, quæ reprehendi solerent. Hoc de genere nihil te nunc quidem moneo. Sero est enim : ac scire potes, multa me varie diligenterque monuisse. Illud tamen, quod Theopompo mandavi, quum essem admonitus ab ipso, vide per homines amantes tui, quod est facile, ut hæc genera tollantur epistolarum, primum iniquarum, deinde contrariarum, tum absurde et inusitate scriptarum, postremo in aliquem contumeliosarum. Atque ego hæc tam esse, quam audio, non puto : et, si sunt occupationibus tuis minus animadversa, nunc perspice, et purga. Legi epistolam, quam ipse scripsisse Sulla nomenclator dictus est, non probandam; legi nonnullas iracundas.

Sed tempore ipso[24] de epistolis. Nam quum hanc

22. *Exorabilem.* Edit. vetus, *inexorabilem.* Alterum placuit Manutio et Lamb.

23. *Tolle.* Da operam, ut colligantur et supprimantur. MAN.

24. *Tempore ipso.* Opportune hæc de epistolis a te paullo consideratius scribendis. IDEM. — Male quidam voluerunt : « Sed tempore ipso furor dabat. Hæc de epistolis ». ED.

paginam tenerem, L. Flavius, prætor designatus, ad me venit, homo mihi valde familiaris. Is mihi, te ad procuratores suos literas misisse; quæ mihi visæ sunt iniquissimæ: ne quid de bonis, quæ L. Octavii Nasonis fuissent, cui L. Flavius heres est, deminuerent ante, quam C. Fundanio pecuniam solvissent. Itemque misisse ad Apollonidienses, ne de bonis, quæ Octavii fuissent, deminui paterentur, priusquam Fundanio debitum solutum esset. Hæc mihi verisimilia non videntur: sunt enim a prudentia tua remotissima. Ne deminuat heres? Quid si infitiatur[25]? quid si omnino non debetur? quid? prætor[26] solet judicare deberi? Quid? ego Fundanio non cupio? non amicus sum? non misericordia moveor? Nemo magis; sed via juris ejusmodi est quibusdam in rebus, ut nihil sit loci gratiæ. Atque ita mihi dicebat Flavius scriptum in ea epistola, quam tuam esse dicebat, te aut quasi amicis tuis gratias acturum, aut quasi inimicis incommoda laturum. Quid multa? ferebat graviter, id vehementer mecum querebatur, orabatque, ut ad te quam diligentissime scriberem: quod facio, et te prorsus vehementer etiam atque etiam rogo, ut et procuratoribus Flavii remittas de deminuendo[27], et de Apollonidiensibus, ne quid perscribas, quod contra Flavium sit, amplius, et Flavii causa, et scilicet Pompeii, facias omnia. Nolo medius fidius ex tua injuria in illum, tibi liberalem me videri; sed et[28] te

25. *Si infitiatur.* Deberi quidquam Fundanio. MAN.

26. *Prætor.* Prætor, ut in libro de Legibus ostendimus, non judicabat, sed jus dicebat. Judicabant autem judices a prætore dati, quum aliis de causis, tum etiam de iis, in quibus, petita pecunia deberetur necne, dijudicari oportebat. Monet igitur Quintum, contra consuetudinem eum fecisse, qui judicaverit deberi. IDEM.

27. *Remittas de diminuendo.* Permittas ut de bonis Octavii diminuere possint. IDEM.

28. *Sed et te*, etc. Multi delent *et*. J. V. L.

oro, ut tu ipse auctoritatem et monumentum aliquod decreti, aut literarum tuarum relinquas, quod sit ad Flavii rem et ad causam accommodatum. Fert enim graviter homo et mei observantissimus, et sui juris dignitatisque retinens, se apud te neque amicitia, neque jure valuisse : et, ut opinor, Flavii aliquando rem et Pompeius et Cæsar tibi commendarunt; et ipse ad te scripserat Flavius, et ego certe. Quare si ulla res est, quam tibi me faciendam petente putes, hæc ea sit. Si me amas, cura, elabora, perfice, ut Flavius et tibi, et mihi quam maximas gratias agat. Hoc te ita rogo, ut majore studio rogare non possim.

Quod ad me de Hermia scribis, mihi mehercule valde molestum fuit. Literas ad te parum fraterne scripseram : quas oratione Diodoti, Luculli liberti, commotus, de pactione [29] statim quod audieram, iracundius scripseram, et revocare cupiebam. Huic tu epistolæ non fraterne scriptæ, fraterne debes ignoscere. De Censorino, Antonio, Cassio, Scævola, te ab iis diligi (ut scribis), vehementer gaudeo. Cetera fuerunt in eadem epistola graviora, quam vellem, ὀρθὰν τὰν ναῦν [30], et ἅπαξ θανεῖν [31]. Majora ista erunt [32]. Meæ objurgationes fuerunt amoris plenissimæ; quæ

29. *De pactione.* Ioter Græcos et poblicanos a te facta. Man.

30. Ὀρθὰν τὴν ναῦν. Videtur allodere ad seotentiam illam vulgatam, εὖ ἴσθι, Ποσειδᾶν, ὅτι ὀρθὰν τὴν ναῦν καταδύσω, quam Seneca epistola 85 latioe prounntiat in illo loco, « Gubernator tibi non felicitatem promisit, sed fidelem operam et navis regendæ scientiam; hæc eo magia apparet, quo illi magis aliqua fortuita vis obstitit. Qoi hoc potuit dicere : Neptune, numquam hanc navem, oisi rectam; arti satisfecit. Tempestas uoo opus gubernatoris impedit, sed successum, etc. » Victor.—Hæc recitat Stobæus, serm. 106; Aristides, orat. Rhod.

31. Ἅπαξ θανεῖν. *Semel mori.* Hæc verba ut et superiora græca, Juoio videotur ex literis Q. fratris. —Quod et J. V. L. probat, et adducit locum Euripidis, in Prometh. v. 749 : Κρεῖσσον γὰρ εἰσάπαξ θανεῖν; Ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς. Ed.

32. Rectius legeris, « Majora ista, quam meæ objurgatiooes fueroot, amoris plenissimæ; quæ sunt nonoullæ, sed tamen, etc. » J. V. L.

sunt nonnullæ[33], sed tamen mediocres, et parvæ potius. Ego te numquam ulla in re dignum minima reprehensione putassem, quum te sanctissime gereres, nisi inimicos multos haberemus. Quæ ad te aliqua admonitione aut objurgatione scripsi, scripsi propter diligentiam cautionis meæ, in qua et maneo, et manebo, et, idem ut facias, non desistam rogare. Attalus Iphimenus mecum egit, ut se ne impedires, quo minus, quod ad Q. Publiceni statuam decretum est, erogaretur: quod ego te et rogo, et admoneo, ne talis viri, tamque nostri necessarii, honorem minui per te, aut impediri velis. Præterea Æsopi tragœdi, nostri familiaris, Licinius servus, tibi notus, aufugit. Is Athenis apud Patronem Epicureum pro libero fuit; inde in Asiam venit. Postea Plato quidam Sardianus, Epicureus, qui Athenis solet esse multum, et qui tum Athenis fuerat, quum Licinius eo venisset, quum eum fugitivum postea esse ex Æsopi literis cognosset, hominem comprehendit, et in custodiam Ephesi tradidit: sed in publicam, an in pistrinum[34], non satis ex literis ejus intelligere potuimus. Tu, quoquo modo, quoniam Ephesi est, hominem investiges velim, summaque diligentia vel tecum deducas. Noli spectare, quanti homo sit; parvi enim pretii est, qui jam nihili sit: sed tanto dolore Æsopus est affectus propter servi scelus et audaciam, ut nihil ei gratius facere possis, quam si illum per te recuperarit.

33. *Quæ sunt nonnulla*. Hoc non ad ipsa verba, quæ antecedunt, sed ad eorum sententiam accommodat. « Quæ, inquit, in te reprehendi, sunt omnino aliqua, sed tamen mediocria, et parva potius ». MAN. — Ita etiam Victor. sed alii, « quæ sunt nonnullæ, sed tamen mediocres, et parvæ potius ».

34. *Vel in pistrinum*. Romanus, contra quam reliqui mei, *an* loco *vel* habet. Ego, quamquam scio vulgatam lectionem et grammaticorum præceptis et scriptorum exemplis repugnare, tamen ejus unius libri auctoritatem tot aliorum testimoniis præferre non audeo. MALASP.

Nunc ea cognosce, quæ maxime exoptas. Rempublicam funditus amisimus: adeo ut Cato, adolescens nullius consilii, sed tamen civis romanus, et Cato[35], vix vivus effugeret[36]; quod, quum Gabinium de ambitu vellet postulare, neque prætores diebus[37] aliquot adiri possent, vel potestatem[38] sui facerent, in concionem adscendit, et Pompeium privatus[39] dictatorem appellavit. Propius nihil est factum, quam ut occideretur. Ex hoc, qui sit status totius reipublicæ, videre potes. Nostræ tamen causæ non videntur homines defuturi. Mirandum in modum profitentur, offerunt se, pollicentur: et quidem quum spe sum maxima, tum majore etiam animo. Spero[40] superiores fore nos; confido animo, ut in hac republica ne casum quidem ullum pertimescam: sed tamen res sic se habet. Si diem nobis Clodius dixerit, tota Italia concurret, ut multiplicata gloria discedamus; sin autem vi agere conabitur, spero fore, studiis non solum amicorum, sed etiam alienorum, ut vi resistamus. Omnes et se, et suos liberos, amicos, clientes, libertos, servos, pecunias denique suas pollicentur. Nostra antiqua manus bonorum ardet studio nostri atque amore. Si qui antea aut alieniores fuerant, aut languidiores, nunc horum regum odio se cum bonis conjungunt. Pompeius omnia pollicetur, et Cæsar; quibus ego ita credo, ut nihil de mea comparatione

35. *Cato.* C. Cato, is qui triennio post tribunus pl. rogationem promulgavit de abrogando Lentulo imperio. Ad Div. ep. 5, lib. I. MAN.

36. Scribendum sine dubio *effugerit*. Ernest. J. V. L.

37. *Diebus*. Nefastis. TISLINUS.

38. *Potestatem*. Hoc est, se ad Catonis arbitrium non accommodarent. IDEM.

39. *Et Pompeium privatus dictatorem*. Ed. Rom. habet *privatum*, quod et in MS reperit Wowerius. Ernest. non probat. Alii laudant. Non miror. J. V. L.

40. *Spero sup. fore nos; confido animo*. Perturbatum hic aliquid videtur. Ursinus delenda putat verba hæc, « Spero superiores fore nos; confido animo ». J. V. L.

deminuam. Tribuni plebis designati sunt nobis amici. Consules se optime ostendunt. Prætores habemus amicissimos, et acerrimos cives, Domitium, Nigidium, Memmium, Lentulum : bonos etiam alios; sed hos singulares. Quare magnum fac animum habeas, et spem bonam. De singulis tamen rebus, quæ quotidie gerantur, faciam te crebro certiorem.

EPISTOLA III.

De pueris sine epistola missis se excusat, et de exsilii miseria et calamitate graviter conqueritur. (Thessalonicæ, anno U. C. 695, mense junio.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Mi frater, mi frater, mi frater[1], tune id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine literis miserim? aut etiam ne te videre noluerim[2]? Ego tibi irascerer? tibi ego possem irasci? Scilicet; tu enim me afflixisti; tui me inimici, tua me invidia, ac non ego te misere perdidi. Meus ille laudatus consulatus mihi te, liberos, patriam, fortunas; tibi velim ne quid eripuerit, præter unum me[3]. Sed certe a te mihi omnia semper honesta et jucunda ceciderunt; a me tibi luctus meæ calamitatis, metus tuæ, desiderium, mœror, solitudo. Ego te videre noluerim? Immo vero me a te videri nolui. Non enim vi-

1. *Mi frater*. Pro his tribus exclamationibus, MS a viro doctiss. Maio citatus fragm. Cic. Mediolan. 1817, p. 228, tantum modo dat semel « mi frater ». Non probat J. V. L. neque probaturum fuisse putat *V. C. Collin d'Harleville*, qui in comœdia sua *Querelle des deux frères*, locum Ciceronis feliciter satis apponit. Ed.

2. *Noluerim*. Male Lamb. et Grut. *voluerim*. J. V. L.

3. *Præter unum me*. Vereor enim, ne qui me perdiderunt, iidem non plane mea pernicie satiati, eadem quæ mihi, eripere tibi conentur, dignitatem, patriam, fortunas. Manut.

disses fratrem tuum; non eum, quem reliqueras; non eum, quem flens flentem, prosequentem[4] proficiscens dimiseras; ne vestigium quidem ejus, nec simulacrum, sed quamdam effigiem spirantis mortui. Atque utinam me mortuum prius vidisses, aut audisses! utinam te non solum vitæ, sed etiam dignitatis meæ superstitem reliquissem! Sed testor omnes deos, me hac una voce a morte esse revocatum, quod omnes in mea vita partem aliquam tuæ vitæ repositam esse dicebant. Quare peccavi, scelerateque feci. Nam si cecidissem, mors ipsa meam pietatem amoremque in te facile defenderet. Nunc commisi, ut vivo me careres, vivo me aliis indigeres; mea vox in domesticis periculis potissimum occideret, quæ sæpe alienissimis præsidio fuisset. Nam quod ad te pueri sine literis venerunt, quoniam vides non fuisse iracundiæ causa, certe pigritia fuit, et quædam infinita vis lacrymarum et dolorum. Hæc ipsa me quo fletu putas scripsisse? eodem, quo te legere certo scio. An ego possum aut non cogitare aliquando de te, aut umquam sine lacrymis cogitare? Quum enim te desidero, fratrem solum desidero? Ego vero suavitate prope[5] æqualem,

4. *Prosequentem.* Quum in Asiam imperio proconsulari profectus es. Mos enim hic erat, nimirum laudandus ob humanitatem, ut non solum propinquos, verum et amicos, ad provincias administrandas proficiscentes prosequerentur extra urbem. Hinc illud ad Appium, ad Div. lib. III: « Quum te paludatum prosequerer ». Man.

5. *Prope fratrem.* Tolle, *fratrem:* sincerus erit, qui nunc mendosus locus est. Nam quæ solet inter æquales suavitas esse (solet autem maxima), eamdem prope inter ipsos esse Cicero dicit. Ergo non fratrem solum desiderat, simul enim desiderat æqualem: desiderat filium: desiderat parentem. Quod autem de tollenda dictione, *fratrem*, diximus, somnium non est: nam Franciscus Petrarcha, poeta sermonis Italici hodierni omnium elegantissimus, ita legit in epistola 107. Habuit enim librum scriptum, iis, qui nunc reperiuntur, emendatiorem. Idem. — Et hic *fratrem* delendum Malaspina censet. — Sic recte Manutius, ut Petrarcha (ep. 107) in codice suo legerat. Vulg. « suavitate prope fratrem, prope æqualem ». Ernest.

obsequio filium, consilio parentem. Quid mihi sine te umquam, aut tibi sine me jucundum fuit? Quid, quod eodem tempore desidero filiam? qua pietate, qua modestia, quo ingenio? effigiem oris, sermonis, animi mei? Quid filium venustissimum, mihique dulcissimum? quem ego ferus ac ferreus e complexu dimisi meo, sapientiorem puerum, quam vellem; sentiebat enim miser jam, quid ageretur. Quid vero tuum filium? quid imaginem tuam [6], quam meus Cicero et amabat, ut fratrem, et jam, ut majorem fratrem, verebatur? Quid, quod mulierem miserrimam, fidelissimam conjugem, me prosequi non sum passus, ut esset, quæ reliquias communis calamitatis, communes liberos tueretur? Sed tamen, quoquo modo potui, scripsi, et dedi literas ad te Philogono, liberto tuo, quas credo tibi postea redditas esse: in quibus idem te hortor et rogo, quod pueri tibi verbis meis nuntiarunt, ut Romam protinus pergas et properes. Primum enim te præsidio [7] esse volui, si qui essent inimici, quorum crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata. Deinde congressus nostri lamentationem pertimui; digressum vero non tulissem; atque etiam id ipsum, quod tu scribis, metuebam, ne a me distrahi non posses. His de causis hoc maximum malum, quod te non vidi, quo nihil amantissimis et conjunctissimis fratribus acerbius ac miserius videtur accidere potuisse, minus acerbum, minus miserum fuit, quam fuisset quum congressio, tum vero digressio nostra.

vero edidit, « suavitate fratrem prope æqualem ». J. V. L.

6. *Imaginem meam.* Legendum fortasse est, *imaginem tuam.* Quod videtur et Manutio. LAMBIN. — Vulg. *meam.* J. V. L.

7. *Te præsidio.* Te ipsum tibi præsidio præsentem esse. Nam si quid temporis in reditu poneres, fieri posset, ut aliquid interim absens calamitatis acciperes. Hoc et ad Atticum scribit lib. III. MANUT.

Nunc, si potes, id quod ego, qui fortis tibi semper videbar, non possum, erige te, et confirma, si qua subeunda dimicatio erit. Spero, si quid mea spes habet auctoritatis[8], tibi et integritatem tuam, et amorem in te civitatis, et aliquid etiam misericordiam nostri, præsidii laturam. Sin eris ab isto[9] periculo vacuus, ages scilicet, si quid agi posse de nobis putabis. De quo scribunt ad me quidem multi multa, et se sperare demonstrant: sed ego, quid sperem, non dispicio, quum inimici plurimum valeant, amici partim deseruerint me, partim etiam prodiderint; qui in meo reditu fortasse reprehensionem sui sceleris pertimescant. Sed ista qualia sint, tu velim perspicias, mihique declares. Ego tamen, quamdiu tibi opus erit, si quid periculi subeundum[10] videbis, vivam. Diutius in hac vita esse non possum: neque enim tantum virium habet ulla aut prudentia, aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere. Scio fuisse et honestius moriendi tempus, et utilius: sed non hoc solum, multa alia prætermisi; quæ si queri velim præterita, nihil agam, nisi ut augeam dolorem tuum, indicem stultitiam meam. Illud quidem nec faciendum est, nec fieri potest, me diutius, quam aut tuum[11] tempus,

8. *Auctoritatis.* Si modo quid apud te valet hoc, quod me sperare vides, erige te, et confirma. Spero autem tibi tuam integritatem, et amorem in te civitatis, et aliquid etiam misericordiam nostri, præsidii laturam. MAN.

9. *Isto.* Quod ad te attinet. Timebat videlicet, ne quis ei, in urbem reverso, diem diceret ob provinciam avare administratam. Ad Atticum lib. III. IDEM. — Dimicatio quoque, quod præcedit ad hanc accusationem repetundarum referendum est. ED.

10. *Ego tamen, quamdiu tibi opus erit, si quid periculi subeundum.* Supple, tibi.

11. *Tuum tempus.* Tuum periculum. Non placet, inquit, vivere, nisi si aut aliquid tuis rationibus, dum in periculo versaris, possum consulere; aut spem, non dico aliquam aut mediocrem, sed omnino firmam de meo reditu esse intelligis. Non enim exigua in spe tantum pono, ut in tam misera turpique vita diutius velim commorari. MAN.

aut firma spes postulabit, in tam misera, tamque turpi vita commorari : ut, qui modo fratre fuerim, liberis, conjuge, copiis, genere ipso pecuniæ[12] beatissimus, dignitate, auctoritate, existimatione, gratia non inferior, quam qui umquam fuerunt amplissimi; is nunc, in hac tam afflicta perditaque fortuna, neque me, neque meos lugere diutius possim. Quare quid ad me scripsisti de permutatione[13]? quasi vero nunc me non tuæ facultates sustineant. Qua in re ipsa video miser, et sentio, quid sceleris admiserim, quum de visceribus tuis et filii tui satisfacturus sis, quibus debes; ego acceptam ex ærario[14] pecuniam tuo nomine frustra dissiparim. Sed tamen et M. Antonio, quantum tu scripseras, et Cæpioni tantumdem solutum est : mihi ad id, quod cogito, hoc, quod habeo, satis est. Sive enim restituimur, sive desperamur, nihil amplius opus est.

Tu, si forte quid erit molestiæ, te ad Crassum et ad Calidium conferas, censeo. Quantum Hortensio credendum sit, nescio. Me summa simulatione amoris, summaque assiduitate quotidiana, sceleratissime insidiosissimeque tractavit, adjuncto quoque Arrio; quorum ego consiliis, promissis, præceptis destitutus, in hanc calamitatem incidi. Sed hæc occultabis, ne quid obsint. Illud caveto (et eo puto, per Pomponium fovendum tibi esse ipsum Hortensium), ne ille[15] versus,

12. *Genere ipso pecuniæ.* Placeret sic : « genero ipso, pecunia » : ut C. Pisonem generum suum significet : cujus et mores et ingenium vehementer Cicero probavit. Vide de claris oratoribus. IDEM.

13. *De permutatione.* Te, quum ad urbem perveneris, pecuniam, permutatione sumptam, si ego vellem, mihi curaturum. Quorsum hoc ad me retulisti? quasi vero nunc, etc. IDEM.

14. *Ex ærario.* Quæ tibi Asiæ prætori de publico debebatur. Certam enim pecuniam provinciarum rectoribus resp. numerabat. Ad Div. lib. II. IDEM.

15. *Ne ille versus.* Verebatur, puto, ne Quintus frater de ambitu accusare-

qui in te erat collatus, quum ædilitatem petebas, de lege Aurelia, falso testimonio confirmetur. Nihil enim tam timeo, quam ne, quum intelligant homines, quantum misericordiæ nobis tuæ preces et tua salus allatura sit, oppugnent te vehementius. Messallam tui studiosum esse arbitror; Pompeium etiam simulatorem puto. Sed hæc utinam non experiare! quod precarer deos, nisi meas preces audire desissent[16]. Verumtamen precor, ut his infinitis nostris malis contenti sint : in quibus non modo tamen nullius inest peccati infamia; sed omnis dolor est, quod optime factis pœna est maxima constituta. Filiam meam et tuam, Ciceronemque nostrum, quid ego, mi frater, tibi commendem? Quin illud mœreo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas affert[17], quam mihi. Sed, te incolumi, orbi non erunt. Reliqua, ita mihi salus aliqua detur, potestasque in patria moriendi, ut me lacrymæ non sinunt scribere. Etiam Terentiam velim tueare, mihique de omnibus rebus rescribas. Sis fortis, quoad rei natura patiatur. Idibus juniis, Thessalonicæ.

tur : quod in petends ædilitate pecuniam contra leges dedisset. Quo tempore versus quidam in eum de lege Aurelia, qui ambitum notaret, conferebatur. Licet autem existimare, lege hac sancitum de ambitu aliquid fuisse. Man.

16. Alii, « desiissent ».

17. *Affert*. Legitur in codice Sorbonico, *afferret*. Quum enim has ad Q. Frat. epistolas, mirifice corruptas viderem, et ad me allatum esset Sorbonica in bibliotheca latere codicem satis vetustum, qui eas contineret, non mediocrem ex illo speravi fructum capi posse. Sed præter unam alteramve lectionem alicujus pretii, nihil, quod vellem tollere, peperit : neque alius Lutetiæ fuit, ad quem confugerem. Oliv. — Alii, *afferat*.

EPISTOLA IV.

Dolet sibi fidem amicorum cautumque consilium defuisse. Incertam spem salutis esse, etsi novi tribuni pl. partim sibi favent. Petit, ut Quintus, quid sperandum sit perspiciat, et ad se vere perscribat. Hortatur ut si eum quoque inimici vexare cœperint, fortiter resistat. (Thessalonicæ, anno U. C. 695, mense sextili.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Amabo te, mi frater, ne, si uno meo facto et tu, et omnes mei corruistis, improbitati et sceleri meo potius, quam imprudentiæ miseriæque assignes. Nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi, a quibus nefas putaram[1] esse me decipi, aut etiam, quibus ne id expedire quidem arbitrabar. Intimus, proximus, familiarissimus quisque aut sibi pertimuit, aut mihi invidit. Ita mihi nihil misero præter[2] fidem amicorum, cautum meum consilium fuit[3]. Quod si te satis innocentia tua et misericordia hominum vindicat hoc tempore a molestia; perspicis profecto, ecquænam nobis spes salutis relinquatur. Nam me Pomponius, et Sextius, et Piso noster adhuc Thessalonicæ retinuerunt, quum longius discedere, propter nescio quos

1. Ernest. voluit, *putabam*, quia sequitur *arbitrabar*.. Ed.

2. *Præter*. Verbum *obfuit*, aut simile quid præ dolore omisit. Man.

3. *Cautum meum consilium fuit*. Hoc veritati repugnat. Ubique enim Cicero suum consilium exsecratur. Quare placet hic legi *defuit*. Qua ratione, ex eadem fidelia, duos parietes dealbamus. Nam et superiori sententiæ suam formam damus, quæ sic inchoata aut potius decurtata est: et historiæ servimus: ut perfidiam amicorum accuset, a quibus proditus sit, et suam imprudentiam aut potius stultitiam damnet, quod iis crediderit, a quibus numquam putaverit se deceptum iri. Utrumque illis verbis complexus est: « Nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi, a quibus nefas putaram esse me decipi ». Usus est autem hic Cicero ἀσυνδέτῳ. Hanc dicendi formam et alibi adhibuit, et lib. III ad Att. epist. 15, ubi legitur: « Hic mihi primum meum consilium defuit, sed etiam obfuit ». Malasp.

motus, vetarent. Verum ego magis exitum, illorum literis, quam spe certa exspectabam. Nam quid sperem, potentissimo inimico, dominatione obtrectatorum, infidelibus amicis, pluribus invidis? De novis autem tribunis plebis est ille quidem in me officiosissimus Sextius, et, spero, Curtius[4], Milo, Fadius, Gratidius[5]; sed valde adversante Clodio; qui etiam privatus eadem manu poterit conciones concitare; deinde etiam intercessor parabitur. Hæc mihi proficiscenti non proponebantur; sed sæpe triduo summa cum gloria dicebar esse rediturus. Quid tu igitur? inquies. Quid? multa convenerunt, quæ mentem exturbarent meam: subita defectio Pompeii, alienatio consulum, etiam prætorum, timor publicanorum[6], arma. Lacrymæ meorum me ad mortem ire prohibuerunt; quod certe et ad honestatem, et ad effugiendos intolerabiles dolores fuit aptissimum. Sed de hoc scripsi ad te in ea epistola, quam Phaethonti dedi. Nunc tu, quoniam in tantum luctum et laborem detrusus es, quantum nemo umquam: si relevare potes communem casum misericordia hominum; scilicet[7] incredibile quiddam assequeris: sin plane occidimus (me miserum!); ego omnibus meis exitio fuero, quibus ante dedecori non

4. Pighius, ad ann. 696, docet legendum esse *Curius*. J. V. L.

5. *Gratidius*. Bene Lambin. admonente Manutio et Pighius collat. orat. pro Sextio, cap. 35, reponere jubent *Fabricius*. Hic enim memoratur inter tribunos plebis, qui rogationem tulerunt de Cicerone revocando. Ed.

6. *Publicanorum arma*. Forte id est quod dixit, « propter nescio quos motus ». Ex armis autem gravior exsistit inter cives dissensio: et ad restituendum Ciceronem summa omnium consensio requirebatur. Verum quid si aliter distinguatur, sic, inquam? « Alienatio consulum, etiam prætorum, timor publicanorum, arma ». Mihi quidem placeret magis. Manut.

7. *Scilicet*. Hic ad affirmandum usurpatur, non ut interdum, cum ironia, quæ negandi vim habet. Potest etiam hic locus aliter distingui, nec inepte, sic: « Si levare potes communem casum, misericordia hominum scilicet, incredibile quiddam, etc. »

eram. Sed tu, ut ante ad te scripsi, perspice rem et pertenta; et ad me, ut tempora nostra, non ut amor tuus fert, vere perscribe. Ego vitam, quoad putabo tua interesse, aut ad spem servandam esse, retinebo. Tu nobis amicissimum Sextium cognosces: credo tua causa velle[8] Lentulum, qui erit consul. Quamquam sunt facta verbis difficiliora. Tu et quid opus sit, et quid sit, videbis omnino. Si tuam solitudinem communemque calamitatem nemo despexerit, aut per te confici aliquid, aut nullo modo poterit. Sin te quoque inimici vexare cœperint, ne cessaris[9]. Non enim gladiis[10] mecum, sed litibus agetur. Verum hæc absint velim. Te oro, ut ad me de omnibus rebus scribas, et in me animi potius, aut consilii putes minus esse, quam antea; amoris vero et officii non minus.

8. Sic MS Parisiens. optimus. Vulg. « vel Lentulum ». J. V. L.

9. *Ne cessaris.* Ne sis languidior, sed strenue resistas; nam inimici vim, non verba adhibebunt.

10. *Non enim gladiis.* Se ipsum nominat, quum de fratre intelligat; quod eamdem utriusque fortunam ducat. « Non, inquit, me », hoc est, te, « gladiis, sed litibus petent ».

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD Q. FRATREM
LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

Commemorat quid in senatu sit actum, referente primum Lupo de lege C. Cæsaris, qua agrum Campanum plebi Romanæ dividendum esse tulerat; deinde Racillio de judiciis, in causa Clodii de vi postulati, utrum ante, an vero post ædilitia comitia habenda sint. (Romæ, anno U. C. 696, mense decembri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Epistolam, quam legisti, mane dederam. Sed fecit humaniter Licinius, quod ad me, misso senatu, vesperi venit, ut, si quid esset actum, ad te (si mihi videretur) perscriberem. Senatus fuit frequentior, quam putabamus esse posse mense decembri sub dies festos. Consulares nos fuimus, et duo consules designati [1], P. Servilius, M. Lucullus, Lepidus [2], Volca-

1. *Duo consules designati.* Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Martius Philippus: quos immiscet consularibus. Man.

2. *Lepidus.* Non M. Lepidus, qui postea triumvir perdendæ reipublicæ fuit, qui nominari non potuit inter consulares, quum non nisi multis post annis consul fuerit: sed Man. Æmilius Lepidus, qui consulatum gesserat cum L. Volcatio Tullo, anno U. C. 681. Ed.

tius, Glabrio[3], prætores[4]. Sane frequentes fuimus : omnino ad ducentos. Commorat exspectationem Lupus[5]. Egit causam agri Campani[6] sane accurate : auditus est magno silentio. Materiam rei non ignoras. Nihil ex nostris actionibus[7] prætermisit. Fuerunt nonnulli aculei, in C. Cæsarem, contumeliæ in Gellium[8], expostulationes cum absente[9] Pompeio. Causa sero perorata, sententias se rogaturum negavit, ne quod onus[10] simultatis nobis imponeret. Ex superiorum temporum conviciis, et ex præsenti silentio quid senatus sentiret, se intelligere dixit. In illo cœpit dimittere[11]. Tum Marcellinus, « Noli, inquit, ex taciturnitate nostra, Lupe, quid aut probemus hoc tem-

3. *Glabrio.* Man. Acil. Glabrio, qui anno ante Lepidum et Volcatium cos. fuerat. Man.

4. *Prætores.* Quum ex prætoribus neminem nominet, apparet omnes affuisse. Idem.

5. *Lupus.* P. Rutilius Lupus.

6. *Agri Campani.* C. Cæsar in consulatu legem tulerat, ut ager Campanus, et qui publicus erat, et qui possidebatur a privatis, plebi divideretur : divisitque consul ipse partem ejus agri publicam. Reliquum a privatis emi pecunia publica oportebat. A quo Lupi trib. pl. voluntas quum abhorreret, disputavit in senatu contra legem Cæsaris accurate. Vide hic epist. 5 et 9 lib. I ad Lentulum.

7. *Nostris actionibus.* Laudavit omnia, quæ acta sunt a me in consulatu, ne ager Campanus P. Servilii Rulli tribuni pl. lege veniret. Idem.

8. *Gellium.* L. Gellium crederem, qui cum Cn. Cornelio Lentulo consul fuit : sed eum inter consulares nominasset. Aut igitur alius Gellius est : aut, si consularis est, non affuit in senatu. Idem.

9. *Absente.* Aberat rei frumentariæ causa. Ad Att. lib. IV. Idem.

10. *Ne quod onus.* Nolle se a senatoribus sententias dici; ne, quum adversus voluntatem alicujus loquerentur, in simultates et inimicitias inciderent. Idem.

11. *Milo cœpit dimittere.* Senatum. Sed in voce *Milo* insignem esse mendam existimo. Fuit omnino trib. pl. T. Annius Milo iis consulibus, quibus hæc epistola scripta est : sed exierat jam e magistratu ; cujus, ut diximus, extremus erat dies v id. dec. suumque magistratum novi tribuni plebis, quorum unus erat Lupus, inierant. Quare potestatem dimittendi senatus, quum tribunus pl. non esset, habere Milo non potuit. Puto igitur, hæc tria verba de Lupo esse dicta ; ut, qui senatum vocaverat, idem cœperit dimittere. Neque vero, quod ad correctionem attinet, quo me conjectura ducat, non habeo : sed ego non is sum, qui, quum aliquid sine antiquorum librorum ope, aut sine manifesto historiæ consensu corrigo, ipse mihi magnopere placeam. Dicam tamen,

pore, aut improbemus, judicare. Ego, quod ad me attinet, idemque arbitror ceteros, idcirco taceo, quod non existimo, quum Pompeius absit, causam agri Campani agi convenire ». Tum ille, se senatum negavit tenere[12]. Racillius[13] surrexit, et de judiciis[14] referre cœpit. Marcellinum quidem primum rogavit. Is quum graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus questus esset, sententiam dixit, ut ipse[15] judices per prætorem urbanum sortiretur; judicum sortitione facta, comitia[16] haberentur; qui judicia impedivisset, eum contra rempublicam esse facturum. Approbata valde sententia, C. Cato contradixit, et Cassius, maxima acclamatione[17] senatus, quum comitia judiciis anteferret. Philippus[18] assensit

quod sentio. Pro, « Milo cœpit dimittere », reponi posset, una tantum addita litera, « in illo cœpit dimittere »: hoc est, « in postremis illis verbis », se intelligere, quid senatus sentiret. Idem. — Sic corrigi voluit Manutius vulgatum *Milo*. Recepit Ernest. postquam reperit Lallem. in MS regio. J. V. L.

12. *Tenere*. Dixit, quod ad ipsum attineret, licere senatoribus abire; quum illis verbis uteretur quæ magistratuum erant peculiaria in dimittendo senatu: « Patres conscripti, nemo vos tenet ». Livius. Man.

13. *Racillius*. L. Racillius, tribunus pleb. de quo ad Div. lib. I, epist. 7. Hic senatum, Lupo dimittente, retinuit, pro potestate tribunitia. Hic J. V. L. adducit testimonium veteris scholiastæ a Maio nuper editi, ex quo apparet Ciceronem pro Racillio edictum in Clodium composuisse. Videtur hoc tempore factum, quod confirmat locus orat. pro Plancio, c. 32: « Atque utinam, etc. » Conjici potest L. Racillio hanc rem male cessisse. Ed. — Vulg. *Racilium*; sed hic, ut passim, sequimur in hoc nomine fere omnes MSS orat. pro Plancio, cap. 32. J. V. L.

14. *De judiciis*. Ut judicia fierent in eos, quibus dicta dies erat. Et unum maxime Clodium animo spectabat. Clodius de vi, accusante Milone, reus erat. Idem.

15. *Ut ipse*. Racillius scilicet. Manutio placet sic legi, « ut ipse judices prætor urbanus », Lambino approbante. — Lallem. e MSS regiis, « ipsi judices per præt. urbanum sortirentur ». J. V. L.

16. *Comitia*. Ædilitia, quibus petebat Clodius; et ob eam causam ante judicia haberi comitia volebat, ut, ædilis factus, Milonis accusationem facilius eluderet. Quod ita contigit. Manut.

17. *Acclamatione*. Adversus Cassium, quia comitia fieri ante judicia vellet. Idem.

18. *Philippus*. L. Marcius Philip-

Lentulo. Postea Racillius de privatis[19] me primum sententiam rogavit. Multa feci verba de toto furore, latrocinioque P. Clodii; eum, tamquam reum, accusavi, multis et secundis admurmurationibus cuncti senatus. Orationem meam collaudavit satis multis verbis, non mehercule indiserte, Severus[20] Antistius; isque judiciorum causam suscepit, antiquissimamque se habiturum dixit. Ibatur in eam sententiam. Tum Clodius rogatus, diem dicendo eximere[21] cœpit. Furebat, a Racillio se contumaciter urbaneque[22] vexatum. Deinde ejus operæ repente a Græcostasi[23] et gradibus[24] clamorem satis magnum sustulerunt, opinor in Q. Sextilium et amicos Milonis incitatæ. Eo metu injecto, repente, magna querimonia omnium, discessimus. Habes acta unius diei. Reliqua, ut arbitror, in mensem januarium rejicientur. De tribunis plebis longe optimum Racillium habemus. Videtur etiam Antistius amicus nobis fore. Nam Plancius totus noster est. Fac, si me amas, ut considerate diligenterque naviges de mense[25] decembri.

pus, Octavii, cui Augusto postea cognomen fuit, vitricus: designatus consul cum Lentulo Marcellino.

19. *De privatis.* Ergo post omnes magistratus.

20. *Veius.* Qui nominatur in epistolis ad Brutum. Alii hic legunt *Severus*, ex quo Manutius fecit *Sex. Vetus.*

21. *Diem dicendo eximere.* Licebat enim senatori, et qua de re vellet, et quamdiu vellet dicere. Qua potestate abutebantur multi; quum oratione longa diem consumerent, ne quid in senatu contra voluntatem eorum decerneretur. Epist. 3, lib. IV, ad Att. et Gellius lib. IV, cap. 10. MAN.

22. *Urbane.* Faerni liber, *inurbaneque*, quod et Manutio placet.

23. *Græcostasi.* Locus fuit ante curiam, de quo Varro. MAN.

24. *Gradibus.* Quibus ad curiam ascendebatur.

25. *De mense.* Usitata veteribus locutio, pro *mense.* Qualia sunt, « de nocte, de die », et similia. Catullus, « Vos convivia sumptuosiora De die facitis ». MAN.

EPISTOLA II.

Respondet de Lentuli et Sexti nominibus exigendis, et Pomponianis inde dissolvendis, aliisque rebus domesticis : et de rege Alexandrino reducendo quid decretum et actum sit, et quale totum negotium sit, breviter commemorat. (Romæ, anno U. C. 697, mense januario.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Non occupatione, qua eram sane impeditus, sed parvula lippitudine adductus sum, ut dictarem hanc epistolam, et non, ut ad te soleo, ipse scriberem. Et primum me tibi excuso [1], in eo ipso, in quo te accuso. Me enim adhuc nemo rogavit, num quid in Sardiniam [2] vellem : te puto [3], etsi non semper, sæpe certe habere, qui, num quid Romam velis, quærant. Quod ad me Lentuli et Sexti [4] nomine scripsisti, loquutus sum cum Cincio [5]. Quoquo modo res se habet, non est facillima. Sed habet profecto quiddam Sardinia appositum ad recordationem præteritæ memoriæ. Nam, ut ille Gracchus augur, posteaquam in istam provinciam venit, recordatus est, quid [6] sibi, in campo Martio comitia consulum habenti, contra au-

1. *Excuso*. De literarum infrequentia.

2. *In Sardiniam*. Ubi Quintus rei frumentariæ Pompeii missu præerat. Hoc tantum olim conjiciebant : nunc certum est ex novis fragmentis orationis pro Scauro, cap. 8. Vide infra epist. 6. Ed.

3. Sic edit. Rom. Al. minus recte, « te puto sæpe habere, etsi non semper, qui, etc. » Quod ineptum jure censuit P. Manutius. Ernest. quoque delevit « etsi non semper ». J. V. L.

4. *Lentuli et Sexti*. Ut a Lentulo et Sexto debitam tibi pecuniam exigamus, exactam Pomponio Attico, cui debes, persolvamus. Man.

5. *Cincio*. L. Cincio, qui Attici negotia Romæ procurabat.

6. *Quid*. Tabernaculum vitio ceperat. Historia est de Nat. Deor. II, 4, et de Divin. I, 17.

spicia accidisset : sic tu mihi videris in Sardinia de forma Minuciana [7], et de nominibus Pomponianis [8] in otio recogitasse. Sed ego adhuc emi nihil [9]. Culleonis auctio facta est. Tusculano emptor nemo fuit. Si conditio [10] valde bona fuerit, fortasse non omittam. De ædificatione tua Cyrum [11] urgere non cesso : spero eum in officio fore; sed omnia sunt tardiora, propter furiosæ ædilitatis [12] exspectationem. Nam comitia sine mora futura videntur. Edicta sunt a. d. XI kal. febr. Te tamen sollicitum esse nolo. Omne genus a nobis cautionis adhibebitur. De rege Alexandrino [13] factum est senatusconsultum, cum multitudine [14] eum reduci, periculosum reipublicæ videri. Reliqua quum esset in senatu contentio, Lentulusne, an Pompeius reduceret; obtinere causam Lentulus videbatur. In ea re nos et officio erga Lentulum mirifice, et voluntati Pompeii præclare satisfecimus. Sed per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est. Consequuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. Quid futurum sit latrocinio tribunorum [15], non divino; sed tamen suspicor, per vim rogationem Caninium perlaturum. In ea re Pompeius quid velit, non

7. *De forma Minuciana.* Ædificium forte Quintus ad eam formam, quam Minutius architectus fecerat, exstrui volebat. Qua de re videtur significari infra, epist. 5. MAN.

8. *Nominibus Pomponianis.* Pecunia, quam debes Pomponio Attico. IDEM.

9. *Nihil.* Ubi ædificetur ad formam Minucianam. IDEM.

10. *Conditio.* Emendi Tusculani.

11. *Cyrum.* Architectum. Ad Att. II, 3; ad Div. VII, 14.

12. *Ædilitatis.* Quam Clodius petebat.

13. *Alexandrino.* Ptolemæo Aulete : qui a suis civibus pulsus, ad senatum confugerat, petebatque, ut restitueretur. Vide ad Div. lib. I. Restitutus demum est ab A. Gabinio Syriæ proconsule : qui provinciæ suæ terminis, pretio ductus, est egressus. Quo nomine postea condemnatum, in Dione legimus. MAN.

14. *Multitudine.* Cum qua regem reduci, vetabant libri Sibyllini. ID. — Hæc omnia facile intelliguntur ex epist. ad Lentulum, lib. I, ad Div.

15. *Latrocinio tribunorum.* Catonem in primis, et Caninium notat :

dispicio. Familiares ejus quid cupiant, omnes vident. Creditores vero regis aperte pecunias suppeditant contra Lentulum. Sine dubio res a Lentulo remota videtur esse, cum magno meo dolore : quamquam multa fecit, quare, si fas esset, jure ei succensere possemus. Tu, si ita expedit[16], velim quam primum bona et certa tempestate conscendas, ad meque venias. Innumerabiles enim res sunt, in quibus te quotidie in omni genere desiderem. Tui nostrique valent. XIIII kal. febr.

quorum ad eripiendam Lentulo regis reductionem iniquissimos conatus *latrocinium* appellat. De quibus etiam epist. 4 ad Lentulum sic : « Qui nunc populi rom. nomine, re autem vera sceleratissimo latrocinio, si qua conabuntur agere, etc. » Man.

16. *Expedit*. Sch. *expedisti*.

EPISTOLA III.

Quid in senatu sit actum, in primisque quæ in judicio de Milone, quem Clodius de vi accusaverat ad populum, acciderint, commemorat, et quæ sit exspectatio ejusdem judicii in Quirinalia a Clodio dilati. De Sextio de ambitu a Cn. Nerio, et de vi a M. Tullio postulato; de Senatusconsulto, quo centuriati et decuriati discedere jubebantur; de Bestia ambitus reo a se defenso et alia domestica. (Romæ, anno U. C. 697, mense februario.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Scripsi ad te antea superiora : nunc cognosce, postea quæ sint acta. A kal. febr. [1] legationes in idus

1. *Kal. febr*. Legitimi habendo senatui dies erant, « kalendæ, nonæ, idus ». Reliquis diebus, modo comitiales non essent, haberi quidem senatus poterat; sed certus neque lege, neque more statutus erat dies. Positum id erat in voluntate magistratuum. Legationes igitur a kalendis in idus rejiciebantur; non quia senatum haberi ante idus non liceret; sed quia, si haberetur, alia de re potius, quam de legationibus, agi placeret.

febr. rejiciebantur. Eo die res confecta non est. A. d. IIII non febr. Milo affuit [2] : ei Pompeius advocatus [3] venit. Dixit Marcellus [4], a me rogatus. Honeste discessimus. Producta dies est in VIII id. [5] febr. Interim, rejectis legationibus in idus, referebatur de provinciis quæstorum [6], et de ornandis prætoribus [7]. Sed res, multis querelis de republica interponendis, nulla transacta est. Cato legem promulgavit de imperio [8] Lentuli abrogando. Vestitum filius mutavit [9].

2. *Milo affuit.* Accusabatur a P. Clodio ædili, de vi, apud populum. *Affuit*, in foro; ubi cujuslibet generis exercebantur judicia. MAN.

3. *Advocatus.* Non ut pro Milone diceret, sed ut præsentia sua reum sublevaret. Is enim *advocatus* est, ut in Divinatione Pedianus testatur. Quarto igitur nonas Miloni *advocatus*, octavo idus eidem *patronus* Pompeius venit. IDEM.

4. *Marcellus.* Non dubito, quin M. Marcellum significet, eum, quem, post devictum acie Pharsalica Pompeium, a P. Magio Chilone interfectum fuisse, Ser. Sulpicii ad Ciceronem epistola declarat. Existimo autem potius Marcum significari, quam aut Caium ejus fratrem, aut alium quemquam; quia et erat hic bonarum in rep. partium tutator, et Ciceronis amicissimus, et Milonis ipsius proprie studiosus, qui etiam ipsum, quo tempore de Clodii cæde causam dixit, cum Cicerone defenderit. Ut omittam, quod, quum sine prænomine appelletur, de ipso potius, qui virtute et honore reliquis Marcellis antecellebat, quam de quovis alio, accipiendum videtur. IDEM.

5. Vulg. « IV id. » Male, ut probant sequentia. J. V. L.

6. *De provinciis quæstorum.* Ut quæstores anni superioris provincias sortirentur. Cujus rei ad consules relatio pertinebat. Quæstores autem sorte in provincias ivisse, docet oratio pro Murena. MAN.

7. *Prætoribus.* Malim, *prætoriis* : ut de provinciis intelligatur. Quod probat latina loquendi consuetudo. Nam in epist. ad Atticum, lib. III : « Antequam, inquit, ad me scripsissetis, vestro consensu consulares provincias ornatas esse ». Ad eumdem, lib. IV : « Qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse ». Et in epistola ad Catonem, ad Div. lib. XV : « Provinciam, inquit, ornatam et spem non dubiam triumphi neglexi ». Poterat enim facile triumphum sperare, quum *ornatam* provinciam acciperet, h. e. exercitu pecuniaque instructam. Id est enim « ornare provinciam ». IDEM.

8. *Imperio.* Ciliciæ videlicet administratione. IDEM.

9. *Mutavit.* Sordidata veste, ad commovendam misericordiam, sumpta : quod magnarum calamitatum in metu facere solebant : itaque, lege Clodia promulgata, vestitum et Cicero cum innumerabili amicorum clientiumque multitudine mutaverat.

A. d. VIII id.[10] febr. Milo affuit. Dixit Pompeius, sive voluit : nam, ut surrexit, operæ Clodianæ clamorem sustulerunt; idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut convicio et maledictis impediretur. Qui ut peroravit (nam in eo sane fortis fuit : non est deterritus; dixit omnia; atque interdum etiam silentio, cum auctoritate peregerat[11]): sed ut peroravit, surrexit Clodius. Ei tantus clamor a nostris (placuerat enim referre gratiam) ut neque mente, neque lingua, neque ore consisteret. Ea res acta est, quum H. VI vix Pompeius perorasset, usque ad H. VIII, quum omnia maledicta, versus etiam obscœnissimi in Clodium et Clodiam[12] dicerentur. Ille furens et exsanguis interrogabat suos, in clamore ipso, quis esset, qui plebem fame necaret[13]. Respondebant operæ, Pompeius. Alexandriam[14] ire cuperet. Respondebant, Pompeius. Quem ire vellent. Respondebant, Crassum. Is aderat tum, Miloni animo non

10. Alii, « IV id. » J.V.L.

11. *Peregerat.* Petrus Danesius, quem habet Gallia clarissimum ingenii doctrinæque lumen, quum Venetiis ad eum sæpe honoris causa in ædes Georgii Silvæ, Vaurensis Episcopi, adolescentulus ventitarem, in sermone dixit, rectius legi posse, *semper egerat*. Quod idem mihi quoque nunc videtur. Et optime duæ dictiones, *interdum semper*, altera cum altera congruet : ut Pompeius silentio non sane *semper* egerit, sed *interdum ;* cum auctoritate vero *semper*. Hanc enim operarum Clodii clamor eripere numquam potuit. MAN.

12. *Clodiam.* P. Clodii sororem, eam de tribus, ut opinor, quæ Q. Metelli Celeris uxor erat. Nam etsi reliquæ item duæ, una, quæ Q. Marcio Regi, altera, quæ L. Lucullo collocata fuerat, male audiebant impudicitiæ nomine, ut etiam cum fratre Clodio rem habuisse dicerentur : hæc tamen Metelli uxor, quam *Quadrantariam* esse appellatam Plutarchus tradit, infamia præstabat. Et hanc significat Cicero libro ad Atticum II, quum appellabat Βοῶπιδα · et in oratione de Haruspicum responsis, quum ait : « Ne id quidem sentis, conniventes illos oculos abavi tui magis optandos fuisse, quam hos flagrantes sororis ? » In ea vero pro Cælio, satis aperta suspicione carpit, quasi venenum Metello conjugi dedisset. IDEM.

13. *Fame.* Quasi Pompeius, qui rei frumentariæ præesset, frumentum comprimeret.

14. *Alexandriam.* Restituendi Ptolemæi causa. MAN.

amico. H. fere IX, quasi signo dato, Clodiani nostros consputare cœperunt. Exarsit dolor. Urgere illi, ut loco nos moverent. Factus est a nostris impetus, fuga operarum. Ejectus de rostris Clodius: ac nos quoque tum fugimus, ne quid in turba. Senatus vocatus in curiam: Pompeius domum. Neque ego tamen in senatum, ne aut de tantis rebus tacerem, aut in Pompeio defendendo (nam is carpebatur a Bibulo, Curione, Favonio, Servilio filio), animos bonorum offenderem. Res in posterum dilata est. Clodius in Quirinalia produxit diem [15].

A. d. VI id. febr. senatus ad Apollinis [16] fuit, ut Pompeius adesset [17]. Acta res est graviter a Pompeio. Eo die nihil perfectum est. A. d. V. id. ad Apollinis senatusconsultum factum est, EA, QUÆ FACTA ESSENT A. D. VIII ID. CONTRA REMPUBLICAM ESSE FACTA. Eo die Cato est vehementer in Pompeium invectus, et eum oratione perpetua, tamquam reum, accusavit. De me multa, me invito, cum mea summa laude, dixit. Quum illius in me perfidiam increparet, auditus est magno silentio malivolorum. Respondit ei vehementer Pompeius, Crassumque descripsit [18]; dixitque aperte se munitiorem ad custodiendam vitam suam fore, quam Africanus fuisset, quem C. Carbo interemisset. Itaque magnæ mihi res jam moveri videbantur. Nam Pompeius hæc intelligit, nobiscumque communicat, insi-

15. *Diem*. Accusationis.

16. *Ad Apollinis*. Non modo qui græce sciunt, sed qui latinas literas vix primoribus, quod aiunt, labris attigerunt, in hoc loquendi genere subaudiri *ædem* intelligunt. MAN.

17. *Ut Pompeius adesset*. Puto, quia prope templum Apollinis Pompeius habitaret: qui longius a suis ædibus discedere, metu Clodii, non audebat. Ideo, paucis ante versibus legitur, eum, senatu in Hostiliam curiam vocato, domesticis se parietibus tenuisse. IDEM.

18. *Descripsit*. Non nominatim appellavit, sed quasi quibusdam coloribus ita depinxit, ut eum notari homines intelligerent. IDEM.

dias vitæ suæ fieri; C. Catonem a Crasso sustentari; Clodio pecuniam suppeditari; utrumque et ab eo, et a Curione, Bibulo, ceterisque suis obtrectatoribus confirmari; vehementer esse providendum, ne opprimatur, concionario [19] illo populo a se prope alienato, nobilitate inimica, non æquo senatu, juventute improba. Itaque se comparat, homines ex agris arcessit. Operas autem suas Clodius confirmat; manus ad Quirinalia paratur. In eo multo sumus superiores ipsius copiis. Sed magna manus [20] ex Piceno et Gallia exspectatur, ut etiam [21] Catonis rogationibus de Milone et Lentulo resistamus.

A. d. IIII id. Sextius [22] ab indice [23] Cn. Nerio, Pupinia [24], de ambitu est postulatus; et eodem die a quodam M. Tullio [25] de vi. Is erat æger. Domum (ut debuimus) ad eum statim venimus, eique nos totos tradidimus; idque fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei jure succensere putabant, ut humanissimi, gratissimique et ipsi, et omnibus videremur: itaque faciemus. Sed idem Nerius index edidit ad allegatos [26], Cn. Lentulum Vacciam et C. Cornelium. Eodem die senatusconsultum factum est, UT SODALI-

19. *Concionario.* An non rescriptum oportuit, *concionatorio?* Sic sane putat Gulielmius. At quid si fuit, *concionali?* GRUT.

20. *Manus.* Clientum Pompeii, Ciceronis, Lentuli, Milonis. MAN.

21. *Ut etiam.* Ut non modo Clodius aliquid in nos per vim agere non possit, sed nec Cato rogationes eas perferre, quas de Milone et Lentulo promulgavit. IDEM.

22. *Sextius.* Publius, qui anno proximo tribunus pl. cum septem collegis de Cicerone restituendo rogationem pertulerat. IDEM.

23. *Indice.* Ciceronis temporibus verbum *indicis* convicium fuit, et nomen perditi hominis, ut, sub imperatoribus, nomen *delatoris* et *cognitoris.* GRON: Sest. IV, 3.

24. *Pupinia.* Ex tribu Pupinia.

25. *M. Tullio.* Cui cognomen fuit Albinovano. Vide orat. in Vatin.

26. *Allegatos. Allegatos* dicit Tullius qui vulgo *delegati* vel *deputati*, eos qui audiendis ipsius iudiciis et probationibus dati sunt. Apud eos igitur « edidit ista », quorum accusabat Sextium, et produxit firmamenta accusationis suæ. F. JULIUS. — *Alli-*

TATES [27] DECURIATIQUE [28] DISCEDERENT; LEXQUE DE IIS FERRETUR, UT, QUI NON DISCESSISSENT, EA POENA, QUÆ EST DE VI, TENERENTUR.

A. d. III id. dixi pro Bestia [29] de ambitu apud prætorem Cn. Domitium, in foro medio, maximo conventu; incidique in eum locum in dicendo, quum Sextius, multis in templo Castoris vulneribus acceptis, subsidio Bestiæ servatus esset. Hic προῳκονομησάμην [30] quiddam εὐκαίρως [31] de iis, quæ in Sextium apparabantur crimina, et eum ornavi veris laudibus, magno assensu omnium. Res homini fuit vehementer grata. Quæ tibi eo scribo, quod me de retinenda Sextii gratia literis sæpe monuisti.

Prid. id. hæc scripsi ante lucem. Eo die apud Pomponium in ejus nuptiis [32] eram cœnaturus. Cetera sunt in rebus nostris hujusmodi (ut tu mihi fere diffidenti prædicabas) plena dignitatis et gratiæ: quæ quidem tua, mi frater, prudentia, patientia, virtute, pietate, suavitate etiam, tibi, mihique sunt restituta. Domus tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est. Sed, ut spero, paucis mensibus post kalend. quint. [33] in tuam

gatos legit Turnebus, quem vide Advers. XX, 5.

27. *Sodalitates.* Hic de sodalitatibus intellige ambitus causa factis.

28. *Decuriatique.* Et verbum *decuriare* et *decuria* sæpe non pro decem tantum hominibus sumitur, sed pro aliquo numero in unum coacto, et tamquam in decuriam descripto, ejusdem rei tractandæ causa. Sic Phil. V: « Non improbos decuriabat? non sollicitabat agrarios? » Et in oratione pro Plancio sæpe utitur hoc verbo, quum loquatur de ambitu: item in Verrem. Man.

29. *Bestia.* L. Calpurnio Bestia, qui consulatum Ciceronis reprehendere solitus est. A quibus enim injuriam tulerat, eos sæpe Cicero defendit, ut P. Vatinium, A. Gabinium: ejusque rei causam exponit his verbis in epist. ad Marium: « Cogor nonnumquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti sunt, defendere ».

30. Προῳκονομησάμην. *Procuravi, providi.* Vide P. Victor. Var. Lection. XXXV, 4.

31. Εὐκαίρως. Opportune.

32. *Ejus nuptiis.* Quum Piliam duxit uxorem quinquagenarius.

33. *Kalendis quint.* Is dies terminus

commigrabis. Tuam in Carinis mundi habitatores Lamiæ[34] conduxerunt. A te post illam Olbiensem[35] epistolam nullas literas accepi. Quid agas, et ut te oblectes, scire cupio; maximeque te ipsum videre quam primum. Cura, mi frater, ut valeas; et quamquam est hiems, tamen Sardiniam[36] istam esse cogites. xv kalend. mart.

erat locatarum ædium. Sueton. in Tiberio, et Martialis, lib. XII, Epigr. xxxii, vs. 1 : « O Juliarum dedecus kalendarum! » Manut.

34. Al. *Camia*.

35. *Olbiensem*. Olbia datam.

36. *Sardiniam*. Insulam quum aliis morbis, tum pesti obnoxiam. Tislin.

EPISTOLA IV.

De Sextio absoluto, et Vatinio in judicio Sextiano vexato, aliisque domesticis rebus certiorem facit. (Romæ, anno U. C. 697, mense martio.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Sextius noster absolutus[1] est a. d. ii id.[2] mart. et, quod vehementer interfuit reipublicæ, nullam videri in ejusmodi causa dissensionem esse, omnibus sententiis absolutus est. Illud, quod tibi sæpe curæ esse intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret, nisi illius perversitatem quibusdam in rebus quam humanissime ferremus : scito hoc nos in eo judicio consequutos esse, ut omnium gratissimi judicaremur. Nam in defendendo moroso homine cumulatissime satisfecimus, et (id quod ille maxime cupiebat) Vati-

1. *Absolutus*. Judicio de vi, accusante M. Tullio Albinovano. Exstat Ciceronis Orat. Nam judicium de ambitu factum esse non existimo. Manut.

2. Alii, « iii id. » Forte rectius.

nium, a quo palam oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus, diis, hominibusque plaudentibus[3]. Quin etiam Paullus noster quum testis productus esset in Sextium, confirmavit, se nomen Vatinii delaturum, si Macer Licinius[4] cunctaretur; et Macer a Sextii subselliis surrexit, ac se illi non defuturum affirmavit. Quid quæris? homo petulans et audax, Vatinius valde perturbatus debilitatusque discessit. Quintus tuus, puer optimus, eruditur egregie. Hoc nunc magis animadverto, quod Tyrannio[5] docet apud me[6]. Domus utriusque nostrum ædificatur strenue. Redemptori tuo dimidium pecuniæ curavi. Spero nos ante hiemem contubernales[7] fore. De nostra Tullia, tui mehercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. Dies erant[8] duo, qui post Latinas habentur religiosi;

3. *Plaudentibus*. Pessime enim Vatinium omnes pæne homines oderant. Ex quo Catullus, « Odissem te odio Vatiniano »; Macrobius, lib. II Saturn. Lapidatus a populo Vatinius, quum gladiatorium munus ederet, obtinuerat ut ædiles edicerent, ne quis in arenam nisi pomum misisse vellet. Forte iis diebus Casellius jurisconsultus a quodam, num nux pinea pomum esset: « Si in Vatinium missurus es, inquit, pomum est ». Man.

4. *Macer Licinius*. Unus de Sextii patronis, et forte Licinius ille Calvus, eloquentiæ laude insignis, filius C. Macri, qui reus Cicerone prætore de repetundis factus, quum se damnatum iri videret, voluntaria morte jacturam rei familiaris effugit. Qui enim *in reatu*, ut jurisconsulti verbum usurpemus, *obierat*, ejus bona subjici hastæ leges vetabant. Plutarchus, Valerius. Idem.

5. *Tyrannio*. Satis usitatum grammaticis nomen. Nam et is, qui Aristotelis Theophrastique volumina, dictatore Sulla Athenis reperta, digessit, Tyrannio dictus est. Idem.

6. *Apud me*. *Domi meæ*, non, ut ante, *domi tuæ*. Idem.

7. *Contubernales*. In suis uterque ædibus, sed ita ut domus utriusque nullo interjecto spatio disjungerentur. Idem.

8. *Dies erant... Latiar*. Significat Cicero scriptam esse hanc epistolam sub vesperam illius diei, vel exeunte et discedente illo die, quo Latinæ feriæ erant confectæ. *Ire* dies, et *abire*, et *exire* satis perspicue dicitur, ut et « anni exitus ». Quum hæc, inquit, scriberem, in exitu erat is dies, « qui confectum erat Latiar », quo peractum erat feriarum Latinarum solenne vel sacrificium in Albano monte Latiari Jovi. Lucanus, I, 150, et V, 402, dixit « confectas Latinas ». Videri cuipiam potest, legendum esse « quo con-

ceterum, qui confectum erat Latiar, erat exiturus.

fectum erat »: frustra tamen. Etenim *qui* non tantum est primi casus, sed etiam sexti, ut ostendit Fr. Sanctius, Minerv. IV, 4, et vulgo notum est. Quin videtur Cicero maluisse « qui confectum », quam « quo confectum », ut boni scriptores malunt *quicum*, ubi scribunt alii *quocum*. Jam si quid historiæ dandum est, Latinis feriis unum diem dicaverat Tarquinius: exactis regibus, addiderunt alterum primi consules: inde fœdere cum Latinis populis icto, paullo post secessionem in montem Sacrum, accessit tertius: denique post atrox, civile nihilominus certamen de consulatu cum plebe communicando, reducta concordia, quartus adjectus. Dionys. Halic. lib. VI, extremo; Plutarchus in Camillo, et Livius, VI, 42. Hæc fusius J. F. Gronov. Observat. IV, 25. Oliv. — Locus valde dubius. Gruter. « ceteroqui confectum erat. Latiar erat exiturus ». Ernest. « ceterum confectum erat Latiar, eram exiturus ». C. Barthius: « Ceterum quasi confectum erat. Lætior erat exitus ». Sequimur lectionem J. F. Gronovii.

EPISTOLA V.

De pecunia Pompeio in frumentaria causa decreta, de agro Campano quid in senatu actum sit, et de M. Furio Flacco, e collegiis ejecto. (Romæ, anno U. C. 697, mense aprili.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Dederam ad te literas antea, quibus erat scriptum, Tulliam nostram Crassipedi prid. non. april. esse desponsatam; ceteraque de re publica privataque perscripseram. Postea sunt hæc acta. Non. april. senatusconsulto Pompeio pecunia decreta in rem frumentariam ad H-S cccc. Sed eodem die vehementer actum de agro Campano[1], clamore senatus prope concionali. Acriorem causam inopia pecuniæ faciebat, et annonæ caritas. Non prætermittam, ne illud quidem: M. Furium Flaccum, equitem romanum, hominem nequam, Capitolini et Mercuriales[2] de col-

1. *Campano*. De quo supra. Videatur etiam lib. I ad Att. epist. 9.

2. *Capitolini et Mercuriales*. Erant Capitolini collegium hominum Capi-

legio ejecerunt, præsentem, ad pedes uniuscujusque jacentem.

tolium et arcem incolentium, ludosque Capitolinos celebrantium. T. Liv. V, 20. Mercurialium autem collegium mercatorum fuisse ab æde Mercurii sic dictorum crediderim. T. Livius, II, 27. Turn.

EPISTOLA VI.

De rebus privatis, in primis sponsalibus et ædificatione scribit: consulis Lentuli Marcellini in impediendis legibus perniciosis egregium studium, et alia de republica. (Romæ, anno U. C. 697, mense aprili.)

MARCUS Q. FRATRI S.

A. D. VIII id. apr. sponsalia Crassipedi præbui. Huic convivio puer optimus, Quintus tuus meusque, quod perleviter commotus fuerat, defuit. A. d. VI id. april. veni ad Quintum, eumque vidi plane integrum: multumque is mecum sermonem habuit, et perhumanum, de discordiis mulierum nostrarum. Quid quæris? Nihil festivius. Pomponia autem etiam de te questa est. Sed hæc coram agemus. A puero ut discessi, in aream tuam veni. Res agebatur multis structoribus. Longilium redemptorem cohortatus sum. Fidem mihi faciebat, se velle nobis placere. Domus erit egregia: magis enim cerni jam poterat, quam quantum ex forma[1] judicabamus. Itemque nostra celeriter ædificabatur. Eo die cœnavi apud Crassipedem. Cœnatus, in hortos ad Pompeium lectica latus sum. Lucceium convenire non potueram, quod abfuerat. Videre autem volebam, quod eram postridie Roma exiturus, et quod ille in Sardiniam

1. *Forma*. Quam Minucius fecerat. Epist. 2 hujus libri. Man.

iter habebat. Hominem conveni, et ab eo petivi, ut quam primum te nobis redderet. Statim dixit. Erat autem iturus (ut aiebat) a. d. III id. apr. ut aut Labrone[2], aut Pisis conscenderet. Tu, mi frater, simul ac ille venerit, primam navigationem (dummodo idonea tempestas sit) ne omiseris. Ἀμφιλαφίαν[3] autem illam, quam tu soles dicere, bono modo[4] desidero, sic prorsus, ut advenientem excipiam libenter; latentem etiam nunc, non excitem. Tribus locis ædifico, reliqua reconcinno; vivo paullo liberalius, quam solebam. Opus erat[5], si te haberem, paullisper fabris locum dare. Sed et hæc[6] (ut spero) brevi inter nos communicabimus. Res autem romanæ sic sese habent. Consul est egregius Lentulus, non impediente collega: sic, inquam, bonus, ut meliorem non viderim. Dies comitiales exemit[7] omnes. Nam etiam Latinæ[8]

2. *Labrone*. Non dubito, quin de Ligurni, ut nunc appellant, portu intelligat. Vocem corrupit, ut alias innumerabiles, vetustas. MANUT. — Wesseling. ad Itinerar. Antonin. pag. 293, conj. *Salebrone*. J. V. L.

3. Ἀμφιλαφίαν. Mihi videtur esse cautionis genus, quum eam rationem tenemus, ut ad utrumque parati simus, ut quodcumque acciderit, eo recte uti possimus; ut duarum rerum simul rationem habeamus, quarum una videtur cum altera non satis consistere posse. ERN. — Vox eadem legitur iterum hoc eodem libro, ep. 15.

4. *Bono modo*. Non « omnino », sed « quadam ex parte »: μετρίως quod Græci dicunt, ut *bono* temperamentum quoddam, non ut alibi, magnitudinem significet. Sic lib. II Acad. « Hæc tibi... tam sunt defendenda, quam mœnia: mihi autem bono modo, tantum, quantum videbitur ».

5. *Opus erat*. Opus erat ad relaxationem animi mei, ut paullisper ab his tumultibus secederem, ac fabris locum darem. Defessus enim jam sum ex molestia, quam illis urgendis capio. Id igitur facerem, si te haberem. MANUT.

6. *Sed et hæc*. Dixerat jam, « sed hæc coram agemus », quum de discordiis mulierum meminisset. Recte igitur usus est particula, *et*: ut significet velle se non illa tantum superiora, sed et hæc præsenti sermoni reservare. IDEM.

7. *Exemit*. Sustulit, effecit, ne per eos lege agi posset: ne scilicet C. Cato tribunus pl. quas de P. Lentulo Spinthere et Annio Milone rogationes promulgaverat, eas perferre posset. IDEM.

8. *Etiam Latinæ*. Quum dicat *etiam* liquet, non instaurandis modo Latinis exemptos esse a Lentulo comitiales

instaurantur[9]: nec tamen deerant supplicationes[10]. Sic legibus perniciosissimis obsistitur, maxime Catonis; cui tamen egregie imposuit Milo noster. Nam ille vindex gladiatorum et bestiariorum emerat de Cosconio et Pomponio bestiarios; nec sine his armatis umquam in publico fuerat. Hos alere non poterat; itaque vix tenebat. Sensit Milo. Dedit cuidam non familiari negotium, qui sine suspicione emeret eam familiam a Catone: quæ simul atque abducta est, Racillius, qui unus est[11] hoc tempore tribunus plebis, rem patefecit, eosque homines sibi emptos esse dixit (sic enim placuerat), et tabulam proscripsit[12], SE FAMILIAM CATONIANAM VENDITURUM. In eam tabulam magni risus consequebantur. Nunc igitur Catonem Lentulus a legibus removit, et eos, qui de Cæsare monstra[13] promulgarunt, quibus intercederet nemo. Nam quod de Pompeio Caninius[14] agit, sane quam refrixit. Neque enim res probatur, et Pompeius noster in amicitia P. Lentuli vituperatur[15], et

dies, sed alio etiam genere impedimenti, cujusmodi erat, « servare de cælo ». Man.

9. *Instaurantur.* Quasi, faciendis iis, aut prætermissum aliquid esset, aut, quod non oporteret, commissum. Quibus de causis, sæpe legimus apud Livium, instauratos esse ludos. Instauratas autem decreto pontificum Latinas, ex Livii libro XXXII planum est. Idem.

10. *Supplicationes.* Quæ imperatoribus pro re bene gesta decernebantur: eæque dum fierent, lege agere non licebat. Idem.

11. *Unus est.* Non quia re vera unus, sed quod unus inter omnes eo magistratu dignus esset. Idem.

12. *Proscripsit.* In publico posuit; quum in ea scripsisset, servos sese venditurum C. Catonis: quod illi esse dedecori intelligebat. Idem.

13. *Monstra.* Leges perniciosissimas. Idem.

14. *Caninius.* Tribunus plebis, qui rogationem promulgaverat, ut Pompeius regem Ptolemæum cum duobus legatis restitueret. Hoc Cicero significat, obscure ille quidem, sed Plutarch. apertissime. Idem.

15. *Vituperatur.* Qui, quum a Lentulo fuisset ornatus, restituendi Ptolemæi regis honorem ei vellet eripere. Ornamentum autem in Pompeium a Lentulo profectum, id fuit, quod, ut rei frumentariæ præficeretur, consul anno proximo retulerat. De his vid. I, epist. 1 ad Lentulum. Ed.

hercule non est idem. Nam apud illam perditissimam atque infimam fæcem populi, propter[16] Milonem, suboffendit; et boni multa ab eo desiderant, multa reprehendunt. Marcellinus autem hoc uno mihi quidem non satisfacit, quod eum nimis aspere tractat: quamquam id senatu non invito facit; quo ego me libentius a curia et ab omni parte reipublicæ subtraho. In judiciis ii sumus, qui fuimus. Domus celebratur ita, ut quum maxime. Unum accidit imprudentia Milonis incommode, de S. Cœlio[17]: quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accusatoribus mihi placuit accusari. Ei tres sententiæ teterrimæ in consilio[18] defuerunt. Itaque hominem populus revocat[19], et retrahatur necesse est. Non enim ferunt homines. Et quia, quum apud suos[20] diceret, pæne damnatus est, vident damnatum. Ea ipsa in re Pompeii offensio nobis obstitit. Senatorum enim urna[21] copiose absolvit, equitum adæquavit[22], tribuni ærarii condemnarunt. Sed hoc incommodum consolantur, quotidianæ damnationes inimicorum, in quibus me perlubente Servius allisus est, ceteri conciduntur. C. Cato concionatus est, comitia haberi non situ-

16. *Propter Milonem.* Defensum contra Clodii accusationem VIII id. febr. MAN.

17. *Clodio.* Ita Manut. et Lambin. Vetustiores, *Cœlio*. Gruter. *Clœlio*.— Gruterus legendum putat « S. Clœlio »; rectius vero Manutius, « Sext. Clodio », collat. orat. pro M. Cœlio, cap. 32. J. V. L.

18. *In consilio.* Judicum.

19. *Revocat.* Rursus accusandum.

20. *Apud suos.* Quod ei judices faverent. Opinor, quia non optime in Pompeium essent animati. Sequitur enim, « Pompeii offensio nobis obstitit ». MANUT.

21. *Urna.* Tres erant urnæ, quum tres ordines, senatores, equites, tribuni ærarii ex ea lege, quam tulerat in prætura L. Aurelius Cotta, judicarent. In eas separatim cujusque ordinis tabellæ conjiciebantur. IDEM.

22. *Adæquavit.* Pari numero fuerunt, qui condemnarent, et qui absolverent.

23. *Non siturum.* Nec sivit, tribunitio intercedendi jure. Nulla enim hoc anno habita comitia, ac ne duo-

rum[23], si sibi cum populo dies agendi essent exempti[24]. Appius[25] a Cæsare nondum redierat. Tuas mirifice literas exspecto : atque adhuc clausum mare scio fuisse; sed quosdam venisse tamen Ostia[26] dicebant, qui te unice laudarent, plurimique in provincia fieri dicerent. Eosdem[27] aiebant nuntiare, te prima navigatione transmissurum. Id cupio; et, quamquam te ipsum scilicet maxime, tamen etiam literas tuas ante exspecto. Mi frater, vale.

bus quidem proxime sequentibus, sed ex interregno consules per triennium creatos, Cicero ipse aliquot locis, et Dio libro XXXIX, præterea Plutarchus Appianusque declarant. Hoc autem anno, sublatis comitiis a C. Catone tribuno plebis, vestem senatus mutavit. Epitome, Dio, etc. MAN.

24. *Exempti.* Eximebat Marcellinus consul, ut ejus perniciosissimis legibus obsisteret. Supra. IDEM.

25. *Appius.* P. Clodii frater, nondum e Gallia Cæsaris provincia, etc. IDEM.

26. Al. malunt *Olbia*, Sardiniæ urbe. J. V. L.

27. Sic Victorius, Lambin. Ernest. Vulg. *Iidem*. J. V. L.

EPISTOLA VII.

De itinere suo, et exspectatione Quinti. (Antii, anno U. C. 697, mense aprili.)

MARCUS Q. FRATRI S.

A. D. III id. april. ante lucem hanc epistolam dictaveram, scripseramque in itinere, ut eo die apud T. Titium in Anagnino manerem. Postridie autem in Laterio[1] cogitabam; inde, quum in Arpinati quinque dies fuissem, ire in Pompeianum; rediens adspicere Cumanum[2], ut, quoniam in non. maias Miloni dies[3] prodita est, prid. non. Romæ essem, te-

1. *Laterio.* Fundo Quinti, in Arpinati. Ep. I, lib. III, et ad Att. ep. 7, l. IV. MANUTIUS.

2. *Pompeianum... Cumanum.* Non Quinti, sed ipsius Marci fundos. ID.

3. *Dies.* Judicii. Supra. IDEM.

que, mi carissime et suavissime frater, ad eam diem (ut sperabam) viderem. Ædificationem Arcani[4] ad tuum adventum sustentari[5] placebat. Fac, mi frater, ut valeas, quamprimumque venias.

4. *Arcani.* Villa Quinti fuit. Man.

5. *Sustentari.* Differri. Pudet in iis verbis immorari, quorum usum congesta in libros exempla declarant. Tametsi in his ipsis, qui omnes divitias nomine pollicentur, est sane cur aliquid atque adeo multa, nec ea levia, desiderentur. Idem.

EPISTOLA VIII.

De supplicatione Gabinio negata, et desiderio suo fratris videndi.
(Romæ, anno U. C. 697, mense junio.)

MARCUS Q. FRATRI S.

O literas mihi tuas jucundissimas, exspectatas, ac primo quidem cum desiderio, nunc vero etiam cum timore[1]! Atque has scito literas me solas accepisse post illas, quas tuus nauta attulit, Olbia datas. Sed cetera (ut scribis) præsenti sermoni reserventur: hoc tamen non queo differre. Id. maiis senatus frequens, divinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. Adjurat Procilius[2] hoc nemini accidisse[3]. Foris valde plauditur. Mihi quum sua sponte jucundum, tum jucundius, quod me absente (est enim εἰλικρινὲς[4] judidium) sine oppugnatione, sine gratia nostra. Eram Antii. Quod idibus et postridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri, non est actum. In hac causa mihi

1. *Cum timore.* Propter pericula, quæ navigantibus impendent. Tislin.

2. Legendum forte, ut quidam habent, *Procillius.* J. V. L.

3. *Nemini accidisse.* Ut imperatoris literis, bene gestam remp. nuntiantibus senatus non crederet. Manut.

4. Εἰλικρινὲς *judicium.* Sincerum est ac simplex judicium senatus: nihil in eo gratiæ tribuit. Idem.

aqua hæret[5]. Sed plura, quam constitueram: coram enim. Vale, mi optime et optatissime frater, et advola. Idem te nostri rogant pueri: illud scilicet[6], cœnabis quum veneris.

5. *Aqua hæret.* Quam in partem me dem, quid sententia dicam, incertus sum. Ductum a clepsydris; in quibus non semper fluebat aqua, sed interdum hærebat immobilis. Man.

6. *Illud scilicet.* Sententia Ciceronis hæc est: Veni, hoc rogamus ego et Cicerones. Ubi veneris, adventoria tibi dabitur. « Illud scilicet », valet, Illud scias, vel cognoscas licet, vel, Illud sci, licet. Gronov. Observat. III, 9.

EPISTOLA IX.

Quid cum Pompeio et Crasso coss. de operibus et inscriptionibus egerit, quid profecerit, et quid in senatu actum sit, perscribit. (Romæ, anno U. C. 698, mense maio.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Placiturum tibi esse librum[1] meum suspicabar: tam valde placuisse, quam scribis, valde gaudeo. Quod me admones de nostra Urania[2] suadesque, ut meminerim Jovis orationem, quæ est in extremo illo libro: ego vero memini, et illa omnia mihi magis scripsi, quam ceteris.

1. *Librum.* Hic liber, quo erat in extremo Jovis oratio, qui fuerit, ignoratur. Crediderim fuisse poema. Nam, inducere Jovem loquentem, poeticum quiddam est, non oratorium. Ac forte intelligendum est de versibus illis, quibus acta consulatus sui persequutus est. Man.

2. *De nostra Urania.* Vulgo « de non curantia ». Ego ausus sim propemodum affirmare, « de nostra Urania » scribendum esse hoc loco. Satis enim constat M. Tullium, tres libros de suo consulatu carmine scripsisse, eosque a trium Musarum nominibus appellasse: certe Musis in eis loquendi partes dedisse. In quibus *Uraniam* fuisse ea testantur, quæ sunt in libro primo de Divinatione, totidem verbis: « Sed quo potius utar aut auctore, aut teste, quam te, cujus edidici etiam versus, et libenter quidem, quos in secundo de consulatu Urania Musa pronuntiat? » His ergo argu-

Sed tamen [3] postridie, quam tu es profectus, multa nocte cum Vibullio veni ad Pompeium. Quumque ego egissem de istis operibus [4] atque inscriptionibus, per mihi benigne respondit; magnam spem attulit. Cum Crasso se dixit loqui velle; mihique, ut idem facerem, suasit. Crassum consulem ex senatu domum reduxi: suscepit rem; dixitque esse, quod Clodius hoc tempore cuperet per se, et per Pompeium consequi; putare se, si ego eum non impedirem, posse me adipisci sine contentione, quod vellem. Totum ei negotium permisi, meque in ejus potestate dixi fore. Interfuit huic sermoni P. Crassus adolescens, nostri (ut scis) studiosissimus. Illud autem, quod cupit Clodius, est legatio aliqua, si minus per senatum, per populum [5], libera, aut Byzantium, aut ad Brogitarum [6], aut utrumque [7]. Plena res nummorum. Quod ego non nimium laboro, etiamsi minus assequor,

mentis videmur non inepte *Urania* restituisse. Malasp. — Certam Leon. Malæspinæ conjecturam hic esse puto. Lamb.

3. *Sed tamen.* Ita loquimur interdum, quum, omisso, qui erat institutus, sermone, novam aggredimur narrationem. Non enim est hic, « sed tamen », ea sententia usurpatum, ut indicet contrarium aliquid iis, quæ jam dixit. Man.

4. *Operibus.* Videtur ejusmodi res fuisse, quæ fieri sine publica consensione non posset. Itaque dabat operam Cicero, ne Clodius adversaretur, et ut Pompeio Crassoque adjutoribus uteretur. Opera vero ipsa, atque inscriptiones, de quibus laborabat Quintus, crediderim significari in epist. 1 libri III, ubi mentio de Telluris æde fit. Nam ad eam ædem fieri quiddam, atque inscribi suo nomine, Quintus volebat. Id curavit Cicero, ut scribit ipse in eo loco, diligenter: statuam etiam fratris locavit. Idem.

5. *Per populum.* Dandarum legationum jus ad senatum pertinebat. Clodius, si per senatum non posset, confugere ad populum cogitabat. Id homines populares facere solitos esse, ut Cæsarem de provincia, Vatinium de legatione, animadverti. Man.

6. *Byzantium, aut Brogitarum.* Ut a Byzantiis, quod eos tribunus pl. ab exsilio sua lege restituerat; a Brogitaro autem, quod eum Matris Magnæ templo præfecerat, promissam pecuniam exigeret. Ideo subjungit Cicero, « plena res nummorum ». Hac utraque de re satis aperte in oratione pro Sextio. Idem.

7. *Aut utrumque.* Vel *utroque*, ut

quod volo. Pompeius tamen cum Crasso loquutus est. Videntur negotium suscepisse. Si perficiunt, optime; sin minus, ad nostrum Jovem[8] revertamur.

A. d. III id. maii senatusconsultum est factum de ambitu[9] in Afranii sententiam, quam ego[10] dixeram, quum tu adesses, sed magno cum gemitu senatus. Consules[11] non sunt persequuti[12] eorum sententias, qui Afranio quum essent assensi, addiderunt, ut prætores ita crearentur, ut dies LX privati[13] essent. Eo die Catonem plane repudiarunt[14]. Quid multa? tenent omnia; idque ita omnes intelligere volunt.

ad legationem referatur, malim legere : vel, si *utrumque* retinemus, ad verbum *cupit* accommodetur. MAN.

8. *Ad nostrum Jovem.* Ut ea, quæ Jupiter in extremo illo libro præcipit, observemus.

9. *De ambitu.* Eorum magistratuum causa, quos proxime creari oportebat. Ii prætores erant. Nam consules ex interregno creati jam erant Pompeius et Crassus. Qui quum id spectarent, quod etiam consequuti sunt, ut petentibus præturam M. Catone et P. Vatinio, Catoni Vatinius, integerrimo civi omnium nequissimus, anteferretur; neque id se posse obtinere sine ambitu sperarent; cavere sibi a legibus voluerunt, senatusconsulto facto, ne, qui præturam per ambitum cepisset, ei propterea fraudi esset. Nimis hoc improbum videtur, sed patet ex Plut. in Cat. Utic. MAN.

10. *Quam ego dixeram.* Interp. Mongalt. « quam ego dixeram in senatu ». Negat Manut. eo turpitudinis Ciceronem venisse, ut, quum antea consul legem contra ambitum tulisset, idem sententiam in senatu diceret de impunitate iis danda, qui per ambitum deliquissent. Exponit igitur, « quam dixeram », de qua tecum loquutus eram. Sch. conjicit : « contra quam ego dixeram ». ED.

11. *Consules.* Pompeius et Crassus. MANUT.

12. *Non sunt persequuti.* Noluerunt, inquit, discessionem fieri a senatu, quo posset intelligi, probarentur necne eorum sententiæ, qui Afranio, etc. IDEM.

13. *Ut dies LX privati essent.* Eo nimirum consilio, ut accusare volentibus eos, qui per ambitum prætores creati essent, spatium daretur. Nam, si præturam protinus iniissent, accusandi locus non fuisset. Non enim eos, qui essent in magistratu, licebat postulare. IDEM.

14. *Repudiarunt.* Nomen ejus, præturam petentis, recipere noluerunt, quod Ahenobarbo erat affinitate conjunctus. IDEM.

EPISTOLA X.

Respondet epistolæ Quinti, et eum jocose castigat, quod veritus esset ne se interpellaret, eumque ut mox advolet et Marium adducat, rogat. (In Puteolano, anno U. C. 698, mense maio.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Tu metuis, ne me interpelles? Primo, si in isto essem, tu scis, quid sit interpellare. An te Ateius? Mehercule mihi docere videbaris[1] istius generis humanitatem : qua quidem ego nihil utor abs te. Tu vero ut me et appelles, et interpelles, et obloquare, et

1. *Videbaris istius generis humanitatem*, etc. Ant. Faern. aliquot alii, *videbis*. Rectum arbitror, *videris* : ut hominem fraterne castiget, cui quidem in mentem venire potuerit, vereri, ne se interpellaret. Tu, inquit, mihi videris istiusmodi humanitatis exemplum inter nos inducere, quod mihi sequi non libeat. Ita enim illud accipio, « qua quidem nihil utor abs te ». Non est autem quod illa : « Tu scis quid sit interpellare », cum nota sciscitandi legamus cum Malasp. qui ita intelligit : « Tu times ne me interpelles? Primum, si in isto essem, ut nollem interpellari, tu scis quid sit interpellare? » hoc est, videris mihi nescire quid sit interpellare, quum tu mihi importunus advenire numquam possis. An te Ateius interpellat? Sane mihi videris istius generis humanitatem docere, quia ego non utor abs te: h. e. nolo a te discere. Nam arbitratu meo ad te accedam, de interpellatione nihil sollicitus. Quod si vulgatam sequamur, quum in reliquis omnibus, tum in illo, « qua quidem nihil utor abs te », non parum frigoris inerit. Sed non omittam illud quod mihi venit in mentem, subvereri, ne in illis, « an te Ateius? » mendum sit. Nam primo, quis hic Ateius, Quinto tam familiaris, ut quidvis agenti, importunus advenire numquam posset? Certe, quum tanta charitas esset duorum fratrum, ut nemo uni amicus esse posset, quin alteri esset carissimus, in tot tamque variis scriptis M. Tullii taceri Ateius non debuit. Deinde in Antoniano et nonnullis aliis manuscriptis, non « an te Ateius », sed « antea te is », legitur. Perperam ipsum quidem, sed quod tamen vulgatæ suspicionem creet, quæ aliis quoque de causis suspecta potuit esse. Quamquam aliter etiam exponi posse videtur, nempe, an te Ateius hanc humanitatem docuit? ut Ateium Capitonem significet, jurisconsultum quidem præcellentem, sed aditu fortasse difficillimum : qui quum et in respondendo et in scribendo esset occupatissimus, interpellari se ægre pateretur. Hujus a Gellio

colloquare, velim. Quid enim mihi suavius? Non mehercule quisquam μουσοπάτακτος [2] libentius sua recentia poemata legit, quam ego te audio quacumque de re, publica, privata, rustica, urbana. Sed mea factum est insulsa [3] verecundia, ut te proficiscens non tollerem [4]. Opposuisti semel ἀντείσακτον [5] causam, Ciceronis nostri valitudinem; conticui. Iterum Cicerones [6]; quievi. Nunc mihi jucunditatis plena epistola hoc adspersit molestiæ, quod videris, ne mihi molestus esses, veritus esse, atque etiam nunc vereri. Litigarem tecum, si fas esset: sed mehercule istuc si umquam suspicatus ero, nihil dicam aliud, nisi verebor, ne quando ego tibi, quum sum una, molestus sim. Video te ingemuisse. Sic fit [7], εἰ δ' ἐν αἴᾳ [8] ἔζησας. Numquam enim dicam, ἔα πάσας [9].

Marium autem nostrum in lecticam mehercule con-

scripta non pauca commemorantur, « de judiciis publicis, de jure pontificio, collectanea ». Quamquam eo tempore duo Ateii inveniantur fuisse: L. et C. utrique Capitones. Prioris mentio fit in epistola Cœlii ad Ciceronem; posterioris, in epistola Ciceronis ad Plancum. Malasp.— Lallem. ex uno e codd. regiis, « Anteis mehercule mihi: docere videbaris istius g. h. » J. V. L.

2. Μουσοπάτακτος. Id est, a Musis percussus et vulneratus. Πάταγος enim sonus est, qui ex percussione resultat. Vict.

3. *Insulsa*. Sic conjicit Victorius lib. VI Var. Lect. cap. 6, quum esset in libris *infusa*, in editis *invisa*; nec rejiciat *insita*. Grut.

4. *Non tollerem*. Ab urbe discedens, non asportarem, eadem scilicet, qua ego vectus sum, lectica. Man.

5. Ἀντείσακτον. Placet, quod video scriptum esse in Bessarionis libro, ἀντεισακτον, hoc est, adductam contra voluntatem meam. Id. — Petrus Victorius legebat, et probabile Lambino videtur, ἀναντίλεκτον, cui contradici non potest. Hanc lectionem Sch. in textum recipit. Ed.

6. *Iterum Cicerones*. Victor. dedit *Ceteri omnes*.

7. *Sic fit*. Sic ulciscor eos, a quibus lacessor immerito.

8. Εἰ δ' ἐν αἴᾳ ἔζησας. Id est, si in terra vixisti. Ex incerto auctore. Initium sententiæ, cujus vim se scire negant interpretes, quod totam sententiam non adscripsit Cicero. Ern.

9. Ἔα πάσας. Mitte omnes. Et hunc locum interpretes negant se intelligere. Lamb. omissum dicit μελεδῶνας. Integrum erit igitur, « Mitte omnes curas ».

jecissem, non illam regis Ptolemæi Anicianam[10]: memini enim, quum hominem portarem ad Baias, Neapoli, octophoro[11] Aniciano, machærophoris[12] centum[13] sequentibus, miros risus nos edere, quum ille ignarus sui comitatus, repente aperuit lecticam, et pæne ille timore, ego risu corrui. Tunc[14] ut dico, certe sustulissem, ut aliquando subtilitatem veteris urbanitatis, et humanissimi sermonis attingerem. Sed hominem infirmum in villam apertam, ac ne rudem[15] quidem etiam nunc, invitare nolui. Hoc vero mihi peculiare fuerit, hic etiam isto frui: nam illorum prædiorum scito mihi vicinum Marium lumen[16] esse. Apud Anicium videbimus, ut paratum[17] sit. Nos enim ita philologi sumus, ut vel cum fabris habitare possimus. Habemus hanc philosophiam, non ab Hymetto,

10. *Anicianam*. Quam Ptolemæus, Ægypti rex, qui a suis civibus ejectus Romæ aliquamdiu fuit, Anicio dono dederat, uni fortasse de suis creditoribus, vel familiari suo, cujus opera usus erat Romæ. Ern.

11. *Octophoro*. Quem octo servi gestarent.

12. *Machærophoris*. Gladium ferentibus. Hic fuerat comitatus regis Ptolemæi. Ed.

13. *Centum*. Non puto Ciceronem hujusmodi comitatu esse usum. Vix hoc Milonis aut Clodii insaniæ tulissent. Ac, si Ciceronem sequuti essent, non extimuisset Marius, quasi ad adspectum novæ rei. Crediderim igitur casu contigisse, ut eadem via post octophorum Anicianum sequerentur illi machærophori, quibus visis, Marium, qui non animo minus quam valitudine esset infirmus, hominum et machærarum subita specie perterritum pæne corruisse. Manut

14. *Tunc*. Forte verius *hunc*: de quo scilicet loquuti sumus.

15. *Rudem*. Lambin. *tutam*.

16. *Vicinum Marium lumen esse*. P. Victorius tollit vocem *lumen* lib. VI Var. Lect. cap. 7, sed non necessario. Grut. — Felicissime emendavit unus e professor. Academ. Parisiens. (J. A. *Auvray*), « in vicinum Marium lumen esse ». J. V. L.

17. *Paratum*. Marii causa; ut sit, ubi homo infirmus commode excipiatur. Nam ego ita sum philologus, hoc est, ita literarum studiosus, ut mollis tamen minime sim: quales fere sunt, quos librorum consuetudo tenet. Possum, inquit, vel cum fabris habitare. Non enim mea philosophia luxum, et voluptatem, et mollitiam sequitur. Ea me non oblectavit in Hymetto, monte Atticæ amœnissimo, sed in area cum servis Syris, qui ædificant, duriter

sed ab area Syra[18]. Marius et valitudine est, et natura imbecillior. De interpellatione, tantum sumam a vobis temporis ad scribendum, quantum dabitis. Utinam nihil detis, ut potius vestra injuria, quam ignavia mea cessem! De republica nimium te laborare doleo, et meliorem civem esse, quam Philoctetem[19], qui, accepta injuria, illa spectacula[20] quærebat, quæ tibi acerba esse video. Amabo te; advola : consolabor te, et omnem abstergebo dolorem : et adduc, si me amas, Marium. Sed adproperate. Hortus domi est.

exercuit. Jocatur, quum « se philosophari in area », hoc est, suum studium in fabris exercendis ponere significat. MANUT.

18. *Area Syra.* In qua servi Syri opus faciunt. ID. — Locus in codicibus corruptus. Fortasse *Cyrea*, ut Attic. IV, 10, a Cyro, architecto, de quo ibid. II, 3.

19. *Philoctetem.* Ille Herculis comes, accepta a suis civibus, hoc est, a Græcis, injuria, quum in Lemno insula destitutus est, exsecrabatur eos, a quibus eam injuriam immerito tulisset. Tu contra; quum eos cives, qui nos indignissimis et iniquissimis modis vexarunt, doles tamen, etc. MAN.

20. *Illa spectacula*, etc. Calamitates et miserias suorum civium gravissimas. IDEM.

EPISTOLA XI.

De Tenediis frustra libertatem petentibus : de laudibus Quinti, et de Lucretii ac Sallustii poematibus. (Anno U. C. 698, mense januario.)

MARCUS Q. FRATRI S.

EPISTOLAM hanc convicio efflagitarunt codicilli tui. Nam res quidem ipsa, et is dies, quo tu es profectus, nihil mihi ad scribendum argumenti sane dabat. Sed quemadmodum coram quum sumus, sermo nobis deesse non solet, sic epistolæ nostræ debent interdum hallucinari. Tenediorum[1] igitur libertas securi Tene-

1. *Tenediorum.* Petitum est a legatis ex insula Tenedo missis, ut Tenedii suis legibus viverent. Negatum. Potius enim censuit senatus, ut eadem

dia[2] præcisa est; quum eos præter me, et Bibulum, et Calidium, et Favonium nemo defenderet. De te[3] magis ab Sipylo[4] mentio est honorifica facta, quum te unum dicerent postulationi L. Sextii Pansæ[5] restitisse. Reliquis diebus, si quid erit, quod te scire opus sit, aut etiam si nihil erit, tamen scribam quotidie aliquid. Prid. id. neque tibi, neque Pomponio[6] deero. Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt[7]: multis luminibus in-

conditione, qua ceteri in provincia populi romani, tenerentur, hoc est, ut legibus a populo rom. aut a provinciali magistratu datis uterentur. Manut.

2. *Tenedia securi.* Inde translatum quod olim rex Tenedi securim gestans, lites audire consuevit; causaque judicata, protinus eam qui fecisset injuriam, securi percutere. Aut quod Tenedius quidam rex legem tulit in adulteros, ut utriusque corpus securi concideretur; ejusque legis exemplum etiam in filium edidit. Cujus rei et meminit Stephanus in urbium Catalogo. Erasm. apud quem plura, Adag. Chil. 1, cent. IX.

3. *De te.* Quia Tenedum et Sipylum Quintus, quum esset in Asia pro prætore, triennio ante rexerat. Sipyli autem legati potius, quam Tenedi, Quintum in senatu laudarant. Man.

4. Interpretamur juxta Victorium legentem, «Magnetibus ab Sipylo». J. V. L.

5. *Pansæ.* Postulantis aliquid, opinor, pro publicanis contra Asiaticos, quod ei concedi jus non esset. Nam inter provinciales et publicanos vectigalium causa numquam defuit contentio. Man.

6. *Neque tibi, neque Pomponio.* Forte, ut communem utriusque rem in aliqua causa defenderet. Idem.

7. *Ita sunt.* Ejusmodi sunt, qualia tu scribis esse, multis illa quidem ingenii luminibus, multæ tamen etiam artis. Quibus verbis plus in Lucretio declarat ingenii, quam artis esse. Quod sane hi quoque ipsi, qui ad nostram ætatem pervenerunt, sex illius libri satis indicant. Idem. —Victorius edidit «non ita sunt», quum vulgo legeretur «ita sunt». Nos, inquit, non veriti sumus hanc licet satis receptam lectionem delere. In manu enim scriptis libris non invenimus, et nullo modo rectam esse judicamus. Nam quæ infra posita sunt verba, «multæ tamen artis», necesse est ut antecedenti sententiæ repugnent. Quum igitur *artem* in illis laudet, verisimile est aliquid prius improbatum fuisse. Quod si cui mirum videtur judicatum esse quandoque Lucretium elegantissimum atque ornatissimum poetam non satis multis ingenii luminibus sua poemata scripsisse, is judicium Quinti reprehendat. Nam suspicari possumus, quum quo modo potest eum tueatur et ornet Marcus Cicero, non valde (etsi videatur illud confirmare) fratris judicio de hac re stetisse; noluisse tamen iracundo homini adversari: qui fortasse quod ipse quoque versus scribebat, invidia motus verum non videbat: potuit tamen sic judicare, quod Lucretius poema

genii, multæ tamen artis. Sed quum veneris, virum[8] te putabo, si Sallustii Empedoclea legeris; hominem non putabo. Vale.

suum non contexuit ut ingenium ejus elucescat, sed rationem ab Epicuro traditam summa industria et artificio explicavit. VICT.—Ernest. « ita sunt : non multis luminibus ingenii ». Aliquot etiam MSS, « at multæ tamen artis ». J. V. L.

8. *Virum.* Id est, fortem et patientem et malis invictum : si potueris ferre, id est, patienter legere, seu audire tam indoctum poema. *Hominem non putabo.* Id est, putabo te omnis humanitatis expertem, ferum, immanem, seu sensus expertem. LAMB.

EPISTOLA XII.

Quomodo Appio consuli restiterit, et cum Cæsare per literas jocatus sit, commemorat. (Romæ, anno U. C. 699, mense febr.)

MARCUS Q. FRATRI S.

GAUDEO tibi jucundas esse meas literas : nec tamen habuissem scribendi nunc quidem ullum argumentum, nisi tuas accepissem. Nam prid. id. quum Appius senatum infrequentem coegisset, tantum fuit frigus, ut populi[1] convicio coactus sit nos dimittere. De Commageno rege, quod rem[2] totam discusseram, mirifice mihi et per se, et per Pomponium blanditur[3] Appius. Videt enim, hoc genere dicendi si utar in ceteris, februarium sterilem futurum; eumque lusi jocose satis; neque solum illud extorsi oppidulum, quod

1. *Populi.* Stantis ante fores curiæ in Græcostasi et gradibus, ut fere habes in epist. 1 huj. lib. MAN.

2. *Rem.* Quæ huc faciant, aliqua collegit Henr. Noris, de Epoch. Syromacedonum, Dissert. II, cap. 4.

3. *Blanditur.* Metu : ne itidem ceteris legatis, aut regibus, aliquid a senatu petentibus, obsistam. Quod ideo Appius nolle videbatur, quia, quum aliquid eorum causa senatus decrevisset, munera mercedis loco, aut etiam pactam mercedem consuli, qui ad senatum retulisset, dare con-

erat positum in Euphrate et Zeugmate[4]; sed præterea togam sum ejus prætextam, quam erat adeptus Cæsare consule[5], magno hominum risu cavillatus. «Quod non vult[6], inquam, renovare honores eosdem, quo minus togam prætextam quotannis interpolet; decernendum nihil censeo. Vos autem homines nobiles, qui Busrenum[7] prætextatum non ferebatis, Commagenum feretis?» Genus vides et locum jocandi. Multa dixi in

suessent. Id significant illa verba, quæ sequuntur: «Videt, hoc genere dicendi si utar in ceteris, februarium sterilem». Man.

4. *Et Zeugmate.* Affirmo, «et Zeugmate», Ciceronis non esse: et, ut olim in jure solebant, sic ego sponsionem facerem, ni glossema sit. Idem. —Vereor, ne temerariam fecerit sponsionem Manutius. Id enim oppidum erat positum in Euphratis transitu, vel ad pontem Euphratis, unde dictum fuerat *Zeugma*, quæ vox Græcis pontem, vel fluvii trajectum significat. Plin. lib. V, cap. 24, sect. 21: «Zeugma transitu Euphratis nobile». Gruteri vetus liber habebat, «in Euphrati Zeugmate». Sic etiam codex Sorbonicus. Potuit *Euphrati* pro *Euphratis* scribi, ut multa id genus. Ac profecto si legas «in Euphratis Zeugmate», aliquid vulgato melius habebis. Oliv. — *Et Zeugmate* videtur e glossa fluxisse. J. V. L.

5. *Cæsare consule.* Aut, quia consulatum Cæsar solus gessit, Bibulo collega domi incluso, aut, quia Cæsar ad senatum retulit de honore togæ prætextæ Commageno regi impertiendo. Man.—Quos honores regibus sociis et amicis senatus daret, exposuit Barn. Brisson. Form. p. 261.

6. *Quod non vult.* Retinui quod dederunt omnes. Victorius voluit, «Quod vult». Quo sententiæ bono intrusa negatio sit, intelligere nondum potui. Quis enim credat, noluisse regem Commageuum, per se *ignobilem*, eos sibi honores concessione iterata confirmari, quos habebat datos a senatu? Tum, cur diceret Tullius, a se rem totam esse discussam, totum regem explosum? Non videtur ergo dubitabile, quin vera sit scriptura Victorii. Porro, locus hic totus cavillationem habet, et jocum ex ambiguo. Unde intelligi facilius potest, quam explicari. Nam in jocationes convenit id, quod Aristoteles de translationibus notavit, Rhetor. III. Eas nemo ab aliis accipit, sed sibi facit ipse. Ad intelligendum accedet paratior, qui hæc meminerit. Toga *prætexta* vestis est apud Romanos honorata, et ejus ferendæ privilegium regi concessum. *Interpolare* togam, est vestem detritam reficere, et ejus ferendæ honorem renovare. *Quo minus* significat *ut non*, et *quin*. Quo pacto ludat in hac ambiguitate orator, quisque sibi dicet. Oliv. — *Non vult.* Lege *nos*, vel *nunc*. J. V. L.

7. *Busrenum.* Regis barbari nomen; qui tamen paullo, quam Commagenus erat nobilior. Ei quoque permiserat senatus, ut prætexta, itidem ut magistratus romani, posset uti; quum nobiles inique ferrent, eo barbaros

ignobilem regem: quibus totus est explosus. Quo genere commotus (ut dixi) Appius, totum me amplexatur. Nihil est enim facilius, quam reliqua discutere[8]. Sed non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis Hospitalis[9], Graios omnes convocet, per quos mecum in gratiam rediit. Theopompo satisfaciemus. De Cæsare fugerat me ad te scribere. Video enim, quas tu literas exspectaris. Sed ille scripsit ad Balbum, fasciculum illum epistolarum, in quo fuerat et mea, et Balbi, totum sibi aqua madidum redditum esse : ut ne illud quidem sciat, meam fuisse aliquam epistolam. Sed ex Balbi epistola pauca verba intellexerat, ad quæ rescripsit his verbis : « De Cicerone video te quiddam scripsisse, quod ego non intellexi ; quantum autem conjectura consequebar, id erat hujusmodi, ut magis optandum, quam sperandum putarem. » Itaque postea misi ad Cæsarem eodem illo exemplo literas. Jocum autem illius de sua egestate ne sis aspernatus. Ad quem ego rescripsi, nihil esse, quod posthac arcæ nostræ[10] fiducia conturbaret; lusique in eo genere et familiariter, et cum dignitate. Amor autem ejus erga nos perfertur omnium nuntiis singularis. Et literæ quidem ad id, quod exspectas, fere cum tuo reditu jungentur; reliqua singulorum dierum scribemus ad te, si modo tabellarios tu præbebis. Quamquam ejusmodi frigus impendebat, ut

honore impertiri, qui magistratuum romanorum proprius esse deberet. Man. — Mire variat nomen istud in MSS nostris. Nam Pal. pr. « qui vix Rhenum ». Sec. « qui Buscenum ». Tert. « Busthenum ». Quart. « Burrenum ». Grut.

8. *Reliqua discutere*. Ita contra reliquas legationes dicere, nihil ut omnino a senatu obtineant. Quod si fiat, eripietur Appio pecunia, quam cupiditate jam ac spe devoravit. Man.

9. *Jovis Hospitalis*. Quum, hospitibus meis, græcis hominibus intercedentibus, in gratiam cum eo redierim. Idem.

10. *Arcæ nostræ*. Jocus joco relatus. Si tu, inquit, eges; nos non

summum periculum esset, ne Appio suæ ædes urerentur[11]. Vale[12].

abundamus. Itaque arcæ nostræ noli confidere. Nam si decoxeris, ego te meis nummis tuo ære alieno non expediam. Et est hic *conturbare* pro *decoquere*. MAN.

11. *Urerentur*. Quod in domo consulis, quo salutandi ac deducendi causa quam plurimi convenirent, eminum esse oporteret, sæviente frigore, luculentissimum. IDEM.

12. Alii delent *Vale*, ut passim. J. V. L.

EPISTOLA XIII.

De rebus publicis quædam; item de Callisthene et Philisto historicis. (Romæ, anno U. C. 699, mense februario.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Risi nivem atram[1]; teque hilari animo esse, et prompto ad jocandum, valde me juvat. De Pompeio, assentior tibi, vel tu potius mihi: nam, ut scis, jampridem istum canto Cæsarem[2]. Mihi crede, in sinu est; neque ego discingor[3]. Cognosce nunc idus. Decimus erat Cœlio dies[4]. Domitius ad numerum[5] judices

1. *Nivem atram*. De qua scripsisti. Anaxagoræ fuit opinio, *nivem atram* esse; quòd ex aqua fieret, quæ nigra esset, inepto ac falso argumento. Sed hoc nihil ad hunc locum. Scripserat forte Quintus jocose, nivem se atram invenisse, illam, inquam, Anaxagoræ; quasi tristem minimeque jucundam; quia scilicet ei per nives incommodissimo itinere eundum, ac forte etiam in ipsis nivibus cum boste, non sine summo vitæ discrimine, pugnandum foret. MANUTIUS.

2. Non patitur sibi eripi Lipsius, scripsisse Tullium, «jampridem istune aute Cæsarem». Probabiliter. J.V.L.

3. *In sinu est, neque ego discingor*. Faveo, neque favere umquam desinam. Ductum a rebus carissimis, quas in sinu gestamus; quæ ne excidant, non discingimur. Significaverat vero Quintus, non debere eos unius Pompeii amicitia niti: Cæsarem simul esse complectendum, ut amicum Pompeio firmiorem. MAN.

4. *Dies*. Quo reus M. Cœlius causam de vi dicere prætoris edicto debebat. IDEM.

5. *Ad numerum*. Quum eo die, quo causam diei ex edicto oporteret, judices eo, quo opus erat, numero non affuissent, irrita fiebat accusatio, ut

non habuit. Vereor, ne homo teter et ferus, Pola Servius[6] ad accusationem veniat : nam noster Cœlius valde oppugnatur a gente Clodia. Certi nihil est adhuc; sed veremur. Eodem igitur die Tyriis[7] est senatus datus frequens; frequentes contra Syriaci[8] publicani. Vehementer vexatus Gabinius[9]; exagitati tamen a Domitio publicani, quod eum essent cum equis prosequuti[10]. C. noster Lamia paullo ferocius, quum Domitius dixisset, « Vestra culpa hæc acciderunt, equites romani; dissolute enim judicatis » : — « Nos judicamus, vos laudatis[11] », inquit. Actum est eo die nihil. Nox diremit. Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum, et quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex kal. febr. usque ad kal. mart. legatis senatum quotidie dari. Ita putantur detrudi comitia in mensem martium. Sed tamen his comitialibus tribuni plebis de Gabinio[12] se acturos esse dicunt. Omnia colligo, ut novi scribam

integrum tamen esset, si quis eam præterea vellet instituere : quod in hac Cœlii causa timet Cicero, quum ait : « Vereor, ne homo teter et ferus Pola Servius ad accusationem veniat ». Atque etiam renovatam esse accusationem M. Cœlii, ipsa declarat Ciceronis oratio, initio mensis aprilis habita, ludis festisque publicis, satis longo post idus februarias, qui decimus erat Cœlio dies, intervallo. Man.

6. *Pola Servius.* Novum est, ut pronomen post cognomen ponatur. De Pola, lib. VIII, ad Div. epist. 12. Idem.

7. *Tyriis.* Legationibus Tyro missis, ut de publicanis quereretur. Id.

8. *Syriaci.* Quia Tyrus in Phœnicia : quæ Syriæ pars fuit. Idem.

9. *Gabinius.* Qui Syriæ imperio proconsulari præfuerat.

10. *Prosequuti.* Honoris gratia, quum e provincia decederet. Tisler.

11. *Laudatis.* Reos : quos si absolvimus, quid reprehenditis, quum eosdem vos laudetis? Mos erat, ut auctoritate præditi viri reos in judicio, antequam sententiæ ferrentur, laudarent. Pleni exemplorum libri. Man. — Testatur Gruterus, oræ libri adscriptum e codice aliquo veteri fuisse : « vos colluditis ». Quod ego non aspernor, neque improbaturos puto, qui memoria repetent, quam multa apud Ciceronem de judicum nefaria collusione legerint. Oliv.

12. *De Gabinio.* Ut ei, Syriam provinciam contra leges et jura so-

aliquid ad te; sed, ut vides, res me ipsa deficit. Itaque ad Callisthenem et ad Philistum[13] redeo[14]; in quibus te video volutatum. Callisthenes quidem vulgare et notum[15] negotium, quemadmodum Græci aliquot loquuti sunt[16]. Siculus ille capitalis, creber[17], acutus, brevis, pæne pusillus Thucydides: sed utros ejus habueris libros (duo enim sunt corpora), an utrosque, nescio. Me magis de Dionysio[18] delectat:

ciorum administranti, imperium abrogetur. MAN.

13. *Callisthenem et Philistum.* Quorum uterque scripserat historiam: Callisthenes Olynthius de rebus gestis Alexandri, Siculus Philistus quum aliis de rebus, tum de Dionysio Siciliæ tyranno. IDEM.

14. *Redeo.* Censebat Muretus Var. Lect. II, 5, delendum esse illud *redeo:* quod in iis quæ antecedunt, de duobus illis historicis nulla mentio est, ut ad eos redire dicatur; posse autem per ellipsim verbum abesse sine detrimento sententiæ. Mihi Muretus semper erit Muretus: quid si tamen intelligamus in hunc modum? Nova colligo, quæ scribam; nulla suppetunt; itaque cogor ad vetera recurrere, et de Callisthene loqui, ac de Philisto. OLIV.

15. *Vulgare et notum.* Triviale et in quo nihil admodum excellat. *Negotium* ita dixit, ut Græci interdum πράγμα. Ipse (ad Att. I, 12) «Teucris illa, lentum sane negotium». Vide Muretum loco laudato. IDEM.

16. *Loquuti sunt.* Illa verba quin melius absint a libro vetere, non dubito: hoc enim dicit, aliquot alios Græcos similes esse Callisthenis, id est, non magni ipsos quoque pretii. Nam quod a Manutio dictum scio, Callisthenem loquutum in historia non exquisite, sed quomodo vulgo loquerentur, miror unde id sumpserit, quum ipsius scripta non exstent; Cicero autem ipse alibi (Orat. II, 14) dicat eum pæne rhetorico more historiam scripsisse. MURET. — Facilem habet explicatum ea scriptura, quam in libro vetere inventam probat Muretus. Id vero incommodi est, quod consensu destituitur aliorum codicum: illas enim exhibent quatuor syllabas, «loquuti sunt», quas vir eruditus exauctorat. Neque tamen in illis sensus non est satis idoneus: hac nimirum sententia, «quemadmodum Græci aliquot loquuti sunt»; Cicero judicium de Callisthene suum confirmat testimonio et auctoritate Græcorum aliquot, qui non aliter de illo historiarum scriptore senserunt, et «loquuti sunt» ac loquitur ipse. OLIVETUS.

17. *Siculus ille capitalis, creber.* Exponit de Philisto, quid sentiat. *Capitalis*, hoc est, ingeniosus. Ovidius, Fast. III, v. 839: «capitale vocamus Ingenium solers». Vide Muretum, loco jam laudato. Vim hujus vocis, *creber*, explicat id, quod habetur lib. II de Orator. II, cap. 13: «Thucydides ita creber est rerum frequentia, etc.» — Malim interpretari *capitalis*, primarius, ut græce κεφάλαιος.

18. *De Dionysio.* Alterum scilicet

ipse est enim veterator [19] magnus, et perfamiliaris Philisto. Sed, quod adscribis, aggrederisne ad [20] historiam? Me auctore potes. Et, quoniam tabellarios subministras, hodierni diei res gestas Lupercalibus habebis. Oblecta te cum Cicerone nostro quam bellissime [21].

corpus, in quo de Dionysii rebus gestis egerat. Victor. Var. Lection. lib. XXXII, cap. 19.

19. *Veterator*. Delectat me Philistus non tam quia capitalis, creber, acutus, quam quod ipse Dionysius, de quo scribit, astutus in primis ac vafer est: quæ tum narrante Philisto, tum ipsa per sese delectant. Man.

20. *Ad historiam*. Scribendam: quum veteres jam legisset historicos. Idem.

21. *Bellissime*. Non ad pulchritudinem, sed ad jucunditatem et commoditatem quamdam refertur *bellum*: ut *bella* puella, non quæ forma, sed quæ elegantia, et quadam quasi gratia intuentium oculos tenet. Idem.

EPISTOLA XIV.

Quid agat, commemorat; Quinto operam suam in rebus ejus pollicetur; M. Orfium et Trebatium commendat. (Cumis, anno U. C. 699, mense maio.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Duas adhuc a te accepi epistolas: quarum alteram in ipso discessu nostro, alteram Arimino datam. Plures, quas scribis te dedisse, non acceperam. Ego me in Cumano et Pompeiano, præterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam. Et eram in iisdem locis usque ad kal. jun. futurus. Scribebam illa, quæ dixeram, πολιτικά [1]: spissum sane opus, et operosum. Sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita. Sin minus, in illud ipsum mare dejiciemus, quod scribentes spectamus. Aggrediemur alia, quoniam quiescere non possumus. Tua mandata per-

1. Πολιτικά. Libros de republica.

sequar diligenter, et adjungendis[2] hominibus, et quibusdam non alienandis. Maximæ mihi vero curæ erit, ut Ciceronem tuum nostrumque videam, scilicet quotidie; sed inspiciam quid discat, quam sæpissime : et, nisi ille comtemnet, etiam magistrum me ei profitebor; cujus rei nonnullam consuetudinem nactus sum in hoc horum dierum otio, Cicerone nostro minore[3] producendo[4]. Tu, quemadmodum scribis, quod etiamsi non scriberes, facere te diligentissime tamen sciebam, facies, scilicet, ut mea mandata digeras, persequare, conficias. Ego, quum Romam venero, nullum prætermittam Cæsaris tabellarium, cui literas ad te non dem. His diebus (ignosces), cui darem, fuit nemo ante hunc M. Orfium, equitem romanum, nostrum et pernecessarium, et quod est ex municipio Atellano; quod scis esse in fide nostra. Itaque eum tibi commendo in majorem modum, hominem domi splendidum, gratiosum etiam extra domum : quem fac ut tua liberalitate tibi obliges. Est tribunus militum in exercitu nostro[5]. Gratum hominem, observantemque cognosces. Trebatium ut valde ames, vehementer te rogo. Vale.

2. *Et adjungendis.* Ad amicitiam. MANUT.

3. *Minore.* Moveor suspicione nonnulla, ne glossema fuerit, additum ad illud, *nostro*. Cur enim, quum ad fratrem scribat, adjungat, *minore?* nonne satis filium suum ab illius filio distinxit, quum de suo dixit, *nostro*; de illo, *tuum?* IDEM.

4. Alii forte rectius « perdocendo ». J. V. L. — *Producendo.* Id est, filium meum ad me vocando, ut eum ipse instituerem. ED.

5. MSS reg. *vestro*. J. V. L.

EPISTOLA XV.

Cæsaris in se amorem et liberalitatem commemorat, et suum erga eum studium pollicetur; consilium suum, utrum Romam redeat, an in Gallia maneat, et de ambitu, qui in consulatu petendo exsistat, perscribit. (Romæ, anno U. C. 699, mense junio.)

MARCUS Q. FRATRI S.

A. D. IIII non. jun. quo die Romam veni, accepi tuas literas, datas Placentia[1]; deinde alteras, postridie datas Laude, nonis[2], cum Cæsaris literis, refertis omni officio, diligentia, suavitate. Sunt ista quidem magna, vel potius maxima: habent enim vim magnam ad gloriam, et ad summam dignitatem. Sed, mihi crede, quem nosti, quod in istis rebus ego plurimi æstimo, id jam habeo: te scilicet primum tam inservientem communi dignitati; deinde Cæsaris tantum in me amorem, quem omnibus his honoribus, quos me a se exspectare vult, antepono. Literæ vero ejus una datæ cum tuis, quarum initium est, quam suavis ei tuus adventus fuerit, et recordatio veteris amoris; deinde, se effecturum, ut ego in medio dolore, ac desiderio tui, te, quum a me abesses, potissimum secum esse lætarer: incredibiliter delectarunt. Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris, sed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea studia in istum unum conferam. Ego vero ardenti quidem studio hoc[3] fortasse efficiam, quod sæpe via-

1. Alii, *Placentiæ*. J. V. L.

2. *Laude, nonis.* Sic emendabat Carolus Sigonius, probavit Manutius, recepit Lambinus, quum vulgo legatur *Blandenonæ*, nomen Geographis incognitum. *Laus*, oppidum est Placentiæ proximum.— Sequimur Sigonium et Manutium. J. V. L.

3. Alii, «ac fortasse». Pro *studio* supra Sch. velit *officia*. Ed.

toribus, quum properant, evenit : ut, si serius, quam voluerunt, forte surrexerint; properando, etiam citius, quam si de multa nocte vigilassent, perveniant, quo velint : sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule sæpe excitante, cursu corrigam tarditatem, tum equis, tum vero (quoniam scribis poema ab eo nostrum probari) quadrigis poeticis [4]. Modo mihi date Britanniam [5], quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. Sed quid ago? quod mihi tempus, Romæ præsertim, ut iste me rogat, manenti, vacuum ostenditur? sed videro : fortasse enim (ut fit) vincet tuus amor omnes difficultates. Trebatium quod ad se miserim, persalse, et humaniter etiam gratias mihi agit : negat enim, in tanta multitudine eorum, qui una essent, quemquam fuisse, qui vadimonium [6] concipere posset. M. Curtio tribunatum ab eo petivi (nam Domitius se derideri putasset, si esset a me rogatus [7] : hoc enim est ejus quotidianum, se ne tribunum militum quidem facere; etiam in senatu lusit Appium collegam, propterea isse ad Cæsarem, ut aliquem tribunatum auferret) : sed in alterum annum; id et Curtius ita volebat. Tu, quemadmodum me censes oportere esse in republica et in

4. *Quadrigis poeticis.* Dicturus videbatur, « tum equis, tum velis »; sed per jocum, pro *velis*, intulit, *quadrigis :* quæ et ipsæ ad celeritatem faciunt. Addidit autem, *poeticis ;* ut quum aliis rebus, tum vero scriptis versibus, gratiam se a Cæsare initurum ostenderet. MANUT.

5. *Britanniam.* Res, quas in Britannia geretis. Jam enim, ut opinor, erant in itinere, Britanniam cogitantes. Nam in epistula ad Atticum, mense quintili data, suspicari se dicit, « Quintum esse in Britannia ». ID.

6. *Vadimonium.* Certa erat verborum formula, qua sese invicem vadarentur; quibus verbis quum essent usi, « conceptum vadimonium » dicebatur. Jocus Cæsaris in eo fuit : Opportune Ciceronem fecisse, qui Trebatium jurisconsultum ad se misisset : nam antea in universa prætoria cohorte, totoque comitatu suo neminem fuisse, qui, quum litigare vellet, quibus verbis vadaretur, teneret. MAN.

7. *Rogatus.* Ut ad Cæsarem scriberet. Dissidebat enim capitali odio cum Cæsare Domitius. IDEM.

nostris inimicitiis, ita et esse, et fore, auricula infima scito molliorem. Res romanæ se sic habebant. Erat nonnulla spes comitiorum, sed incerta; erat aliqua suspicio dictaturæ, ne ea quidem certa; summum otium forense, sed senescentis[8] magis civitatis, quam acquiescentis. Sententia autem nostra in senatu ejusmodi, magis ut alii nobis assentiantur, quam nosmet ipsi.

Τοιαῦθ'[9] ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται.

Calamo[10] et atramento temperato, charta etiam dentata[11] res agetur. Scribis enim, te meas literas su-

8. *Senescentis.* Non quia desit, quod homines in foro agant : sed omnium rerum tædio civitas languet. Videtur hoc dicere: quum publicis in rebus male agatur, serpit idem morbus etiam ad privata, et omnino nihil curatur. Man.

9. Τοιαῦθ'. Miseranda belli talia conditio efficit. Senarius Euripidis in tragœdia Ἱκέτιδες, vs. 119.

10. *Calamo.* Quatuor fit argumentis, ut hoc putem esse principium epistolæ; primum, quod fortasse paullo infirmius videbitur; ut homines diversa sentiunt; quod hæc verba initium potius epistolæ, quam epistolæ partis, redolent: deinde quod apparet, respondisse jam Ciceronem duabus Quinti epistolis, Placentiæ et Laude datis: nunc autem uni respondet brevi epistolæ, quam post illas accepit. Præterea, si una esset epistola, bis ageret de rebus romanis. Nam et dixit jam: « Res romanæ sic se habebant. Erat nonnulla spes comitiorum, etc. » infra vero rursus: » ambitus redit immanis », itaque, eadem esse repetita, credibile non est. Postremo, quod hanc scriptam esse constat post idus quintiles; quum inferat: « Idibus quintilibus fœnus fuit ZZ ex Z » : at superiora paullo post IV nonas jun. ut ipse in prima epistolæ parte significat. Man. — Schützius assentitur; immo aliquam esse vel transpositionem, vel lacunam putat, et forte sic incepisse : » In hac epistola calamo et atramento... agetur ». Ed.

11. *Dentata.* Apri, aut etiam equi dente lævata. Quod item nunc, ubi quid scribimus accuratius, facere solemus, ad inæqualitatem chartæ complanandam, quo calamus quasi currat expeditus. Nec vero mirari satis possum, quid Erasmo venerit in mentem hoc in loco interpretari « charta dentata », pro acerba et iracunde scripta: quum de literis agi, quæ bono calamo, temperato atramento, levi ac polita charta commodius formantur, illa verba demonstrent: « Scribis, te meas literas superiores vix legere potuisse » : et illa : » Hoc facio semper, ut quicumque calamus in manus venerit, eo sic utar, tanquam bono ». Verum hoc, itemque alia, tum in adagiis, tum alibi non satis recte aut explanata, aut de Græcis conversa,

periores vix legere potuisse : in quo nihil[12] eorum, mi frater, fuit, quæ putas. Neque enim occupatus eram, neque perturbatus, nec iratus alicui; sed hoc facio semper, ut, quicumque calamus in manus meas venerit, eo sic utar, tanquam bono. Verum attende nunc, mi optime et suavissime frater, ad ea dum rescribo, quæ tu in hac eadem brevi epistola πραγματικῶς[13] valde scripsisti. De quo petis, ut ad te, nihil occultans, nihil dissimulans, nihil tibi indulgens, genuine fraterneque rescribam : id est, utrum[14] voles, ut dixerimus, an[15], ad expediendum te, si causa sit, commorere. Si, mi Quinte, parva aliqua res esset, in qua sciscitarere, quid vellem, tamen, quum tibi permissurus essem, ut faceres, quod velles; ego ipse, quid vellem, ostenderem. In hac vero re hoc profecto quæris, cujusmodi illum annum, qui sequitur, exspectem : plane aut tranquillum nobis, aut certe munitissimum; quod quotidie domus[16], quod forum, quod theatri significationes declarant; nec[17] laborant, quod mea conscientia copiarum nostrarum, quod Cæsaris, quod Pompeii gratiam tenemus. Hæc me, ut

homini erudito, ac de literis, quantum præstare potuit, bene merito largiamur. Man.

12. *Nihil eorum.* Non ob eas, quas tu suspicaris, causas, parum perspicue scripsi. Idem.

13. Πραγματικῶς. Apte ad rem gerendam; ut homo in usu rerum versatus. Oliv.

14. *Id est, utrum voles.* Mendi labes satis manifesta: nec eluere conabor: quum ab impressis libris minimum dissentiant scripti. Tantum enim pro *commorere*, Bessarionis liber habet *commoneres*. Quod si pro *dixerimus* legeretur « dixerim, an »: nihil, opinor, superesset vitii, hoc ordine : « Id est, utrum voles (ut dixerim), an, ad expediendum te, si causa sit, commorere ». Nec esset obscura sententia. Nam *voles* μεταφορικῶς usurpatum pro *celeriter venias*, et *commorere* opponuntur. Sed minus audeo, propter incertas maximeque fallaces conjecturæ vias. Man.

15. Abest *an.* J. V. L.

16. *Domus.* A multis celebrata. Ep. 5, et ad Att. epist. 22, lib. II.

17. *Nec laborant.* Hic alii fortasse viderint acutius, ego plane τυφλώττω. Obscuratur enim mendose sententia. Man. — In uno reperi *consentia* pro

confidam, faciunt. Sin aliquis erumpet amentis hominis furor, omnia sunt ad eum frangendum expedita. Hæc ita sentio, judico, ad te explorate scribo. Dubitare te, non assentatorie, sed fraterne veto. Quare suavitatis equidem nostræ fruendæ causa cuperem te ad id tempus venire, quod dixeras : sed illud malo tamen, quod putas; magis etiam[18] illa (etenim magis æstimo me), ἀμφιλαφίαν[19] illam tuam, et exspectationem[20] debitorum tuorum. Illud quidem sic habeto, nihil nobis expeditis, si valebimus, fore fortunatius. Parva sunt, quæ desunt, nostris quidem moribus, et ea sunt ad explicandum expeditissima, modo valeamus. Ambitus redit immanis; numquam fuit par. Idib. quint. fœnus fuit ZZ ex Z[21], coitione Memmii, quam

conscientia, quod est in vulgatis. Unde feci *consensio*. Videtur autem sic posse totus hic locus emendari, saltem ut aliqua ex eo probabilis sententia eliciatur : alioqui nihil affirmo, quum sola conjectura nitar. Sic igitur legere fortasse licet, « Nostri inimici laborant, quod mira est consensio copiarum, etc. » LAMB.—Schütz. emendat, « nec laboramus conscientia copiarum nostrarum ». J. V. L.

18. *Magis etiam.* Pater Aldus, « Magis etiam, illa etiam magni æstimo me ἀμφ. » Quibus adhærent Pall. nisi quod quidam, « magna æstimo », unus « magnam æstima », sec. etiam ac tert. a manu prima, « magnis etiam illa magna est ». GRUT. — Quum in his nullus omnino sit sensus, ita refingebat Lambinus : « sed illud malo tamen quod putas magis » esse e re tua. Etiam magni « æstimo ἀμφιλαφίαν illam tuam, etc. » Victor. ita edidit, atque interpungit : « magis etiam illa etiam magni æstimo, me ἀμφιλαφίαν, etc. » Quo te vertas? exspecta, si quis tamen superest, meliorem librum.

19. Ἀμφιλαφίαν. De qua supra, epist. 6.

20. *Exspectationem.* Exspectabo, ut, quæ mihi debes, ea persolvas, ut, quæ te facturum pollicitus es, re præstes. Quæ vero hæc? ut Quintus Cæsarem ipsum, primum scilicet, deinde ut alios quoque et de cohorte et de exercitu Cæsaris, qui Romæ aliquid possent, Marco fratri benivolentia conjungeret : quo præsidiis firmioribus contra Clodii furorem in urbe muniretur. Id autem Quintus fratri mandanti ac roganti promiserat. Hoc enim spectare illud puto, quod supra dixit, « mea mandata digeras, persequare, conficias ». Nec, in castris quid aliud navare Quintus pro fratre posset, intelligo. MAN. —Tunstall. recte corrigit, « expeditionem debitorum tuorum ». Sic supra, « ad expediendum te ». J. V. L.

21. *Bessibus ex triente.* Vide ad

cum[22] Domitio habuit Scaurus[23], unum vincere. Messalla flaccet. Non dico ὑπερβολικῶς[24] : vel H-S centies constituunt in prærogativa pronuntiare[25]. Res ardet invidia. Tribunitii candidati compromiserunt, H-S quingenis in singulos apud M. Catonem[26] depositis, petere ejus arbitratu, ut, quid contra fecisset, ab eo condemnaretur[27]. Quæ quidem comitia gratuita si fuerint, ut putantur, plus unus Cato fuerit, quam omnes leges, omnesque judices.

Atticum, IV, 14, et J. F. Gronovii Observ. IV, 9.

22. *Quum cum.* Victorius, « quo cum Domitio. Hunc Scaurus unum vincere ». Lambinus ex conjectura, « Scaurus vult vincere ». Manutius pro *vincere* mavult *enuntiare*, ut subaudiatur *coitionem;* et sit *enuntiare* pro *enuntiabat.* Hunc locum, si quidquam aliud, illustrabunt epistolæ 17 et 18 lib. IV ad Att. Oliv.

23. Legendum videtur, collat. Ep. ad Atticum, IV, 15, « Scaurum ut vinceret ». J. V. L.

24. Ὑπερβολικῶς. Supra modum.

25. *Pronuntiare.* Polliceri se daturos, si eam tulerint, ejusque suffragiis consules fuerint designati. Verbum in hoc genere proprium. Sic ad Atticum, I, 14 : « qui nummos in tribu pronuntiaverit ». Ed.

26. *Catonem.* Qui prætor tunc erat.

27. *Condemnaretur.* Amitteret quod apud illum pecuniæ deposuisset : idque aliis, qui sine arte mala petiissent, tribueretur. Et condemnatum ex iis nescio quem ab ipso Catone, legimus apud Plutarchum in ejus vita. Man.

EPISTOLA XVI.

De occupationibus suis : quid in senatu actum ; quæ judicia habita sint aut instent; materiam carminis scribendi, superata a Cæsare Britannia, gratulatur, et quid de suis versibus Cæsar judicet, sciscitatur. (Romæ, anno U. C. 699, mense sextili.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Quum a me literas librarii manu acceperis, ne paullum[1] otii me habuisse judicato; quum autem mea,

1. *Ne paullum otii.* Videtur quibusdam tamquam integumentis velata sententia; sed ostendetur hoc modo : Quum utor librarii manu, prorsus otii nihil habeo; quum autem mea, non nihil. Man.

nullum[2]. Sic enim habeto, numquam me a causis et judiciis districtiorem fuisse; atque id anni tempore gravissimo, et caloribus maximis. Sed hæc (quoniam tu ita præscribis) ferenda sunt; neque committendum, ut aut spei, aut cogitationi vestræ ego videar defuisse: præsertim quum, tametsi id difficilius[3] fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiam, magnamque dignitatem sim collecturus. Itaque, ut tibi placet, damus operam, ne cujus animum offendamus, atque ut etiam ab iis ipsis, qui nos cum Cæsare tam conjunctos dolent, diligamur; ab æquis vero, aut etiam a propensis in hanc partem vehementer et colamur, et amemur. De ambitu quum atrocissime ageretur in senatu multos dies, quod ita erant progressi candidati consulares, ut non esset ferendum; in senatu non fui. Statui ad nullam medicinam reipublicæ sine magno præsidio[4] accedere. Quo die hæc scripsi, Drusus erat de prævaricatione a tribunis ærariis absolutus, in summa[5], quatuor sententiis, quum senatores et equites damnassent. Ego eodem die, post meridiem, Vatinium[6] aderam defensurus: ea res facilis est. Co-

2. *Nullum.* Subaudi *ne;* quod proxime antecedit: ut sit: « Ne nullum otium ». MAN. — Schütz. rescripsit « nonnullum ». Frustra; nam resumendum *ne* ex iis verbis, « ne paullum otii ». J. V. L.

3. *Difficilius.* Cum aliqua difficultate. Nomina quædam sunt, quæ « secundæ comparationis » appellant grammatici: quæ quum ideo fuerint inventa, ut augerent; minus tamen significant, quam ea, quæ iidem *positiva* dicunt. Itaque illud Virgilianum, « Tristior, et lacrymis oculos suffusa rubentes », exponit Servius hoc modo: *Tristior,* minus est, quam *tristis.* MAN.

4. *Præsidio.* Nisi plures videam esse, qui mecum sentiant, quam qui contra.

5. *In summa.* Omnium ordinum sententiæ numerabantur, et ex majore parte vel absolvebatur, vel condemnabatur reus. Ordinum ipsorum ratio non habebatur. Poterat enim usu venire, ut a duobus ordinibus condemnatus, ex universo tamen sententiarum numero absolveretur. MAN.

6. *Vatinium.* Hujus defensionis meminit Pedianus in commentarii procemio pro Scauro, et ipse Vatinius in epistola. MAN. — Hoc autem fecit Cicero, ut Cæsari satisfaceret, quod Lentulo excusat I, 9. ED.

mitia in mensem sept. rejecta sunt. Scauri judicium statim exercebitur: cui nos non deerimus. Συνδείπνους Σοφοκλέους [7], quamquam a te actam fabellam video esse festive, nullo modo probavi.

Venio nunc ad id, quod nescio an primum esse debuerit. O jucundas mihi tuas de Britannia literas! Timebam Oceanum, timebam litus insulæ. Reliqua non equidem contemno; sed plus habent tamen spei, quam timoris, magisque sum sollicitus exspectatione ea, quam metu. Te vero ὑπόθεσιν [8] scribendi egregiam habere video. Quos tu situs, quas naturas rerum et locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas, quem vero ipsum imperatorem habes? Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis, adjuvabo; et tibi versus, quos rogas, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας [9] mittam. Sed heus tu, celari videor a te: quomodonam, mi frater, de nostris versibus Cæsar? Nam primum librum se legisse scripsit ad me ante; et prima sic, ut neget, se ne græca

7. Συνδείπνους Σοφοκλέους. Qui dicantur, non convenit inter interpretes. Alii fabulam Sophoclis συνδείπνους dictam intelligunt, a Quinto conversam latine; improbante Manutio, qui negat eam Ciceronem tam rustice improbaturum fuisse. Sed in primis repugnat verbum *actam;* quod indicat, huic fabulæ, de qua dicitur, Quintum interfuisse. Itaque Manutius putat capienda verba esse de convivio, per-quam simili convivio in fabula aliqua Sophoclis, cui interfuerit Quintus, et in quo quid sibi acciderit, commemorarit fratri. Sed hujusmodi convivium non aptum videtur Sophocleæ tragœdiæ. Mihi in mentem venerunt Σοφοκλεῖς Pliniani, Epist. II, 16. *Laudicœni*, parasiti, qui cœnulæ causa, quamvis indignos laudant, et ab iis acta et dicta omnia σοφῶς dicta et acta clamant. Fuisse ergo videtur in convivio, in eoque habuisse συνδείπνους parasitos, aut parasiticis certe moribus. Hos quemadmodum, quam lepide et festive vexarit, commemoraverat fratri. Itaque fatendum esse, respondet, lepide ab eo actam illam fabulam (frequentes enim occurrunt in comicorum fabulis parasiti), sed rem sibi nihilominus non probari, velle se, factum non esse aut dictum, quod factum dictumque scripsisset. Ernest.

8. Ὑπόθεσιν. Argumentum.

9. Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Quum ipse versus optime facias. Infra dixit, eadem sententia: «Quoniam ipsi fontes jam sitiunt». Proverbium iis de rebus usurpatum, quas ad eos, qui abundant, mittimus. Noctua enim suos nummos Athenienses signabant. Man-

quidem meliora legisse. Reliqua ad quemdam locum ῥαθυμώτερα [10]: hoc enim utitur verbo. Dic mihi verum, num aut res eum, aut χαρακτὴρ [11] non delectat? Nihil est, quod vereare : ego enim ne pilo quidem [12] minus me amabo. Hac de re φιλαλήθως [13], et, ut soles, scribe fraterne.

10. Ῥαθυμώτερα. Minus accurata, scripta indiligentius, videri sibi aiebat. MAN.

11. *Res*, *aut* χαρακτήρ. Aut argumentum, aut meum scribendi genus.

12. Buberius, Animadvers. in Ciceronem, Paris. 1746, p. 342, conjicit, « ne hilo quidem ». J.V.L.

13. Φιλαλήθως. Cum studio veritatis, vere et ex animo. MAN.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM
AD Q. FRATREM
LIBER TERTIUS.

EPISTOLA I.

In prædiis Quinti se fuisse, et quædam ibi, in primis in ædificandi ratione, correxisse, constituisse commemorat, et ad tres epistolas e Gallia a Quinto acceptas de variis rebus respondet, simul quædam de rebus Romanis perscribit. (Romæ, anno U. C. 699, mense septembri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Ego ex magnis caloribus (non enim meminimus majores) in Arpinati summa cum amœnitate fluminis[1] me refeci ludorum diebus, Philotimo tribulibus commendatis[2]. In Arcano[3] a. d. IIII idus sept. fui. Ibi Messidium cum Philoxeno[4], aquamque, quam ii ducebant non longe a villa, belle sane fluentem vidi,

1. *Fluminis.* De Fibreno flumine intelligit: «quo nihil amœnius, nihil frigidius»: ut in libro II de Legibus. Manut.

2. *Tribulibus commendatis.* Ut eis meo nomine ad spectandos ludos locum daret. Moris enim erat, ut amicis et tribulibus et in circo, et in foro locus ad spectandum daretur. Ad Att. II, 1, et pro Murena. Idem.

3. *Arcano.* Quinti prædio, de quo inf. ep. 3 et 9.

4. *Messidium cum Philoxeno.* Redemptores erant aquæ deducendæ. Quod in hac ipsa epistola, infra, videtur posse conjici. Man.

præsertim maxima siccitate, uberioremque aliquanto sese collecturos esse dicebant. Apud Herum[5] recte erat. In Manliano offendi Diphilum Diphilo[6] tardiorem. Sed tamen nihil ei restabat præter balnearia, et ambulationem, et aviarium. Villa mihi valde placuit, propterea quod summam dignitatem pavimentata porticus habebat; quod mihi nunc denique apparuit, posteaquam et ipsa tota patet, et columnæ politæ sunt. Totum in eo est (quod mihi erit curæ), tectorium ut concinnum[7] sit. Pavimenta recte fieri videbantur. Camaras quasdam non probavi, mutarique jussi. Quo loco in porticu te scribere aiunt ut atriolum fiat, mihi, ut est, magis placebat. Neque enim satis loci esse videbatur atriolo; neque fere solet nisi in his ædificiis fieri, in quibus est atrium majus; nec habere poterat adjuncta cubicula, et ejusmodi membra. Nunc hoc[8] vel honestate testudinis, vel valde boni æstivum locum obtinebit. Tu tamen si aliter sentis, rescribe quam primum. In balneariis, assa[9] in alterum apodyterii[10] angulum promovi, propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium [ex quo ignis erumpit] esset subjectum cubiculis[11]. Subgrande cubiculum autem, et hibernum altum valde probavi,

5. *Herum*. Villicum in Arcano, ut Nicephorum in Laterio, quem infra nominat. MAN.

6. *Diphilo*. Se ipso. Diphilus, inquit, se ipsum tarditate superavit. ID.

7. Manutius malit « continuum ». Frustra. J. V. L.

8. *Nunc hoc*. P. Manutius ingeniose divinabat : « Nunc hoc vel in æstate testudinis, vel hieme æstivum locum obtinebit ». Lambinus haud paullo audacius : « Nunc hoc vel hieme, testudinis : vel æstate, valde boni æstivi locum obtinebit ». Locum esse corruptissimum nemo non agnoscit. Vide Turneb. Advers. XXIV, 39. — Sch. « Nunc hæc vel honestate testudinis, valde boni æstivi locum obtinebit ». J. V. L.

9. *Assa*. Laconicum, sive locus in quo sudor elicitur. De quo Vitruvius, lib. V, cap. 10.

10. *Apodyterii*. Ubi vestes initori balnea deponebant. MAN.

11. Scalig. conjic. « cubiculi subgrundæ. Cubic. aut. » J. V. L.

quod et ampla erant, et loco posita, ambulationis uno latere, eo, quod est proximum balneariis. Columnas neque rectas, neque e regione Diphilus collocarat. Eas scilicet demolietur: aliquando perpendiculo et linea discet uti. Omnino spero paucis mensibus opus Diphili perfectum fore. Curat enim diligentissime Cæsius, qui tum mecum fuit. Ex eo loco recta Vitularia via profecti sumus in Fufidianum fundum, quem tibi proximis nuntiis Arpini de Fufidio H-S ccclↃↃↃ emeramus. Ego locum æstate umbrosiorem vidi numquam; permultis locis aquam profluentem, et eam uberem. Quid quæris? jugera L prati Cæsius irrigaturum facile te arbitrabatur. Equidem hoc, qu[illegible] lius intelligo, affirmo, mirifica suavitate te villam habiturum, piscina et salientibus [12] additis, palæstra, et silva viridicata [13]. Fundum audio te hunc Bovillanum velle retinere. De eo quid videatur, ipse constitues. Calvus aiebat, aqua dempta, et ejus aquæ jure constituto [14], et servitute fundo illi imposita, tamen nos pretium servare posse, si vendere vellemus. Messidium [15] mecum habui. Is se ternis nummis in pedem tecum transegisse dicebat; sese autem mensum pedibus aiebat passuum IV ClↃ. Mihi plus visum est: sed

12. *Salientibus*. Aquis.

13. *Viridicata*. Novum, et forte, in iis quidem, qui exstant, veterum libris, singulare verbum. Quasi *virente*. Man. — Lego *vindicata*, id est, liberata, purgata, ut amœnitatem habeant. Turn. Adv. XXIV, 39.

14. *Jure constituto*. Dicit hoc: si jus aquæ constituatur, hoc est, si jus aquæ Quinto servetur, servitutem fundo impositum iri illius aquæ, neque tamen fore, ut minoris, quam quanti cum aqua vendi fundus possit. Quam igitur aquam Messidius per tuos fundos deducendam redemit (hoc enim proxime dicet); eam nolo te cum fundo Bovillano alienare: sed jus ei aquæ suadeo constituas. Hoc est, in tuo jure retineas: ut ex duobus manciplis, fundo et aqua, unum emptoria fiat, alterum esse tuum pergat; jus, inquam, fundi migret ad emptorem, jus aquæ penes te remaneat. Man.

15. *Messidium*. Redemptorem deducendæ aquæ: qui singulos in pedes alvei faciendi ternis nummis transegerat. Idem.

præstabo, sumptum nusquam melius posse poni. Chilonem arcessieram Venafro; sed eo ipso die quatuor ejus conservos et discipulos Venafri cuniculus oppresserat.

Idibus sept. in Laterio fui. Viam perspexi, quæ mihi ita placuit, ut opus publicum videretur esse, præter CL pass.; sum enim ipse mensus ab eo ponticulo, qui est ad Furinæ[16], Satricum[17] versus. Eo loco pulvis, non glarea injecta est: et mutabitur. Et ea viæ pars valde acclivis est; sed intellexi aliter duci non potuisse, præsertim quum tu neque per Locustæ[18], neque per Varronis velles ducere. Veluinus ante suum fundum prope[19] munierat[20]. Locusta non attigerat; quem ego Romæ aggrediar, et, ut arbitror, commovebo: et simul M. Taurum, quem tibi audio promisisse, qui nunc Romæ erat, de aqua per fundum ejus ducenda rogabo. Nicephorum, villicum tuum, sane probavi; quæsivique ex eo, ecquid ei de illa ædificatiuncula Laterii, de qua mecum loquutus es, mandavisses. Tum is mihi respondit, se ipsum ejus operis H-S XVI conductorem fuisse; sed te postea multa addidisse ad opus, nihil ad pretium; itaque id se omisisse. Mihi hercule valde placet, te illa, ut constituebas[21], addere: quamquam ea villa, quæ

16. *Ad Furinæ. Forinæ* scribendum est, si veteris inscriptionis auctoritatem sequi velimus. URSIN.—*Furinam* cui lucus, ædes, et flamen Romæ, interpretatur *Eumenida* Tullius lib. III de Natura Deor. a *furendo. Forinam* vero dixerunt illi *foricarum* deam. Foricæ enim, seu ἀφεδρῶνες publicis pontibus imponuntur. F. JUNIUS.

17. *Satricum.* Oppidum in Latio.

18. *Locustæ.* Supple, fundum.

19. Ernest. conj. *probe.* J. V. L.

20. *Munierat.* Viam. Et hoc significat: Quum tu id jus haberes, ut viam ducere per Locustæ, perque Varronis fundum posses, neque tamen, quæ tua fuit modestia, feceris: illi, ut quasi tibi gratiam referrent, eam viæ partem, quæ ante fundos eorum est, munire debuerunt: quod Varro propemodum effecit: Locusta nondum attigit. MAN.

21. Ernest. malit « constitueras ». J. V. L.

nunc est, tamquam philosopha[22] videtur esse, quæ objurget ceterarum villarum insaniam. Verumtamen illud additum delectabit. Topiarium[23] laudavi : ita omnia convestivit hedera, qua basim villæ, qua intercolumnia ambulationis; ut denique illi palliati[24] topiariam facere[25] videantur, et hederam vendere. Jam ἀποδυτηρίῳ[26] nihil alsius, nihil muscosius.

Habes fere de rebus rusticis. Urbanam expolitionem[27] urget ille quidem[28] et Philotimus, et Cincius: sed etiam ipse crebro interviso; quod est facile factu. Quamobrem ea te cura liberatum volo.

De Cicerone quod me semper rogas, ignosco equidem tibi; sed tu quoque mihi velim ignoscas : non enim concedo tibi, plus ut illum ames, quam ipse amo. Atque utinam his diebus in Arpinati, quod et ipse cupierat, et ego non minus, mecum fuisset? Quod ad Pomponiam, si tibi videtur, scribas velim, quum aliquo exibimus, eat nobiscum, puerumque ducat. Clamores efficiam, si eum mecum habuero otiosum; nam Romæ respirandi non est locus. Id me scis antea

22. Olim, *philosophia*. *Philosopha* rectissime Faernus : et *convestivit* paullo post. Ursin.

23. *Topiarium*. Opus ex hedera. Man. — De homine, non de loco interpretor. Qui locum opere topiario ornarat. Turneb. Adv. XXIV, 39.

24. *Palliati*. Opinor designari Hermas Græcorum, et doctorum præcipue virorum, quorum imagines palliatæ erant in villis, ut ex eorum reliquiis, quæ supersunt, conjici potest. Ursin.

25. *Topiariam facere*. Qui topiariam faciunt, herbam, aut fruticem ad speciem aulæi, aut columnæ, aut fontis, alteriusve rei conformant. Palliati igitur hi, inter columnas constituti, topiariam facere, aut hederam, qua intercolumnium vestitur, vendere videntur. Manut.

26. Ἀποδυτηρίῳ. Loco, ubi lavaturi vestimenta deponebant. Vox eadem cap. 1; sed latine scripta in libris omnibus.

27. *Expolitionem*. Jam pene prorsus ædificaverant utriusque domum redemptores. *Expolitio* restabat, perfectio scilicet ædium urbanarum. Man.

28. *Urget ille quidem*. Nonnullis placet *illam* : et est cur placeat, nostri tamen omnes in vulgata consentiunt. Malasp. — *Otiosum*. Reponendum censet Schützius *otiosus*, non sine causa. Ed.

gratis tibi esse pollicitum : quid nunc putas, tanta abs te mihi mercede[29] proposita?

Venio nunc ad tuas literas, quas pluribus epistolis accepi[30], dum sum in Arpinati. Nam mihi uno die tres sunt redditæ, et quidem, ut videbantur, eodem abs te datæ tempore : una pluribus verbis, in qua primum erat, quod antiquior dies in tuis fuisset adscripta literis, quam in Cæsaris. Id facit Oppius nonnumquam necessario, ut, quum tabellarios constituerit mittere, literasque a nobis acceperit, aliqua re nova impediatur, et necessario serius, quam constituerat, mittat : neque nos datis jam epistolis diem commutari curemus. Scribis de Cæsaris summo in nos amore. Hunc et tu fovebis, et nos, quibuscumque poterimus, rebus augebimus. De Pompeio, et facio diligenter, et faciam quod mones. Quod tibi mea permissio mansionis tuæ grata est, id ego, summo meo dolore et desiderio, tamen ex parte gaudeo. In Hippodamis[31], et nonnullis aliis arcessendis, quid cogites, non intelligo. Nemo istorum est, quin abs te munus, fundi suburbani instar, exspectet. Trebatium vero meum quod isto admisceas[32], nihil est. Ego illum ad Cæsarem misi, qui[33] mihi jam satisfecit. Si ipsi minus[34], præstare nihil debeo; teque item ab eo vin-

29. *Mercede*. Quam divinare, quum epistola Quinti non exstet, nemo potest. MAN.

30. *Ad tuas literas, quas pluribus epistolis accepi*. Hoc est, ad ea quæ scripsisti. Constat enim *literarum* nomen multo latius patere quam *epistolarum*, librosque et orationes, et monumenta etiam significare. MAL.

31. *Hippodamis*. Qui equos domant. MAN.

32. *Quod isto admisceas*. Scripserat, puto, Quintus, operam se daturum, ut illi, quos arcessierat, atque etiam Trebatius, liberaliter ab ipso tractarentur. Hoc, inquit Cicero, nihil opus est. Ego enim illum non ad te, sed ad Cæsarem misi : qui eum, mea commendatione adductus accepit humanissime. IDEM.

33. Ernest. *quia*, mendo fortasse. J. V. L.

34. *Si ipsi minus*. Si Trebatio minus satisfecit Cæsar. TISLIN.

dico et libero. Quod scribis te a Cæsare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. Balbum vero, qui est istius rei (quemadmodum scribis) adjutor, in oculis fero. Trebonium meum a te amari, teque ab illo, pergaudeo. De tribunatu quod scribis, ego vero nominatim petivi Curtio; et mihi ipse Cæsar nominatim Curtio paratum esse rescripsit, meamque in rogando verecundiam objurgavit. Si cui præterea petiero (id quod etiam Oppio dixi, ut ad illum scriberet), facile patiar mihi negari, quoniam illi, qui sibi molesti sunt, sibi negari a me non facile patiuntur. Ego Curtium (id quod ipsi dixi) non modo rogatione, sed etiam testimonio tuo diligo, quod literis tuis studium illius in salutem nostram facile perspexi. De Britannicis rebus, cognovi ex tuis literis, nihil esse, nec quod metuamus, nec quod gaudeamus. De publicis negotiis, quæ vis ad te Tironem scribere, negligentius ad te ante scribebam, quod omnia, minima, maxima, ad Cæsarem mitti sciebam.

Rescripsi epistolæ maximæ. Audi nunc de minuscula: in qua primum est de Clodii ad Cæsarem literis; in quo Cæsaris consilium probo, quod tibi, amantissime petenti, veniam non dedit [35], uti ullum ad illam furiam verbum rescriberet. Alterum est de Calventii Marii [36] oratione. Quod scribis, miror, tibi placere, me ad eum rescribere [37], præsertim quum

35. *Veniam non dedit.* Quum tu peteres, per amicitiam, ut ad P. Clodium rescriberet; quia nolles Cæsarem nostra causa facere, ut respondendi officium omitteret; satisfacere tibi noluit. Man.

36. *Calventi Marii.* L. Pisonem, cujus maternus avus, ut apud Pedianum legimus, *Calventius* est appellatus, videtur intelligere. *Calventum* cur potius, quam *Calventium*, cur item Marium nominet; haud facile dixerim, nisi si inter Quintum et Marcum jam convenerat, ut eum fictis nominibus, Cæsaris maxime causa, qui Pisonis erat gener, appellarent. Man. — Ernest. post Lambinum, *Matii.* Sed videtur Cicero respexisse locum orat. in Pison. cap. 9. Ed.

37. *Ad eum rescribere.* Quidam,

illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero; meam in illum pueri omnes, tamquam dictata, perdiscant. Libros meos, quos exspectas, inchoavi; sed conficere non possum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi. Poema ad Cæsarem, quod composueram, incidi. Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes jam sitiunt [38], si quid habebo spatii, scribam.

Venio ad tertiam. Balbum quod ais mature Romam bene comitatum [39] esse venturum, mecumque assidue usque ad id. maias futurum, id mihi pergratum perque jucundum erit. Quod me in eadem epistola, sicut sæpe antea, cohortaris ad ambitionem, et ad laborem: faciam equidem; sed quando vivemus?

Quarta epistola mihi reddita est id. sept., quam a. d. IIII id. sext. ex Britannia dederas. In ea nihil sane erat novi, præter Erigonam [40]: quam si ab Oppio accepero, scribam ad te, quid sentiam. Nec dubito, quin mihi placitura sit. Et quod præterii [41], de eo, quem scripsisti de Milonis plausu [42] scripsisse ad Cæsarem: ego vero facile patior ita Cæsarem existimare, illum quam maximum fuisse plausum. Et prorsus ita fuit: et tamen ille plausus, qui illi datur, quodammodo nobis videtur dari.

Reddita est etiam mihi pervetus epistola, sed sero

ad eam, ut orationem intelligamus. Et est cur magis probem. MALASP.

38. *Fontes jam sitiunt.* Mirum est *sitire fontes*, unde aqua peti solet. Itidem miror velle te versus tibi, optimo poetæ, a me componi. Supra idem alio modo significavit: γλαῦκα, inquit, εἰς Ἀθήνας. MAN.

39. *Bene comitatum.* Cum multis pecuniis. Joco enim usus erat Quintus. IDEM.

40. *Erigonam.* Tragœdiam de Erigone Penelopes sorore, quæ patrem occisum ita doluit, ut ipsa se suspenderit. Hanc se scripsisse, et ad Oppium misisse, significaverat. Amissam in itinere, ultima demonstrat hujus libri epistola. ED.

41. *Et quod præterii.* Hoc est, « nihil novi præter Erigonam, et quod præterii, etc. »

42. *Plausu.* A populo Miloni dato.

allata, in qua de æde Telluris[43], et de porticu Catuli me admones[44]. Fit utrumque diligenter. Ad Telluris quidem etiam tuam statuam locavi. Item de hortis quod me admones: nec fui umquam valde cupidus, et nunc domus suppeditat mihi hortorum amœnitatem.

Romam quum venissem a. d. XIII kal. octobr., absolutum offendi in ædibus tuis tectum: quod supra conclavia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum[45], id non honeste vergit in tectum inferioris porticus. Cicero noster, dum ego absum, non cessavit apud rhetorem. De ejus eruditione quod labores, nihil est, quoniam ingenium ejus nosti: studium ego video; cetera ejus suscipio, ut me putem præstare debere. Gabinium tres[46] adhuc factiones postulant: L. Lentulus, flaminis filius, qui jam de majestate postulavit; Tib. Nero cum bonis subscriptoribus; C. Memmius tribunus plebis cum L. Capitone. Ad urbem accessit a. d. XII kal. octobr. Nihil turpius, nec desertius. Sed his judiciis nihil audeo confidere. Quod Cato[47] non valebat, adhuc de pecuniis repetundis non erat postulatus. Pompeius a me valde contendit de reditu in gratiam: sed adhuc nihil pro-

43. *De æde Telluris.* De operibus, puto, loquitur, et inscriptionibus illis, de quibus epist. 8 lib. II. MAN.

44. *Admones.* Ut emam.

45. *Multorum fastigiorum.* Tectum conclavia tegebat. Id nolebat Quintus descendere pluribus angulis, et lateribus (sic enim multa fastigia habuisset), sed uno tantum fastigio vergere in tectum inferioris porticus. MANUT.

46. *Gabinium.* E Syria reversum. SCH.—*Tres.* Una de majestate, L. Lentulus; duæ de repetundis, Ti. Nero, et C. Memmius. Accessit postea, item de repetundis, quarta factio, C. et L. Antonii; ut in epistola, quæ sequitur: etiam quinta, de ambitu, P. Sulla, ut infra, et ad Atticum ep. 16, lib. IV. Est autem absolutus Gabinius de majestate, damnatus de repetundis. Dio, lib. XXXIX. MAN.

47. *Cato.* M. Cato prætor; qui de repetundis hoc anno quæsivit. Eo ægrotante, postulari Gabinius, e Syria reversus, de repetundis non poterat. IDEM.

fecit; nec, si ullam partem libertatis tenebo, proficiet[48]. Tuas literas vehementer exspecto. Quod scribis te audisse, in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est. Ejusmodi enim pactiones in ea coitione[49] factæ sunt, quas postea Memmius patefecit, ut nemo bonus interesse debuerit: et simul mihi committendum non fuit, ut his coitionibus interessem, quibus Messalla excluderetur; cui quidem vehementer satisfacio rebus omnibus: ut arbitror, etiam Memmio. Domitio[50] ipsi multa jam feci, quæ voluit, quæque a me petivit. Scaurum beneficio defensionis valde obligavi. Adhuc erat valde incertum, et quando comitia, et qui consules futuri essent.

Quum hanc jam epistolam complicarem, tabellarii a vobis venerunt a. d. XI kal. sept.[51], vicesimo die. O me sollicitum! quantum ego dolui in Cæsaris suavissimis literis! sed quo erant suaviores, eo majorem dolorem illius ille casus[52] afferebat. Sed ad tuas venio literas. Primum tuam remansionem etiam atque etiam probo, præsertim quum, ut scribis, cum Cæsare communicaris. Oppium miror quidquam cum Publilio[53]: mihi enim non placuerat. Quod interiore[54] epistola

48. *Nec...proficiet.* Immo profecit: ut etiam Gabinium, quem paullo ante accusaverat, mox rogatu Pompeii, non sine aliqua levitatis nota, Cicero defenderit. Dio, et ad Div. ep. 1, lib. VII. MAN.

49. *Coitione.* Ad Attic. epist. 18, lib. IV. IDEM.

50. *Domitio.* Consulari candidato.

51. Omnino corrigendum *oct.* ut jam vidit Manutius. J. V. L.

52. *Ille casus.* Puto dici, naufragium multarum navium in Oceano: de quo libro IV Comment. de bello Gallico mentio fit. MANUT. — Vide notam ult.

53. *Publilio.* Tislinus legit *Publio*, et sic interpretatur: Oppium cum P. Clodio miror quidquam negotii habere. Non est insolens curta hæc dicendi ratio, præsertim in epistolia, et familiari sermone. *Publilio* tamen ceteri omnes: et intelligi potest de Publilio, de quo Attic. XII, 7. OLIV. — *Publilio.* Legendum videtur *Vibullio.* J.V. L.

54. *Interiore epistola.* Non ea epistolæ pars, quæ a principio et a fine

scribis, me idib. sept. Pompeio[55] legatum iri : id ego non audivi, scripsique ad Cæsarem, Vibullium Cæsaris mandata de mea mansione[56] ad Pompeium pertulisse, nec ad Oppium[57]. Quo consilio[58]? quamquam[59] Oppium ego tenui, quod priores partes Bibuli[60] erant. Cum eo enim coram Cæsare[61] egerat, ad Oppium scripserat. Ego vero nullas δευτέρας[62] φροντίδας habere possum in Cæsaris rebus. Ille mihi secundum te et liberos nostros ita est, ut sit pæne par. Videor id judicio facere; jam enim debeo : sed tamen amore sum incensus.

Quum scripsissem hæc infima, quæ sunt mea manu, venit ad nos Cicero tuus ad cœnam, quum Pomponia foras cœnaret. Dedit mihi epistolam legendam tuam, quam paullo ante acceperat, Aristo-

pari distet intervallo, sed ea, quæ ab extremo propius abest, quam a principio. Id adeo cognoscetur, si, quod apud antiquos epistolæ claudendæ genus esset, ostendemus. Non enim tunc, eo, quo nunc solemus, modo, complicabantur, sed in orbem involvebantur epistolæ, ita, ut, quæ ultima scripta in pagina pars erat, involveretur prima; quæ prima, ultima. Manut.

55. *Pompeio.* In Hispanias proconsule ituro. Sic enim putabatur. Verum non ivit. Idem.

56. *De mea mansione.* Quam Cæsar cupiebat, ut ejus ope atque auctoritate, quibus in rebus opus esset, uti posset. Supra, quod hoc declarat, illud est : « Quod mihi otium, Romæ præsertim, ut iste me rogat, manenti ? » Idem.

57. *Nec ad Oppium.* Qui quum Cæsaris in urbe omnia negotia procuraret, ad eum quoque Cæsaris mandata perferre Vibullius debuit, ut is ageret cum Pompeio, ne me, si Cæsaris causa vellet, ab urbe removeret. Id.

58. *Quo consilio.* Fecit hoc Vibullius? Non enim hoc ad Cæsarem placet referri : ne videatur in eo consilium requirere. Idem.

59. *Quamquam.* Quamquam non hoc ideo dico, quia voluerim Oppium Vibullii verbis, cognita Cæsaris voluntate, adduci, ut ageret cum Pompeio de mea mansione. Quin ego illum, sua sponte satis incitatum, tenui. Rectius enim duxi, Vibullium primo, cui Cæsar præsens præsenti mandaverat, deinde Oppium, cui scripserat, agere cum Pompeio. Idem.

60. Lege iterum « Vibullii ». Sed multa hic vel vitiosa sunt, vel nobis ignota. J. V. L.

61. *Cæsare egerat.* Forte, « Cæsar egerat ». J. V. L.

62. Δευτέρας. Posteriores cogitationes, ut alibi Cicero.

phaneo modo[63], valde mehercule et suavem, et gravem, qua sum admodum delectatus. Dedit etiam alteram illam mihi, qua jubes, eum mihi esse affixum, tamquam magistro. Quam illum epistolæ illæ delectarunt? quam me? Nihil puero illo suavius, nihil nostri amantius. Hæc inter cœnam Tironi dictavi, ne mirere alia manu esse. Annali[64] literæ tuæ pergratæ fuerunt, quod et curares de se diligenter, et tamen consilio severissimo juvares. P. Servilius pater ex literis, quas sibi a Cæsare missas esse dicebat, significat, valde te sibi gratum fecisse, quod de sua voluntate erga Cæsarem humanissime diligentissimeque loquutus esses.

Quum Romam ex Arpinati revertissem, dictum mihi est, Hippodamum ad te profectum esse. Non possum scribere, me miratum[65] esse, illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis literis ad te proficisceretur: illud scribo, mihi molestum fuisse. Jam enim diu cogitaveram, ex eo, quod tu ad me scripseras, ut, si quid esset, quod ad te diligentius perferri vellem, illi darem: quod mehercule hisce literis, quas vulgo ad te mitto, nihil fere scribo, quod si in alicujus manus inciderit, moleste ferendum sit. Minucio me, et Salvio, et Labeoni reservabam. Labeo aut tarde proficiscetur, aut hic manebit. Hippodamus ne nunc quidem, quid velim, rogavit. T. Pinarius amabiles ad me de te literas mittit: se maxime literis,

63. *Aristophaneo modo.* Quæ Aristophanis ad similitudinem accedat: puta, quia comicum quiddam in sententiis, ex Aristophanis genere, præ se ferat. MANUT. — *Ab Aristophane meo* emendatum est in margine libri, qui collatus est cum manuscripto. URS.

64. *Annali.* Villiæ gentis, plebeiæ. Natum cognomen ab eo, qui legem de petendis magistratibus *annalem* in tribunatu pl. tulit. Livius libro, opinor, XL. MAN.

65. *Non... miratum.* Quia mirandum non est, sordidi hominem artificii humanitatem ignorare. De Hippodamis supra, hac eadem epist. cap. 3.

sermonibus, cœnis denique tuis delectari. Is homo semper me delectavit; fraterque ejus mecum est multum. Quare, ut instituisti, complectere adolescentem.

Quod multos dies epistolam in manibus habui, propter commorationem tabellariorum, ideo multa conjecta sunt, aliud alio tempore; velut hoc. T. Anicius mihi sæpe jam dixit, sese tibi, suburbanum si quod invenisset, non dubitaturum esse emere. In ejus sermone ego utrumque soleo admirari : et te de suburbano emendo, quum ad illum scribas, non modo ad me non scribere, sed etiam aliam in sententiam scribere; et, quum ad illum scribas, nihil te recordari de se [66], de epistolis illis, quas in Tusculano ejus tu mihi ostendisti, nihil de præceptis Epicharmi, γνῶθι [67] πῶς ἄλλῳ κέχρηται; totum denique vultum, animum, sermonem ejus : quemadmodum conjicio [68], quasi... Sed hæc tu videris. De suburbano, cura, ut sciam, quid velis : et simul, ne quid ille turbet, vide.

Quid præterea ? Quid ? etiam. Gabinius a. d. IIII kal. octobr. noctu in Urbem introivit; et hodie H. VIII, quum edicto C. Alfii de majestate eum adesse oporteret, concursu magno, et odio universo populi pæne

66. *De se.* Si loqueretur ex Anicii persona, hoc modo : « Miratur Anicius nihil te recordari de se » : usitatissimum esset. Nunc ex persona sua quum dicat : « Soleo admirari, nihil te recordari de se » : quam proprie *se* pro *eo* positum sit, grammatici viderint. MAN. — Viderunt sane diligenter F. Sanctius et Jac. Perizonius, Minerv. II, 12. OLIV. — *De se*, vel pro *de eo*, vel ineptum additamentum. J. V. L.

67. Γνῶθι. Id est : vide quo modo alium tractaverat. Prius quam credas, aiebat Epicharmus, cognosce quemadmodum is cui crediturus es alio sit usus : ut si se erga alium recte gesserit, ei te tuto committas : sin minus, exemplo doctus caveas. Apparet Anicium non bona fide fuisse. MANUT.

68. *Quemadmodum conjicio.* Imperfecta sententia : sed, opinor, hoc significat : Quemadmodum conjicio, quasi minime illum noris, ita res illi tuas committis. Incipit autem, fraterno amore adductus, hoc dicere : mox, ne fratrem videatur nimis multis verbis ut imprudentem monere, ex-

afflictus est. Nihil illo turpius. Proximus tamen est Piso. Itaque mirificum ἐμβόλιον[69] cogito in secundum librorum meorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset; quorum alter exercitum perdidisset, alter vendidisset. Ex Britannia Cæsar ad me kal. sept. dedit literas; quas ego accepi a d. IIII kalend. octobr. satis commodas[70] de Britannicis rebus : quibus, ne admirer, quod a te nullas acceperim, scribit, se sine te fuisse, quum ad mare accesserit. Ad eas ego ei literas nihil rescripsi, ne gratulandi quidem causa, propter ejus luctum[71]. Te oro etiam atque etiam, mi frater, ut valeas.

tremam sententiæ partem omittit.

69. Ἐμβόλιον. Partem quamdam ab argumento proposito sejunctam, interpositionem. MAN.

70. *Satis commodas*. Satis prospera significantes de Britannico bello, satis ex nostra voluntate. IDEM.

71. *Luctum*. Ob interitum filiæ. IDEM. — Hæc tamen verba, « Casus ille », quæ leguntur supra, cap. 5, de Juliæ filiæ interitu noluit intelligi. Equidem fateor, non semper vim subesse omnino eamdem his vocibus, « casus, luctus ». Sed, quum de eodem in eadem dicuntur epistola, res duas significari non facile crediderim. OLIV.

EPISTOLA II.

Gabinium redeuntem in urbem, in senatu male vexatum, et a Memmio tribuno pl. ad populum male tractatum esse, ac de judicio ejus proxime futuro, commemorat. Deinde qui de ambitu rei sint, quæ comitiorum spes sit, demonstrat. (Romæ, anno U. C. 699, mense octobri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

A. D. VI id. octobr. Salvius Ostiam vesperi navi profectus erat cum iis rebus, quas tibi domo mitti volueras. Eodem die Gabinium ad populum luculente

calefecerat Memmius, sic, ut Calidio verbum facere pro eo non licuerit. Postridie autem ejus diei, qui erat tum futurus, quum hæc scribebam ante lucem, apud Catonem erat divinatio [1] in Gabinium futura inter Memmium, et Tib. Neronem, et C. et L. Antonios, M. F. Putabamus fore, ut Memmio daretur, etsi erat Neronis mira contentio. Quid quæris? probe premitur, nisi noster Pompeius, diis hominibusque invitis, negotium everterit. Cognosce nunc hominis audaciam, et aliquid in republica perdita delectare. Quum Gabinius, quacumque veniebat, triumphum se postulare dixisset, subitoque bonus imperator [2] noctu in Urbem, hostium plane, invasisset, in senatum se non committebat. Interim ipso decimo die, quo ipsum oportebat hostium [3] numerum, et militum renuntiare, in re hæsit [4], summa infrequentia. Quum vellet exire, a consulibus retentus est : introducti publicani [5]. Homo undique actus, quum a me maxime vulneraretur, non tulit, et me trementi voce exsulem appellavit. Hic (o dii! nihil umquam honorificentius nobis accidit), consurrexit senatus cum clamore ad unum, sic, ut ad corpus ejus accederet; pari clamore atque

1. *Divinatio.* Contentio, quis deberet accusare. Causam nominis Pedianus exponit, quia non de facto quæreretur, sed de futuro, quæ est *divinatio*, uter deberet accusare. Manut.

2. *Bonus imperator.* Ex ambiguo ludit. Nam periti imperatores plerumque noctu irrumpunt in urbes hostium. Iste vero, nequam imperator, quum se odio esse civitati sentiret, sic ut eum hostis loco haberet, noctu introivit, convicia veritus et contumelias, si interdiu ingrederetur. Idem.

3. *Hostium.* Omnibus plane imperatoribus, e provincia reversis, usitatum hoc fuisse crediderim, ut cæsorum non tam hostium, quam militum numerum in senatu exponerent. Id.

4. *Irrepsit.* Hoc est, latenter, more animalium repentium, venit in senatum, quo tempore senatores pauci aderant. Alii legunt, « in re hæsit ». Lipsius vero, « mire hæsit summa in frequentia ». Quem vide, Antiq. Lect. IV, 13. — Lipsius et Gulielm. corr. « mire hæsit »; Manutius vero, multis probantibus, « irrepsit ». J.V. L.

5. *Publicani.* Syriani, Gabinio infensi. Questum enim sua damna ad senatum venerant: quod, quum Gabi-

impetu publicani : quid quæris? omnes, tamquam si tu esses, ita fuerunt. Nihil hominum sermone foris clarius. Ego tamen teneo ab accusando vix mehercule; sed tamen teneo [6], vel quod nolo cum Pompeio pugnare (satis est, quod instat de Milone), vel quod [7] judices nullos habemus. Ἀπότευγμα [8] formido. Addo etiam malivolentiam [9] hominum. Et timeo, ne illi, me accusante, aliquid accidat [10]; nec despero, rem, et sine me, et nonnihil per me, confici posse.

De ambitu postulati sunt omnes, qui consulatum petunt : a Memmio, Domitius; a Q. Curtio, bono et erudito adolescente, Memmius; a Q. Pompeio, Messalla; a Triario, Scaurus. Magno [11] res in motu est : propterea quod aut hominum, aut legum [12] interitus ostenditur. Opera datur, ut judicia ne fiant. Res videtur spectare ad interregnum. Consules comitia habere cupiunt : rei nolunt, et maxime Memmius, quod

nius, finibus provinciæ suæ contra leges egressus, Alexandriam ad restituendum Ptolemæum cum exercitu profectus esset; prædones per ejus absentiam maritima Syriæ loca vastarunt. Quo facto, publicanis ea, quæ de publico redemerant, exigere non licuit. Dio lib. XXXIX. Manut.

6. *Teneo.* Antique, pro *teneo me.* Manut. — *De Milone.* In quo defendendo Cicero se Pompeium offensurum providebat. Ed.

7. *Vel quod.* Bessarionis liber habet, *id quod.* Unde factum suspicor, *vel quod*, eorum temeritate, quod aures imperitæ antiquam, non tamen satis usu pervulgatam, loquendi rationem inique ferrent. Est enim, *id quod*, pro *ideo quod* (Terent. Heaut. V, 3, 17; Hec. III, 3, 8). Totum igitur hunc locum ita legerem ac distinguerem : « Teneo ab accusando, vix mehercule, sed tamen teneo, id quod nolo cum Pompeio pugnare (satis est quod instat de Milone) : id quod judices nullos habemus; ἀπότευγμα formido ». Idem.

8. Ἀπότευγμα. Infelicem successum, hoc est, absolutionem Gabinii. Nam ἀποτυγχάνω, spe frustror, non obtineo. Idem.

9. *Malivolentiam.* In ipsum, in Gabinium? in ipsum. Idem.

10. *Aliquid accidat.* Contra quam accideret me non accusante. Timeo, ne absolvatur. Nam qui me oderunt, fortasse illum, me accusante, sublevarent. Idem.

11. *Magno.* Vict. Man. *magna.*

12. *Aut hominum, aut legum.* Aut candidatorum, si condemnantur; aut legum, si absolvuntur. Manut.

Cæsaris adventu[13] sperat se futurum consulem. Sed mirum in modum jacet. Domitius cum Messalla certus esse videbatur. Scaurus refrixerat. Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum; qui quidem mirificus illo die (quod pæne præterii) fuit in Gabinium: accusavit majestatis; nomina data[14], quum ille verbum nullum. Habes forensia. Domi recte, et ipsa domus a redemptoribus tractatur non indiligenter. Vale.

13. *Adventu.* In urbem? minime: quia cum imperio erat; sed in Galliam Togatam, Cæsaris provinciæ partem; quæ ad suffragia veniebat. MAN.

14. *Data.* Prolata, eorum qui participes aut conscii fuerant majestatis imminutæ: quibus testibus convinci Gabinius posset. IDEM.

EPISTOLA III.

De rebus domesticis nonnulla: desiderium literarum a Quinto: comitiorum dilationes: Gabinius de ambitu reus: et Ciceronis Q. filii in rhetore audiendo diligentia. (Romæ, anno U. C. 699, mense octobri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

OCCUPATIONUM mearum tibi signum sit librarii manus. Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo. Ita, quidquid conficio, aut cogito, in ambulationis fere tempus confero. Negotia nostra sic se habent; domestica vero, ut volumus. Valent pueri, studiose discunt[1], diligenter docentur, et nos, et inter se amant. Expolitiones[1] utriusque nostrum sunt in manibus; sed tua ad perfectum[2] jam res rustica Arcani

1. *Expolitiones.* Ædium.

2. *Ad perfectum.* P. Manutius hariolabatur: « perfectum. Jam res rusticas, etc. » ut pendeant a verbo *perscriberem.* Lambinus audacius fecit, intulitque in contextum, « sed tua pæne ad tectum jam perducta res est rustica ». Unde autem istud de-

et Laterii. Præterea de aqua et via nihil prætermisi quadam epistola, quin enucleate ad te perscriberem. Sed me illa cura sollicitat, angitque vehementer, quod dierum jam amplius L intervallo nihil a te, nihil a Cæsare, nihil ex istis locis, non modo literarum, sed ne rumoris quidem affluxit. Me autem jam et mare istuc, et terra sollicitat; neque desino (ut fit in amore) ea, quæ minime volo, cogitare. Quare non equidem jam te rogo, ut ad me de te, de rebus istis scribas (numquam enim, quum potes, prætermittis); sed hoc te scire volo, nihil fere umquam me sic exspectasse, ut, quum hæc scribebam, literas tuas. Nunc cognosce ea, quæ sunt in republica. Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus, magna voluntate bonorum [3] omnium: tanta invidia sunt consules propter suspiciones pactorum a candidatis præmiorum. Candidati consulares quatuor, omnes rei; causæ sunt difficiles: sed enitemur, ut Messalla noster salvus sit; quod est etiam cum reliquorum salute conjunctum. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribente privigno Memmio, fratre Cæcilio Sullæ filio [4]. Contra dixit [5] L. Torquatus, omnibusque libentibus non obtinuit. Quæris, quid fiat de Gabinio? Sciemus de majestate triduo: quo quidem in judicio odio premitur omnium generum; maxime testibus cæditur; accusatoribus frigidissimis utitur [6];

sumpserit, plane tacet. Gruter.—*Ad perfectum*, id est, « quasi perfecta et absoluta ». Phrasis est tectonica certe consilio a Cicerone servata, et illi medicorum persimilis, « ad tertias, ad quartas, etc. » F. Junius.

3. *Bonorum.* Qui comitia haberi eo anno a consulibus nolebant, ne præmia consequerentur pacta a Memmio et Calvino, consularibus candidatis. Idem.

4. Alii, ut Olivetus et Lallem. « Sulla filio ». J. V. L.

5. *Contra dixit.* In divinationis judicio: accusator enim, Sulla rejecto, diligi volebat. Ad Atticum, epist. 16, lib. IV. Man.

6. Pighius conj. *uritur*. J. V. L.

consilium varium; quæsitor gravis et firmus, Alfius; Pompeius vehemens in judicibus rogandis. Quid futurum sit, nescio; locum tamen illi in civitate non video. Animum præbeo ad illius perniciem, moderatum; ad rerum eventum, lenissimum. Habes fere de omnibus rebus. Unum illud addam: Cicero tuus nosterque summo studio est Pæonii sui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati et boni. Sed nostrum instituendi genus esse paullo eruditius, et θετικώτερον [7], non ignoras. Quare neque ego impediri Ciceronis iter, atque illam disciplinam volo; et ipse puer magis illo declamatorio genere duci et delectari videtur. In quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus; eodem enim perventurum esse confidimus. Sed tamen, si nobiscum eum rus [8] aliquo eduxerimus, in hanc nostram rationem consuetudinemque inducemus. Magna enim nobis a te proposita merces [9] est, quam certe nostra culpa numquam minus assequemur. Quibus in locis, et qua ipse hiematurus sis, ad me quam diligentissime scribas velim. Vale.

7. Θετικώτερον. Subtilius, philosophicis quæstionibus magis refertum. MANUT.

8. *Rus aliquo.* In aliquam villam.

9. *Merces.* Amoris augendi erga me tui. Epist. I hujus libri.

EPISTOLA IV.

De Gabinio propter accusatoris et subscriptorum infantiam absoluto perscribit, et quare nec eum accusarit, nec defenderit, sed tantum testimonium contra eum dixerit, ostendit: denique de rebus domesticis quædam addit. (Romæ, anno U. C. 709, mense octobri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

GABINIUS absolutus est. Omnino nihil accusatore

Lentulo, subscriptoribusque ejus infantius; nihil illo consilio sordidius. Sed tamen, nisi incredibilis contentio, et preces Pompeii, dictaturæ etiam rumor, plenus timoris, fuisset, ipse Lentulo non respondisset, qui tum illo accusatore, illoque consilio sententiis condemnatus sit XXXII, quum LXX tulissent. Est omnino tam gravi fama hoc judicium, ut videatur reliquis judiciis periturus, et maxime de pecuniis repetundis. Sed vides nullam esse rempublicam, nullum senatum, nulla judicia, nullam in nullo nostrum dignitatem. Quid plura de judicibus? duo prætorii sederunt, Domitius Calvinus; is aperte absolvit, ut omnes viderent: et Cato[1]; is, diremptis[2] tabellis, de circulo[3] se subduxit, et Pompeio[4] primus nuntiavit. Aiunt nonnulli, Sallustius item, me oportuisse accusare. Iis ego judicibus committerem? Quid essem, si, me agente, esset elapsus? Sed me alia moverunt. Non putasset sibi Pompeius de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen; in Urbem intrasset; ad inimicitias res venisset; cum Æsernino[5] Samnite Pacideianus comparatus viderer; auriculam fortasse mor-

1. *Cato*. Non is, qui postea *Uticensis* dictus est. Erat enim hoc anno prætor; prætores autem in aliorum prætorum consilio judices sedisse, non est ut credi possit. Accedit illa ratio, quod vir omnium optimus et constantissimus quum esset, numquam, adulandi gratia, Gabinium absolutum primus Pompeio nuntiasset. Est igitur alius Cato, vel Porcius, vel Hostilius; qui sua sententia Gabinium videtur absolvisse. De C. Catone, qui tribunus pleb. fuit Marcellino et Philippo coss. non licet intelligi. Non enim uno tantum anno post tribunatum gerere præturam potuit. MAN.

2. *Diruptis*. Malim *diremptis*, pro « discretis, dinumeratis »: ut, quæ damnassent, cognosceretur. Non enim discessit Cato, nisi postea quam, tabellis dinumeratis, Gabinium vidit absolutum. ID. — Junius vero *direptis* legit ex interpolato MS.

3. *Circulo*. Ubi judices circa prætoris tribunal sedentes sententias tulerant. IDEM.

4. *Pompeio*. Extra urbem. Manerat cum imperio. Id confirmant illa, quæ paullo post sequuntur, verba: « In urbem introiisset ».

5. *Cum Æsernino*. Insigne par gladiatorum inductum videretur, ut Pacidianus cum Æsernino pugnaturus: de quibus Lucilius poeta. Vide libel-

dicus abstulisset. Cum Clodio quidem certe rediisset in gratiam. Ego vero meum consilium (si præsertim tu non improbas) vehementer approbo. Ille, quum a me singularibus meis studiis ornatus esset, quumque ego nihil deberem, ille mihi omnia; tamen in republica me a se dissentientem non tulit (nihil dicam gravius), et minus potens eo tempore, quid in me florentem posset, ostendit. Nunc, quum ego ne curem quidem multum posse, res quidem publica certe nihil possit, unus ille omnia possit, cum illo ipso contenderem? sic enim faciendum fuisset. Non existimo te putare, id mihi suscipiendum fuisse. Alterutrum[6], inquit idem Sallustius, defendisses; idque Pompeio contendenti dedisses. Etenim vehementer orabat. Lepidum amicum Sallustium, qui mihi aut inimicitias putet periculosas subeundas fuisse, aut infamiam sempiternam. Ego vero hac mediocritate delector; ac mihi illud jucundum est, quod, quum testimonium secundum fidem et religionem gravissime dixissem, reus dixit, si in civitate[7] licuisset sibi esse, mihi se satisfacturum[8]; neque me quidquam interrogavit.

De versibus, quos tibi a me scribi vis, deest mihi quidem opera, quæ non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat: sed abest etiam ἐνθουσιασμός. Non enim sumus omnino sine cura venientis anni: etsi sumus sine timore. Simul et illud (sine ulla mehercule ironia loquor), tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quam mihi. De bibliotheca tua græca supplenda, libris commu-

lum de optimo genere Orat. cap. 6.

6. *Alterutrum, inquit idem Sallustius.* Junius conjicit, «Alterum igitur». J. V. L.

7. *In civitate.* Si absolutus esset. Damnati enim de majestate exsulabant. Man.

8. *Satisfacturum.* Gratiam relaturum, quod cum non accusassem, testimonio contentus.

tandis, latinis comparandis; valde velim ista confici, præsertim quum ad meum quoque usum spectent. Sed ego, mihi ipsi ista per quem agam, non habeo. Neque enim venalia sunt, quæ quidem placeant; et confici nisi per hominem et peritum, et diligentem non possunt. Chrysippo tamen imperabo, et cum Tyrannione loquar. De fisco [9] quid egerit Scipio, quæram. Quod videbitur rectum esse, curabo. De Ascanione, tu vero, quod voles, facies : me nihil interpono. De suburbano [10] quod non properas, laudo; ut tu habeas, hortor. Hæc scripsi a. d. IX kal. novembr. quo die ludi committebantur [11], in Tusculanum proficiscens, ducensque mecum Ciceronem meum in ludum discendi, non lusionis. Ea re non longius, quam vellem [12], quod Pomptinio [13] ad triumphum a. d. III non. novembr. volebam adesse. Etenim erit nescio quid negotioli. Nam Cato et Servilius, prætores, prohibituros se minantur; nec, quid possint, scio. Ille enim et Appium consulem secum habebit [14], et prætores, et tribunos plebis. Sed minantur tamen, in primisque Ἄρη πνέων [15] Q. Scævola. Cura, mi suavissime et carissime frater, ut valeas.

9. *Fisco.* Ærario. Hae de re extrema epistola sequenti his verbis : « Ab ærario puto confectum esse, dum absum ». Quærere præterea, quid plane rei sit, inepti hominis esset, vereque, quod aiunt, nodum in scirpo quærentis. MAN.

10. *Suburbano.* Emendo, si quod inveniretur; vide pag. 628.

11. *Committebantur. Committi ludos*, pro *incipi*, ignorat, opinor, nemo.

12. *Quam vellem.* Non placet hæc loquendi ratio, « non longius, quam vellem ». Perpendatur sententia : inesse quiddam, quod teretes aures offendat, sentietur. Forte abundat, « quam vellem ». MAN.—Sed perperam.

13. *Pontino.* Alias *Pontinio*, vel *Pomptino*, de Allobrogibus triumphaturo. Præturam gessit Cicerone consule. Ejusdem in Cilicia legatus fuit.

14. *Habebit.* Vide ad Div. IV, 16.

15. Ἄρη πνέων. Martem spirans. Dictum de iis, qui terribile quiddam vultu præ se ferunt. Sic in epistol. ad Att. 11, lib. XV : « Hoc loco, fortibus sane oculis, Cassius (Martem spirare diceres), se in Siciliam non iturum ». Ἄρη βλέπων dixit Aristophanes. MAN.

EPISTOLA V.

De libris de republica, Sallustii monitu, refingendis; de Cæsaris erga se amore; de versibus scribendis excusatio; de reip. statu conquestio; de Gabinio a se non defenso, et de suo in libris Quinto emendis studio. (In Tusculano, anno U. C. 699, mense novembri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Quod quæris, quid de illis libris egerim, quos, quum essem in Cumano, scribere institui: non cessavi, neque cesso; sed sæpe jam scribendi totum consilium rationemque mutavi. Nam jam duobus factis libris, in quibus, novendialibus iis feriis, quæ fuerunt Tuditano et Aquillio consulibus, sermo est a me institutus Africani, paullo ante mortem, et Lælii, Philii, Manilii, Q. Tuberonis, et Lælii generorum Fannii et Scævolæ[1]; sermo autem in novem et dies et libros distributus de optimo statu civitatis, et de optimo cive: sane texebatur opus luculenter[2], hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat. Hi libri quum in Tusculano mihi legerentur, audiente Sallustio: admonitus sum ab illo, multo majore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de republica, præsertim quum essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, et is, qui in maximis versatus in republica rebus essem; quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse; oratorium sermonem in illis nostris libris, quod esset de ratione dicendi, belle a me removisse; ad eos

1. Alii, ut passim, « Scævulæ ». J. V. L.

2. *Opus luculenter*. Alii, *opus luculente*. J. V. L.

tamen retulisse, quos ipse vidissem; Aristotelem denique, quæ de republica et præstante viro scribat, ipsum loqui. Commovit me, et eo magis, quod maximos motus nostræ civitatis attingere non poteram, quod erant inferiores, quam illorum ætas, qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram sequutus, ne, in nostra tempora incurrens, offenderem quempiam. Nunc et id vitabo, et loquar ipse tecum. Et tamen illa, quæ institueram, ad te, si Romam venero, mittam. Puto enim, te existimaturum, a me libros illos non sine aliquo meo stomacho esse relictos.

Cæsaris amore, quem ad me perscripsit, unice delector; promissis[3] iis, quæ ostendit, non valde pendeo: nec honores sitio, nec desidero gloriam; magisque ejus voluntatis perpetuitatem, quam promissorum exitum exspecto. Vivo tamen in ea ambitione, et labore, tamquam id, quod non postulo, exspectem. Quod me de faciendis versibus rogas, incredibile est, mi frater, quam egeam tempore: nec sane satis commoveor animo ad ea, quæ vis, canenda. Ὑποθέσεις[4] vero ad ea, quæ ipse ego ne cogitando quidem consequor, tu, qui omnes isto eloquendi et exprimendi genere superasti, a me petis? Facerem tamen, ut possem; sed (quod te minime fugit) opus est ad poema quadam animi alacritate, quam plane mihi tempora eripiunt. Abduco equidem me ab omni reipublicæ cura, dedoque literis; sed tamen indicabo tibi, quod mehercule in primis te celatum volebam. Angor, mi suavissime frater, angor, nullam esse rempublicam, nulla judicia, nostrumque hoc tempus ætatis, quod in

3. Alii mallent « a promissis ». J. V. L.

4. Ὑποθέσεις. Argumenta, materiem. Nempe versus in laudem Cæsaris, ob res in Britannia gestas Quintus petierat. Quæ sint illæ ὑποθέσεις, vide II, 16. Ed. — *Superasti*. Ernest. conj. *superas*. J. V. L.

illa auctoritate senatoria florere debebat, aut forensi labore jactari, aut domesticis literis sustentari; illud vero, quod a puero adamaram,

Αἰὲν ἀριστεύειν [5], καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,

totum occidisse; inimicos a me partim non oppugnatos, partim etiam esse defensos; meum non modo animum, sed ne odium quidem esse liberum, unumque ex omnibus Cæsarem esse inventum, qui me tantum, quantum ego vellem, amaret, aut etiam (sicut alii putant) hunc unum esse, qui vellet[6]. Quorum tamen nihil est ejusmodi, ut ego me non multa consolatione quotidie leniam : sed illa erit consolatio maxima, si una erimus. Nunc ad illa vel gravissimum accedit tui desiderium. Gabinium si, ut Pansa putat oportuisse, defendissem, concidissem : qui illum oderunt (ii sunt toti ordines), propter quem oderunt, me ipsum odisse cœpissent. Tenui me, ut puto, egregie, tantum ut facerem, quantum omnes viderent. Et in omni summa, ut mones, valde me ad otium pacemque converto. De libris[7], Tyrannio est cessator : Chrysippo dicam; sed res operosa est, et hominis perdiligentis. Sentio ipse, qui in summo studio nihil assequor. De latinis vero, quo me vertam, nescio : ita mendose et scribuntur, et veneunt; sed tamen, quod fieri poterit, non negligam. Crebrius, ut ante ad te scripsi, Romæ est : et qui[8] omnia adjurant[9], debere tibi valde renuntiant. Ab ærario[10] puto confectum esse, dum absum.

5. Αἰέν. Semper fortiter agere, et aliis præstare. Iliad. VI, 208. Vide et Epist. ad Div. XIII, 15.

6. *Qui vellet.* Quasi unus Cæsar non alicujus commodi spe, sed vere atque ex animo planeque sua sponte amaret. Man.

7. *De libris.* Supra, ep. 4, p. 636.

8. Mendosus locus. Sch. frustra hunc sanare tentat. Ed.

9. *Adjurant.* Cogunt sibi credi, jurejurando ad asseverationem adjuncto. Manut.

10. *Ærario.* Supra, ep. 4, p. 637.

EPISTOLA VI.

Tragœdias a Quinto scriptas sibi mitti vult. (In Tusculano, anno U. C. 699, mense novembri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Quatuor[1] tragœdias xvi diebus absolvisse quum scribas, tu quidquam ab alio mutuaris? et κλέος[2] quæris, quum Electram et Troadem scripseris? Cessator esse noli, et illud γνῶθι[3] σεαυτὸν, noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam ut bona nostra norimus. Sed et istas, et Erigonam mihi velim mittas. Habes[4] ad duas epistolas proximas.

1. Hoc epistolium tantummodo superiorum literarum partem esse, et putant multi, et extrema verba ostendere videntur. J. V. L.

2. Κλέος. Laudem. Alii aliis modis castigaverunt. Nonnulli χρέος legunt. Germani, πλέον. Nobis immutare non tutum visum est: magis enim adhuc vulgatas lectiones improbare possumus, quam veram esse ullam ex ipsis confirmare, aut ipsi certiorem in medium afferre. Vict. — Leg. χρέος, quod antecedentia docent: «Qui abundas, cur debeas? cur æs alienum contrahas tibi?» F. Junius.

3. Γνῶθι. Nosce te ipsum. De hoc Apollinis verbo, vide Tusc. I, 22.

4. Abest *ad*. J. V. L.

EPISTOLA VII.

Proluviem ingentem fuisse scribit, et epistolas promittit. (In Tusculano, anno U. C. 699, mense septembri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Romæ, et maxime Appia ad Martis[1], mira proluvies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ

1. *Appia, ad Martis.* Appia via, ad ædem Martis. Man.

plurimæ; magna vis aquæ usque ad piscinam publicam. Viget illud Homeri[2],

> Ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
> Ζεύς. . . . . . .

Cadit enim in absolutionem Gabinii

> . . . ὅτε δή γ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,
> Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
> Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

Sed hæc non curare decrevi. Romam quum venero, quæ perspexero, scribam ad te, et maxime de dictatura[3]; et ad Labienum, et ad Ligurium literas dabo. Hanc scripsi ante lucem, ad lychnuchum ligneolum, qui mihi erat perjucundus, quod eum te aiebant, quum esses Sami, curasse faciendum. Vale, mi suavissime et optime frater.

2. *Viget illud Homeri.* Accidit plane, quod in illis versibus, dixit Homerus, Iliad. XVI, 385 : « Die autumnali, quum abundantissimam effundat aquam Jupiter hominibus iratus, qui per vim in foro obliquas pronuntiant sententias, justitiam autem expellunt, deorum iram non curantes ». Videtur enim ideo *proluviem* hanc immisisse, quia Gabinium contra leges absolutum inique ferat. Ed.

3. *Dictatura.* Ad quam res videtur spectare. Discordiis enim civium comitia producuntur, quas dictatoris potestas sedabit. Supra et infra, et ad Attic. epist. 16, lib. IV. Man.

EPISTOLA VIII.

De Cæsaris amicitia, et cautione in literis dandis adhibenda; de spe candidatorum consulatus; de dictaturæ timore; et de Milonis ludis. (Romæ, anno U. C. 699, mense novembri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

Superiori epistolæ quod respondeam, nihil est; quæ plena stomachi et querelarum est : quo in genere

alteram quoque te scribis pridie Labieno dedisse; qui adhuc non venerat. Delevit enim mihi omnem molestiam recentior epistola. Tantum te et moneo, et rogo, ut in istis molestiis, et laboribus, et desideriis recordere, consilium nostrum quod fuerit profectionis tuæ. Non enim commoda quædam sequebamur parva ac mediocria. Quid enim erat, quod discessu nostro emendum putaremus? Præsidium firmissimum petebamus ex optimi et potentissimi viri benivolentia ad omnem statum nostræ dignitatis. Plura ponuntur in spe, quam [1] in pecuniis: reliqua [2] ad jacturam struentur. Quare si crebro referes animum tuum ad rationem et veteris consilii nostri, et spei, facilius istos militiæ labores, ceteraque, quæ te offendunt, feres: et tamen, quum voles, depones. Sed ejus rei maturitas nequedum venit, et tamen jam appropinquat. Etiam illud te admoneo, ne quid ullis literis committas, quod si prolatum sit, moleste feramus. Multa sunt, quæ ego nescire malo, quam cum aliquo periculo fieri certior. Plura ad te vacuo animo scribam, quum (ut spero) se Cicero meus belle habebit. Tu velim cures, ut sciam, quibus nos dare oporteat eas, quas ad te deinde literas mittemus: Cæsarisne tabellariis, ut is ad te protinus mittat; an Labieni. Ubi enim isti sint Nervii [3], et quam longe absint, nescio.

De virtute et gravitate Cæsaris, quam in summo

1. *Quam in... reliqua... struentur.* Lallem. e MSS reg. « quam petimus »; ac deinde, « reliqua ad jacturam reserventur ». J. V. L.

2. *Reliqua.* Præter spem, aut, præter ea, quæ jam habemus, a nobis ipsis parta. Quæcumque, inquit, struas, ad jacturam struentur: id est, ejusmodi erunt, ut aliquid ex iis quotidie possis amittere. At Cæsaris præsidium erit firmissimum: idque petiimus ad omnem statum nostræ dignitatis. Man.

3. *Nervii.* Ubi nunc hibernas cum legione. Cæsar Comm. de Bell. Gall. lib. V, cap. 24.

dolore[4] adhibuisset, magnam ex epistola tua accepi voluptatem. Quod me institutum ad illum poema jubes perficere; etsi distentus quum opera, tum animo sum multo magis, quoniam tamen ex epistola, quam ad te miseram, cognovit Cæsar, me aliquid esse exorsum, revertar ad institutum; idque perficiam his supplicationum otiosis diebus; quibus Messallam jam nostrum, reliquosque molestia levatos, vehementer gaudeo : eumque quod certum consulem cum Domitio numeratis, nihil a nostra opinione dissentitis. Ego Messallam Cæsari præstabo[5]. Sed Memmius in adventu[6] Cæsaris habet spem; in quo illum puto errare : hic quidem friget. Scaurum autem jam pridem Pompeius abjecit. Res prolatæ. Ad interregnum comitia adducta. Rumor dictatoris injucundus bonis; mihi etiam magis, quæ loquuntur. Sed tota res et timetur, et refrigescit. Pompeius plane se negat velle : antea ipse mihi non negabat. Hirrus auctor[7] fore videtur. O dii, quam ineptus! quam se ipse amans sine rivali[8]! Crassum Junianum, hominem mihi deditum, per me deterruit[9]. Velit, nolit, scire difficile est. Hirro tamen agente, nolle se non probabit[10]. Aliud hoc tempore de republica nihil loquebantur : agebatur quidem certe nihil.

4. *Dolore.* Ob legatos cum legione et cohortibus cæsos. Cæsar Comment. lib. V. Man.

5. *Præstabo.* Efficiam, si erit consul, ne quid agat in magistratu contra Cæsaris voluntatem. Idem.

6. *Adventu.* Vide libri huj. ep. 2.

7. *Auctor.* Quia designatus trib. pl.

8. *Sine rivali.* Horat. Art. Poet. vs. 444 : « Quod sine rivali teque et tua solus amares ». Accedit ad Attic. VI, 3 : « Hujus nebulonis obiratione si Brutus moveri potest, licebit eum solus ames; me æmulum non habebis ». Ed.

9. *Per me deterruit.* Mea opera Pompeius effecit, ut captum de dictatura consilium Crassus abjecerit. Hoc enim, et quæ sequuntur, ad Pompeium, non ad Hirrum, convenit referri : si tamen is est, de quo Plutarchus; qui, inito tribunatu, egit de dictatore Pompeio. Man.

10. *Non probabit.* Non persuadebit hominibus, quum per ejus amicum agatur. Idem.

Serrani Domestici [11] filii funus perluctuosum fuit a. d. IIX kalend. decembr. Laudavit pater scripto meo [12].

Nunc de Milone. Pompeius ei nihil [13] tribuit; et [14] omnia Guttæ : dicitque se perfecturum, ut in [15] illo Cæsar incumbat. Hoc horret Milo; nec injuria : et, si ille dictator factus sit, pæne diffidit. Intercessorem dictaturæ si juverit manu, et præsidio suo, Pompeium metuit inimicum. Si non juverit, timet, ne per vim perferatur. Ludos apparat magnificentissimos; sic, inquam, ut nemo sumptuosiores. Stulte bis, terque, non [16] postulatus : vel quia munus magnificum dederat, vel quia facultates non erant, [vel quia magister [17],] vel quia potuerat magistrum se, non ædilem [18] putare. Omnia fere scripsi. Cura, mi carissime frater, ut valeas.

11. *Domestici.* Cognomen Serrani.

12. *Scripto meo.* Quum orationem, ei a me scriptam de laudibus filii, legeret. MAN.

13. *Nihil tribuit.* Minime illi, anno sequenti consulatum petituro studet; maxime vero Guttæ. IDEM.

14. Ernest. conj. *at.* Sine causa.

15. Ernest. putat *in* delendum, ut « illo incumbere » sit « illuc, in eam rem ac partem ». J. V. L.

16. Ernest. conj. « non postulatos ». J. V. L.

17. *Magister.* Hereditatis dividendæ.

18. *Non ædilem.* Cui mortuo ludos dat.

EPISTOLA IX.

Varia de rebus publicis et domesticis perscribit. (Romæ, anno U. C. 689, mense decembri.)

MARCUS Q. FRATRI S.

DE Gabinio nihil fuit faciendum istorum, quæ amantissime cogitata [1] sunt.

Τότε μοι χάνοι [2].

1. *Cogitata.* Quæ ad me scripsisti.

2. Τότε μοι χάνοι. Prima verba profert : supple εὐρεῖα χθών. H. e. tunc mihi dehiscat lata tellus : quum hoc scilicet flagitii commisero. Iliad. IV, 182. MAN.

Feci summa cum gravitate, ut omnes sentiunt et summa cum lenitate, quæ feci. Illum neque ursi, neque levavi. Testis vehemens fui; præterea quievi. Exitum judicii fœdum et perniciosum levissime tuli. Quod quidem bonum mihi nunc denique redundat, ut his malis reipublicæ licentiaque audacium, qua ante rumpebar, nunc ne movear quidem. Nihil est enim perditius his hominibus, his temporibus. Itaque, ex republica quoniam nihil jam voluptatis capi potest, cur stomacher, nescio. Literæ me, et studia nostra, et otium, villæque delectant, maximeque pueri nostri. Angit unus Milo. Sed velim finem afferat consulatus: in quo enitar non minus, quam sum enisus in nostro; tuque istinc, quod facis, adjuvabis. De quo, cetera (nisi plane vis eripuerit) recte sunt; de re familiari timeo.

Ὁ δὲ μαίνεται [3] οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς,

qui ludos H-S ccc comparet. Cujus in hoc uno inconsiderantiam [4] et ego sustinebo, ut potero, et, tu ut possis, est tuorum nervorum. De motu temporum venientis anni, nihil te intelligere volueram domestici timoris, sed de communi reipublicæ statu: in quo etiamsi nihil procuro, tamen nihil curare vix possum. Quam autem te velim cautum esse in scribendo, ex hoc conjicito, quod ego ad te ne hæc quidem scribo, quæ palam in republica turbantur, ne cujusquam animum meæ literæ interceptæ offen-

3. Ὁ δὲ μαίνεται. Hic autem insanit sic, ut ferri amplius non possit. Odyss. IX, 350: σὺ δὲ μαίνεαι, etc.

4. Olim *considerantiam*. Ego h. l. corruptum puto: verbum enim hoc barbarum est; quod si latinum sit et elegans, sententiæ tamen admodum repugnat et contrarium est; erat enim temeritas et insania potius quædam rem suam familiarem effundere in ludorum apparitione. Ostendit autem verbis Homeri nunc illum tantopere

dant. Quare domestica cura te levatum volo. In republica scio quam sollicitus esse soleas. Video Messallam nostrum consulem, si per interregem, sine judicio[5]; si per dictatorem, tamen sine periculo: odii nihil habet. Hortensii calor multum valebit. Gabinii absolutio, lex impunitatis[6] putatur. Ἐν παρέργῳ[7]: de dictatore tamen actum adhuc nihil est. Pompeius abest; Appius miscet; Hirrus parat[8]; multi intercessores numerantur; populus non curat; principes nolunt; ego quiesco. De mancipiis[9], quod mihi polliceris, valde te amo: et sum equidem, uti scribis, et Romæ, et in prædiis infrequens[10]. Sed cave, amabo, quidquam, quod ad meum commodum attineat, nisi maximo tuo commodo, et maxima tua facultate, mi frater, cogitaris. De epistola[11] Vatinii, risi. Sed me ab eo ita observari scio, ut ejus ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam. Quod me hortaris, ut absolvam: habeo absolutum suave, mihi quidem uti videtur, ἔπος[12] ad Cæsarem; sed quæro locupletem tabellarium, ne accidat quod Erigonæ

insanire, ut non amplius sustineri possit. Ut quod de illo Plinius lib. XXXVI, cap. 15, tradit, cum hoc loco conveniat: «Itaque et ipsum Milonem H-S septuaginta millia æris alieni debuisse inter prodigia humani animi judico». Vict. — Malit Man. *inconsiderantiam*, vocabulo inusitato, sed tamen ab *inconsiderans* usitato. Probant Lamb. et Ernest. Ed.

5. *Sine judicio.* Quem hic locum habet judicii mentio; quum in proxima epistola jam dixerit, illum esse absolutum? Intellige de altero, quod impendebat, de ambitu judicio. Man.

6. *Impunitatis.* His verbis nocentem Messallam significat. Fore tamen ut absolvatur, tribus causis, dixit: quod odii nihil habet: quod pro eo contendet Hortensius: quod, absoluto Gabinio, nemo jam videtur ita nefarius, qui absolvi non possit. Id.

7. Ἐν παρέργῳ. Breviter, velut in cursu.

8. *Parat.* Ut legem ferat de dictatura, quum scilicet tribunus plebis erit. Man.

9. *Mancipiis.* Ad me mittendis, Gallico aut Britannico bello captis.

10. *Infrequens.* Cum paucis mancipiis.

11. *Epistola.* Literis Roma ad Cæsarem missis, quæcumque diceret ageretve Cicero, tamquam explorator significabat.

12. Ἔπος. Poema.

tuæ; cui soli, Cæsare imperatore, iter ex Gallia tutum non fuit....

Quid? si cæmentum [13] bonum non habeam [14], deturbem ædificium? quod quidem quotidie mihi magis placet: in primisque inferior porticus, et ejus conclavia fiunt recte. De Arcano [15], Cæsaris opus est, vel mehercule etiam elegantioris alicujus. Imagines enim istæ, et palæstra, et piscina, et nilus [16], multorum Philotimorum est, non Diphilorum [17]. Sed et ipsi ea adibimus, et mittemus, et mandabimus. De Felicis testamento tum magis querare [18], si scias. Quas enim tabulas se putavit obsignare, in quibus in unciis [19] firmissimum tenuerat [20] (lapsus est per errorem et suum, et Sicuræ servi), non obsignavit; quas noluit, eas obsignavit. Ἀλλ' οἰμωζέτω [21]: nos modo va-

13. *Quid, si cæmentum.* Minime placet hæc ab ἔπος ad ædificium subita transitio. Nec dubito, quin hujus partis, in qua de Quinti agitur villa, fortasse in Laterio, initium desideretur. Itaque visum est, ut hac nota*, quasi lacunam loci significaret, a superioribus inferiora disjungerem. Man.

14. Alii, *haberem*. J. V. L.

15. *Arcano.* Quinti fundo. *Cæsaris opus*, maximum videlicet.

16. *Nilus.* Ut opinor, plures rivulos, e salientibus aquis in piscinam diversis partibus confluentes, appellat Nilum: quod, ut hoc flumen ostiis septem profluit in mare, sic salientes illæ in piscinam rivulis multis, quasi parvus Nilus, perveniant. Man.

17. *Philotimorum est, non Diphilorum.* Diligentiam Philotimi, negligentiam Diphili significat. Hoc, inquit, Diphili negotium non est, sed Philotimi; neque vero unius Philotimi, sed multorum. Idem.

18. *Tum magis querare*, etc. Alii, *querere*.

19. *In unciis. Assis* nomine tota significatur hereditas. *As*, qui et libra, duodecim in partes, quæ dicuntur unciæ, dividitur. Duodecim igitur partes bonorum suorum, postea quam esset mortuus, fieri Felix volebat. Sed, ut in propinqua morte, mente perturbatus, Sicuræ etiam servi imprudentia, tabulas de unciis non obsignavit: alteras, aliam in sententiam, a se antea scriptas, obsignavit. Man. — *Prévost* tentat *semunciis*, vel *III unciis*: nihil mutat Ernest. Lambinus maluit *de unciis*.

20. *Firmissimum tenuerat.* Consilium illud de bonis suis in XII partes inter coheredes dividendis mutare noluerat. Man.

21. Ἀλλ' οἰμωζέτω. Videtur esse finis senarii ex aliqua vetere comœdia, et significat, *Illi* mortuo *male sit*, qui tam male suis consuluerit: nos valeamus. Idem.

leamus. Ciceronem, et ut rogas, amo, et ut meretur, et ut debeo. Dimitto autem a me, et ut a magistris ne abducam, et quod mater Pomponia discedit, sine qua edacitatem pueri pertimesco. Sed sumus una tamen valde multum. Rescripsi ad omnia, mi suavissime et optime frater.

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLÆ
AD M. BRUTUM,
ET M. BRUTI AD CICERONEM.

EPISTOLA I.

Post interitum C. Cæsaris, M. Brutus, qui conjurationis in illum particeps atque etiam auctor princepsque fuerat, Cretam provinciam a senatu accepit administrandam; nec ita multo post, concitatæ multitudinis furorem extimescens, Urbe cessit, redituque desperato, quum in Creta non multum neque sibi, neque reip. præsidii putaret esse, intendit animum ad Macedoniam; quam ei Q. Hortensii oratoris filius, facile tradidit. Nam Cæsar, de Parthica expeditione cogitans, et magistratus in triennium creaverat, et provincias diviserat: ex quibus Macedoniam regi a M. Bruto, absoluta prætura, voluerat. Ad eum igitur Macedoniæ præfectum Cicero scribit. Ac primo quidem de L. Clodii trib. pleb. singulari et cognito in se Brutumque amore ac fide. (Romæ, anno U. C. 710, mense septembri.)

CICERO BRUTO S.

L. Clodius, tribunus plebis designatus, valde me diligit, vel, ut ἐμφατικώτερον [1] dicam [2], valde me amat. Quod quum mihi ita persuasum sit, non dubito (bene enim me nosti), quin illum quoque judices a me

* Schütz. has omnes epistolas pro spuriis habet, et omisit. Ed.

1. Ἐμφατικώτερον. Luculentius, cum majori significatione.

2. *Dicam*. *Dicam* in nullis invenitur MSS, et sane potest omitti, soletque non raro, sententia non modo non imminuta, sed etiam grata brevi-

amari. Nihil enim mihi minus hominis videtur, quam non respondere in amore iis, a quibus provocere. Is mihi visus est suspicari, nec sine magno quidem dolore, aliquid a suis, vel per suos potius iniquos[3] ad te esse delatum, quo tuus animus a se esset alienior. Non soleo, mi Brute (quod tibi notum esse arbitror), temere affirmare de altero: est enim periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesque naturas. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, judicatum. Multa ejus indicia, sed ad scribendum non necessaria: volo enim hoc testimonium tibi videri potius, quam epistolam. Auctus Antonii beneficio est; ejus ipsius beneficii magna pars a te est[4]. Itaque eum salvis nobis vellet salvum; in eum autem locum rem adductam intelligit (est enim, ut scis, minime stultus), ut utrique salvi esse non possint[5]. Itaque nos mavult. De te vero amicissime et loquitur, et sentit. Quare, si quis secus ad te de eo scripsit, aut si coram loquutus est, peto a te etiam atque etiam, mihi ut potius credas, qui et facilius judicare possum, quam ille nescio quis, et te plus diligo. Clodium tibi amicissimum existima, civemque talem, qualis et prudentissimus, et fortuna[6] optima esse debet.

tate. MALASP.— Lallem. delet *dicam*, non repertum in MSS regiis. J. V. L.

3. Sic MSS fere et edd. pr. Alii, *inimicos*. J. V. L.

4. *A te est.* Quia tu simul cum Antonio beneficium illud in Clodium contulisti. Quod autem beneficium hoc fuit? forsitan ipse tribunatus: quem, Antonio consule, et Bruto prætore suffragantibus, obtinere facile potuit. MAN.

5. *Possint.* Ernest. conjiciebat *possimus*. J. V. L.

6. *Fortuna optima.* Qui fortuna sunt deteriore, vetera odere, nova exoptant, ut ait Sallustius in Catilina. Ergo Clodius stabilem rempublicam cupit. MAN.

EPISTOLA II.

Respondet epistolæ de cohortibus quinque a Dolabella in Cherronesum missis, ejusque dementiam miratur, et Bruti consilium de eo persequendo laudat: in seditionis auctoribus dimittendis clementiam Bruti reprehendit, et suas in Antonium invectivas defendit. (Romæ, anno U. C. 709, mense aprili.)

CICERO BRUTO S.

Scripta et obsignata jam epistola, literæ mihi redditæ sunt a te, plenæ rerum novarum; maximeque mirabile [1], Dolabellam quinque cohortes misisse in Cherronesum. Adeone copiis abundat, ut is, qui ex Asia fugere [2] dicebatur, Europam appetere conetur? Quinque autem cohortibus quid se nam [3] facturum arbitratus est, quum tu eo [4] quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes? quas quidem cohortes spero jam tuas esse, quoniam latro ille tam fuit demens. Et [5] tuum consilium vehementer laudo, quod non prius exercitum Apollonia, Dyrrhachioque movisti, quam de Antonii fuga audisti, Bruti eruptione, populi romani victoria. Itaque, quod scribis, postea statuisse te ducere exercitum in Cherro-

1. Ernest. post Manut. et ed. Rom. putavit corrigendum esse, « mirabilium: Dolabell. » Al. *mirabilis*, quod forte præstat. J. V. L.

2. *Ex Asia fugere.* Ex Asia cedentem Dolabellam, et in urbem Laodiceam receptum, C. Cassius, cui Dolabellæ oppugnandi curam senatus mandaverat, cum XII legionibus obsedit. Appian. Man.

3. *Quid se nam.* Sic Manut. Grut. Olim *quidnam se*.

4. *Quum tu eo.* Dictum paullo durius videri potest: quum neque Cicero ipse eodem modo loquutus alibi sit, neque quisquam, quod sciam, de iis qui optime latine scripsisse existimantur. At si, *eo haberes*, ita accipias, quasi « prope eum locum haberes », ferri fortasse posset: ut genus loquendi, quale illud sit, quum dicebant, « esse ad Urbem », hoc est, « esse prope Urbem ». Man.

5. *Et* non agnoscit Ernest. J. V. L.

nesum, nec pati, sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium populi romani, facis ex tua dignitate, et e republica. Quod scribis de seditione quæ facta est in legione quarta[6], de Antoniis[7] (in bonam partem accipies) magis mihi probatur militum severitas, quam tua. Te benivolentiam exercitus equitumque expertum, vehementer gaudeo. De Dolabella, ut scribis, si quid habes novi, facies me certiorem : in quo valde delector, me ante providisse[8], ut tuum judicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi; et id valde pertinuit, ut ego tum intelligebam, ad rempublicam, ut nunc judico, ad dignitatem tuam. Quod scribis, me maximo otio[9] egisse, ut insectarer Antonios, idque laudas; credo ita videri tibi : sed illam distinctionem tuam nullo pacto probo. Scribis enim, « acrius prohibenda bella civilia esse, quam in superatos iracundiam exercendam ». Vehementer a te,

6. Forte mendum est in numero legionis. J.V. L.

7. *De Antoniis.* Illam seditionem concitavit C. Antonius Marci frater, quum esset in potestate Bruti. Itaque explano, *de Antoniis*, de partibus Antoniorum fratrum sublevandis. Quod autem infert, « magis mihi probatur militum severitas, quam tua »; significat id, quod a Dione scriptum legimus; quum milites ipsi, qui seditionem fecerant, ut delictum suum quodammodo corrigerent, seditionis auctores occiderunt, quæstoremque etiam et legatos C. Antonii ad necem depoposcerunt: quos Brutus, ad clementiam magis, quam ad severitatem, propensus, navibus impositos, quasi mox mari demersos, male de se meritos servavit. Ipsique etiam Antonio, cujus opera bis jam conflata seditio erat, iterum pepercit. Miror autem, quid sibi voluerint, qui hoc loco pro Antoniis, *Catoniis*, et nullo sensu, et contra veterum librorum fidem, reposuerunt. MANUT. — Fortasse, *de C. Antonio*. Nam quum hic de seditione, quæ in legionibus Macedonicis commota est, sermo sit : de Antoniis, nisi de Caio seditionis auctore, scribi alienum est. MALASP.

8. *Providisse.* Operam dedisse, et a senatu impetrasse, ut decreta nostra ne exspectares, ipse ad arbitrium tuum, uti res poscere videretur, bellum administrares. MAN.

9. *Maximo otio.* Ita veteres libri, sine dubio mendose. Quid enim elicitur sententiæ? Ego mallem, *maximo animo*, non omnino procul a vetere scriptura. IDEM. — Idem alias edidit, *maximo animo :* ac postea Lambin. *maximo odio*. Sed in Palat. quatuor hæret Victoriani lectio.

Brute, dissentio: nec clementiæ tuæ concedo; sed salutaris severitas vincit inanem speciem clementiæ. Quod si clementes esse volumus, numquam deerunt bella civilia. Sed de hoc tu videris. De me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo: « Mihi quidem ætas acta ferme est; tua istuc refert maxime ». Opprimemini (mihi crede), Brute, nisi provideritis. Neque enim populum semper eumdem habebitis, neque senatum, neque senatus [10] ducem. Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta: nihil potest esse verius. XIV kalend. maias.

10. Edit. Rom. *senati*. J. V. L.

EPISTOLA III.

Octavianum laudat, et lætitiam Romæ e victoria consulum et D. Bruti ortam commemorat. Liberalitatem ejus in seditionis auctoribus reprehendi Romæ, et omnes Antonianos hostes judicatos esse scribit. (Romæ, anno U. C. 710, mense aprili.)

CICERO BRUTO S.

Nostræ res meliore loco videbantur. Scripta enim ad te certo scio, quæ gesta sunt [1]. Quales tibi sæpe scripsi consules, tales exstiterunt. Cæsaris vero pueri mirifica indoles virtutis. Utinam tam facile eum florentem et honoribus, et gratia, regere ac tenere possimus, quam facile adhuc tenuimus! Est omnino illud difficilius; sed tamen non diffidimus. Persuasum est enim adolescenti, et maxime per me, ejus opera nos esse salvos. Et certe, nisi is Antonium ab Urbe avertisset, periissent omnia. Triduo vero, aut qua-

1. *Gesta sunt.* Ad Mutinam; quum duo consules, Pansa et Hirtius, et pro prætore Cæsar Octavianus cum Antonio pugnarunt. Man.

triduo ante hanc rem[2] pulcherrimam, timore quodam perculsa civitas tota ad te se cum conjugibus et liberis effundebat[3] : eadem, recreata a. d. XII kalend. maias, te huc venire, quam se ad te ire malebat. Quo quidem die magnorum meorum laborum multarumque vigiliarum fructum cepi maximum, si modo est aliquis fructus ex solida veraque gloria. Nam tantæ multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus : et[4] quum usque in Capitolium deductus, maximo clamore atque plausu in[5] Rostris collocatus sum. Nihil est in me inane; neque enim debet : sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatioque me commovet; propterea quod popularem me esse in populi salute, præclarum est. Sed hæc te malo ab aliis[6]. Me velim de tuis rebus consiliisque facias diligentissime certiorem; illudque consideres, ne tua liberalitas[7] dissolutior videatur. Sic sentit senatus, sic populus romanus, nullos umquam hostes digniores omni supplicio fuisse, quam eos cives, qui hoc bello contra patriam arma ceperunt : quos quidem ego omnibus sententiis ulciscor et persequor, omnibus bonis approbantibus. Tu quid de hac re sentias, tui judicii est : ego sic sentio, trium fratrum unam et eamdem esse causam. Consules duos, bonos quidem, sed duntaxat bonos, amisimus. Hirtius quidem in ipsa victoria occidit,

2. *Hanc rem.* Prælium Mutinense.

3. *Effundebat.* Quum ad te in Macedoniam trajicere decrevisset, si Antonius pugna vicisset. Id scribit ad C. Cassium : « Omnis omnium cursus ad vos ». Ad Div. XII, 6.

4. Hiulca videtur oratio; quam docti, hoc vel illud conjiciendo, integram reddere conantur. J. V. L.

5. *In Rostris.* Ut inde Pansæ literas de victoria recitaret. Quod ab ipso factum tradit Appianus lib. III.

6. Vulgo supplent *audire*. Omittunt Victor. Manut. Lambin.

7. *Liberalitas. Liberalitatem* posuit pro *clementia :* quia capto C. Antonio, et seditiones concitanti, Brutus tamen pepercerat. Quem ut occideret, dicitur a Cicerone literas accepisse, ut apud Plutarch. legimus. MAN.

quum paucis diebus magno prælio ante vicisset. Nam Pansa fugerat, vulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur, et Cæsar. Hostes autem omnes judicati, qui M. Antonii sectam sequuti sunt. Itaque id senatusconsultum plerique interpretantur, etiam ad tuos, sive captivos, sive dedititios [8] pertinere. Equidem nihil disserui durius, quum nominatim de C. Antonio decernerem, quod ita statueram, a te cognoscere causam ejus senatum oportere. x kalend. maias.

8. *Sive captivos, sive dedititios.* Rursus ad C. Antonium redit. Fuit enim gravissimum Ciceronis odium in Antonios. Adjungit autem, « sive dedititios », quia non prælio captus erat C. Antonius a Bruto, sed se ipse dediderat. Leniores autem in dedititios, quam in captivos, debemus esse. Sed omnium eamdem esse causam Cicero volebat. Man.

EPISTOLA IV.

Respondet superiori epistolæ, et reprehensionem nimiæ in C. Antonium clementiæ diluit. Monet ne nimiis honoribus Octaviano tribuendis malum exemplum inducatur, quo regnandi cupidine abutatur, atque illi ita regnandi occasio detur, quod se vehementer timere ostendit. (Ex castris, anno U. C. 710, mense maio.)

BRUTUS CICERONI S.

Quanta sim lætitia affectus, cognitis rebus Bruti nostri, et consulum [1], facilius est tibi existimare, quam mihi scribere. Quum alia laudo, et gaudeo accidisse, tum quod Bruti eruptio non solum ipsi salutaris

1. *Bruti nostri, et consulum.* Decimi Bruti, et Hirtii et Pansæ, consulum, qui Antonium pugna vicerant. Et observandum, quum ejus particeps victoriæ Cæsar Octavianus fuisset, tamen hic a Bruto non nominatum; qui eum et ut Cæsaris filium odio prosequeretur, et pugnare contra Antonium non tam pro rep. ut videbatur, quam privatæ potentiæ causa, suspicaretur. Quam suspicionem res ipsa deinde comprobavit. Man.

fuit, sed etiam maximo ad victoriam adjumento. Quod scribis, trium Antoniorum unam atque eamdem causam esse; quid ego sentiam, mei judicii esse: statuo nihil, nisi hoc, senatus aut populi romani judicium esse de iis civibus, qui pugnantes non interierint. At hoc ipsum, inquies, inique facis, qui hostilis animi in rempublicam homines, cives appelles. Immo justissime: quod enim nondum senatus censuit, nec populus romanus jussit, id arroganter non præjudico, neque revoco ad arbitrium meum. Illud quidem non muto, quod ei, quem me occidere res non coegit, neque crudeliter quidquam eripui[2], neque dissolute[3] quidquam remisi; habuique in mea potestate, quoad bellum fuit[4]. Multo quidem honestius judico, magisque quod concedere possit respublica, miserorum fortunam non insectari, quam infinite[5] tribuere potentibus[6], quæ cupiditatem et arrogantiam incendere possint. Qua in re, Cicero, vir optime ac fortissime, mihique merito, et meo nomine, et reipublicæ, carissime, nimis credere videris spei tuæ; statimque, ut quisque aliquid recte fecerit, omnia dare ac permittere: quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus[7] animum. Quæ tua est humanitas, æquo animo te moneri pa-

2. *Quidquam eripui.* Ornamenta militaria illi reliquerat. Plutarchus. MANUT.

3. *Dissolute.* Neque crudelis in eripiendo fui, neque dissolutus in remittendo: custodivi enim diligenter. MANUT.

4. *Quoad bellum fuit.* In Italia. Quasi nunc, M. Antonio devicto, bellique timore sublato, de Caio dimittendo, aut certe Romam mittendo Brutus cogitet. Quem tamen non multo post, quum de Ciceronis et Decimi Bruti nece cognovisset, occidi jussit. Plutarchus. IDEM.

5. *Infinite.* Man. Lamb. *infinita.*

6. *Tribuere potentibus.* Aculeus in Ciceronem, quod Octavianum honoribus extraordinariis ornare Cicero se purgat inf. ep. 15. ED.

7. *Largitionibus.* Est hic *largitio*, in tribuendis honoribus nimia liberalitas. Nam *largitio pecuniæ* locum hic habere non videtur. MAN.

tieris, præsertim de communi salute : facies tamen, quod tibi visum fuerit ; etiam ego, quum me docueris. Nunc, Cicero, nunc agendum est, ne frustra, oppressum esse Antonium, gavisi simus, neu semper primi cujusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur[8] illo pejus. Nihil jam neque[9] opinantibus, aut patientibus nobis, adversi evenire potest, in quo non quum omnium culpa, tum præcipue tua futura sit ; cujus tantam auctoritatem senatus ac populus romanus non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera civitate unius esse potest : quam tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudenter, tueri debes. Prudentia porro, quæ tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus. Alia omnia sic abunde adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint tuæ virtutes[10] : unum hoc, grato animo liberalique profectum, cautiorem ac moderatiorem liberalitatem desiderat. Nihil enim senatus cuiquam dare debet, quod male cogitantibus exemplo aut præsidio sit. Itaque[11]

8. *Excidendi causa sit, ut aliud renascatur.* Obscure dictum ac intellectu difficile, ut minus equidem mirer, Bruti sensum nonnunquam ne ipsum quidem Ciceronem assequi potuisse. Verumtamen loci hujus, siquis est, hic mihi videtur : Nunc danda opera est, Cicero, ne dum malum parum alte excidimus, semper nobis causa sit, hoc est, materia restet excidendi, ita ut nostra culpa aliud renascatur illo pejus. Hoc est, sic Antonii excidenda tyrannis est, ut ne ea in Octaviano renascatur. Renascetur autem sine dubio, si ei immodica concedamus. Translatio ab odiosis plantis sumpta est, quæ nisi radicitus excidantur, repullulascunt. MAL.

9. *Neque opinantibus.* Non opinantibus. Veteres libentius dicebant *neque opinanti*, quam *non opinanti*. MAN.

10. MSS aliquot Parisiens. conjungunt *tuæ virtutes* cum sequentibus. Tum legendum, *desiderant*. J. V. L. — Manutius vero et Lambin. omittunt *tuæ virtutes*. Forsan non male. Ed.

11. *Itaque timeo*, etc. Sensus hic est : Quum vestris decretis honorem proprætoris contra leges habuerit ; vereor ne putet se altius ascendisse, quum ad hos extraordinarios honores ascendit, quam sit ascensurus, si inde ad consulatum ascenderit. Plus enim est ex privato loco ad prætorium ascendere, quam ex prætorio ad con-

timeo de consulatu[12], ne Cæsar tuus altius se adscendisse putet decretis tuis, quam inde, si consul factus sit, descensurum. Quod si Antonius ab alio relictum regni instrumentum[13] occasionem regnandi habuit, quonam animo fore putas, si quis, auctore, non tyranno interfecto, sed ipso senatu, putet se imperia quælibet concupiscere posse? Quare tum et felicitatem et providentiam laudabo tuam, quum exploratum habere cœpero, Cæsarem honoribus, quos acceperit, extraordinariis fore contentum. Alienæ igitur, inquies, culpæ me reum subjicies[14]? Prorsus alienæ, si provideri potuit, ne exsisteret. Quod utinam inspectare possis timorem de illo meum!

His literis scriptis, te consulem factum audivimus[15]. Tum vero incipiam proponere mihi rempublicam justam, et jam suis nitentem viribus, si istuc videro. Filius[16] valet, et in Macedoniam cum equitatu præmissus est. Idibus maiis, ex castris.

sularem; quum præsertim Octavius annum ageret XIX, quum prætorum jura consequutus est. Timeo, inquit, ne plus putet esse, quod jam habet, quam quod habendum restat; ideoque in consulatus cupiditatem facile veniat. Quod ita contigit. Nam Octavius, consulibus ad Mutinam occisis, consul fieri voluit: quod quum non impetrasset, iratus quasi ob ignominiam, prodita reip. causa, cum Antonio ac Lepido societatem inivit. Placet igitur legi, *ascensurum* pro *descensurum*. Alioqui quum satis erit perplexa, tum inepta quoque videbitur sententia. Man. — Cui adsentit J. V. L. et proponit quoque *escensurum*. Ed.

12. *De consulatu*. Faernus delebat. Ursin.

13. *Regni instrumentum*. Similiter infr. ep. hoc libro: « Sed instrumentum regni delatum ad Lepidum et Antonium ». Ed.

14. Sic MSS Paris. Vulg. *facies*.

15. *Audivimus*. Falsus erat rumor.

16. *Filius*. Filium Ciceronis, qui Athenis philosophiæ operam dabat, Brutus secum abduxit, et equitibus præfecit. Ad Div. lib. XII, ep. 14. Dio, Plutarchus. Man.

EPISTOLA V.

Scribit a senatu permissam esse arbitrio Bruti rem de Dolabella persequendo, de eaque suum consilium ostendit: filium suum se velle in collegium pontificum minorum absentem cooptari, idque per leges Domitiam et Juliam fieri posse demonstrat; de quo sententiam Bruti scire cupit. (Romæ, anno U. C. 710, mense maio.)

CICERO BRUTO S.

A. D. V kalendas maias, quum de iis, qui hostes judicati sunt, bello persequendis, sententiæ dicerentur, dixit Servilius[1] etiam de Ventidio[2], et ut Cassius persequeretur Dolabellam. Cui quum essem assensus, decrevi hoc amplius, ut tu, si arbitrarere utile, eque republica esse, persequerere bello Dolabellam; si minus id commodo reipublicæ facere posses, sive non existimares e republica esse, ut in iisdem locis[3] exercitum contineres. Nihil honorificentius potuit facere senatus, quam ut tuum esset judicium, quid maxime conducere reipublicæ tibi videretur. Equidem sic sentio, si manum habet, si castra, si ubi consistat uspiam Dolabella, ad fidem et ad dignitatem tuam pertinere, eum persequi. De Cassii nostri copiis nihil sciebamus. Neque enim ab ipso ullæ literæ; neque nuntiabatur quidquam, quod pro certo haberemus. Quantopere autem intersit, opprimi Dolabellam, pro-

1. *Servilius etiam de Ventidio.* Servilius Isaurici filius, is, qui C. Cæsaris collega fuerat in consulatu. MAN.

2. *Ventidio.* Basso Mulione, qui ex humili admodum fortuna ad consulatum est evectus, primusque Romanorum de Parthis triumphum duxit. Gellius, lib. XV, cap. 4. IDEM.

3. *Iisdem locis.* Ubi esses. Nam, utrum in Macedonia esset, necne, fortasse ignorabatur. Non erat illic certe, quum epistolam proximam superiorem scripsit, quum dicat a se filium Ciceronis in Macedoniam cum equitatu esse præmissum. IDEM.

fecto intelligis, quum ut sceleris pœnas persolvat, tum ne sit, quo se latronum duces ex Mutinensi fuga conferant. Atque hoc mihi jam ante placuisse, potes ex superioribus meis literis recordari : quamquam tum et fugæ portus erat in tuis castris, et subsidium salutis in tuo exercitu. Quo magis nunc liberati (ut spero) periculis, in Dolabella opprimendo occupati esse debemus. Sed hæc cogitabis diligentius, statues sapienter; facies nos, quid constitueris, et quid agas, si tibi videbitur, certiores. Ciceronem nostrum in vestrum collegium [4] cooptari volo. Existimo omnino, absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi : nam etiam factum est antea. C. enim Marius, quum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur; nec, quo minus id postea liceret, ulla lex sanxit. Est etiam in lege Julia, quæ lex est de sacerdotiis proxima, his verbis : QUI PETIT, CUJUSVE RATIO HABEBITUR. Aperte indicat, posse rationem haberi etiam non præsentis. Hac de re scripsi ad eum, ut tuo judicio uteretur, sicut in rebus omnibus. Tibi autem statuendum est de Domitio, et de Catone nostro [5]. Sed quamvis liceat absentis rationem haberi, tamen omnia sunt præsentibus faciliora. Quod si statueris in Asiam tibi eundum, nulla erit ad comitia nostros arcessendi facultas [6]. Omnino, Pansa vivo, celeriora omnia putabamus : statim enim collegam [7] sibi subrogasset; deinde ante prætoria, sacerdotum comitia [8] fuissent.

4. *Vestrum collegium.* Pontificum minorum. Pontifex enim erat Brutus.

5. *De Domitio, et de Catone nostro.* Altero L. Domitii Ahenobarbi, altero M. Catonis Uticensis filio, utroque arctissima affinitate Brutum attingente. Nam duas Porcias, Uticensis filias, alteram Ahenobarbus in matrimonio habuerat, alteram Brutus habebat. Domitius auctor fuit legis *de Sacerdotiis* ann. 649. Ed.

6. *Facultas.* Quam nobis omnem auferet locorum longinquitas. Man.

7. *Collegam.* In locum Hirtii. Id.

8. *Sacerdotum comitia.* Hæc non, ut magistratuum, quotannis, sed, quum

Nunc per auspicia longam moram video. Dum enim unus erit patricius magistratus, auspicia[9] ad patres redire non possunt. Magna sane perturbatio. Tu tota de re quid sentias, velim me facias certiorem. III nonas maias. Vale.

subrogandus aliquis esset in demortui locum, habebantur.

9. *Per auspicia.* Quæ ad patricios magistratus pertinebant, nec ad senatum, nisi quum ii non essent, transferri poterant. MAN.

EPISTOLA VI.

Respondet epistolæ superiori : Glycona medicum Pansæ, ut e custodia eripiat, rogat : Flavium, qui cum Dyrrhachinis litem habebat, commendat, et de Dolabella fugato cæsoque certiorem facit. (Ex castris, ad imam Candaviam, anno U. C. 710, mense maio.)

BRUTUS CICERONI S.

NOLI exspectare, dum tibi gratias agam. Jam pridem hoc ex nostra necessitudine, quæ ad summam benivolentiam pervenit, sublatum esse debet. Filius tuus a me abest : in Macedonia congrediemur. Jussus est enim Ambracia ducere equites per Thessaliam, et scripsi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret. Quum eum videro, quoniam nobis permittis, communiter constituemus de reditu ejus ad petitionem, aut ad commendationem honoris[1]. Tibi Glycona[2], medicum Pansæ, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissime commendo. Audimus, eum ve-

1. *Aut ad commendationem honoris.* Ut, si comitia sacerdotum essent, peteret : si non essent, honorem suum ad insequentis anni comitia commendaret : quibus absens peteret, ne abesset ab exercitu, tam necessario reip. tempore. MAN.

2. Alii, *Glaucona.* J. V. L.

nisse in suspicionem[3] Torquato[4] de morte Pansæ, custodirique, ut parricidam. Nihil minus credendum est. Quis enim majorem calamitatem morte Pansæ accepit? Præterea est modestus homo, et frugi; quem ne utilitas quidem videatur impulsura fuisse ad facinus. Rogo te, et quidem valde rogo (nam Achilleus[5] noster non minus, quam æquum est, laborat), eripias eum ex custodia, conservesque: hoc ego ad meum officium privatarum rerum æque, atque ullam aliam rem pertinere arbitror.

Quum has ad te scriberem literas, ab Satrio, legato C. Trebonii, reddita est mihi epistola, a Tillio[6] et Dejotaro Dolabellam cæsum fugatumque esse. Græcam epistolam tibi misi Cycherei cujusdam, ad Satrium missam. Flavius noster de controversia, quam habet cum Dyrrhachinis hereditariam, sumpsit te judicem. Rogo te, Cicero, et Flavius rogat, rem conficias. Quin ei, qui Flavium fecit heredem, pecuniam debuerit civitas, non est dubium: neque Dyrrhachini infitiantur; sed sibi donatum æs alienum a Cæsare dicunt. Noli pati, a necessariis tuis necessario meo injuriam fieri. xvii kalend. jun. Ex castris, ad imam Candaviam[7].

3. *In suspicionem*. Legimus et apud Suetonium, suspectam Pansæ mortem fuisse, medicumque Glyconem custoditum esse, quasi venenum vulneri indidisset. Quod et Tacitus lib. I significat. Man.

4. *Torquato*. Cur Torquato potissimum? quia Pansæ quæstor fuerat, ut ex Appiano cognovimus. Idem.

5. *Achilleus*. Pro *Achilles*; ad græcam inflectendi rationem, ut quum dixit, *Achilleos nostri*. Idem.

6. *Tullio*. Tullio Cimbro, qui Bithyniam administrabat. Dio, l. LXVII; Appianus, lib. III; Plutarch. in Bruto. Id. — Vulg. male, *Tullio*. J. V. L.

7. *Candaviam*. Cujus montes Dyrrhachio lxxx distare Plinius, tradit. Man. — Macedoniam ab Illyria Candavia separabat. Epist. ad Atticum, III, 7. Lucanus, VI, 331: « Qua vastos aperit Candavia saltus, Contigit Emathiam, bello quam fata parabant ». Ed.

EPISTOLA VII.

L. Bibulum ut in Pansæ locum nominet, ac pontifex minor creetur, rogat. (Ex castris, ad imam Candaviam, anno U. C. 710, mense maio.)

BRUTUS CICERONI S.

L. Bibulus[1] quam carus mihi esse debeat, nemo melius judicare potest, quam tu; cujus tantæ pro republica contentiones sollicitudinesque fuerunt. Itaque vel ipsius virtus, vel nostra necessitudo debet conciliare te illi: quo minus multa mihi scribenda esse arbitror. Voluntas enim te movere debet nostra, si modo justa est, aut pro officio necessario suscipitur. In Pansæ locum petere[2] constituit: eam nominationem a te petimus. Neque conjunctiori dare beneficium, quam nos tibi sumus, neque digniorem nominare potes, quam Bibulum. De Domitio et Apuleio quid attinet me scribere, quum ipsi per se tibi commendatissimi sint? Apuleium vero tu tua auctoritate sustinere debes. Sed Domitius[3] in sua epistola celebrabitur[4]. Bibulum noli dimittere ex sinu tuo, tantum jam virum, ex quanto[5], crede mihi, potest evadere, qui vestris paucorum respondeat laudibus.

1. *Bibulus.* Bruti privignus. Fuit enim M. Calpurnii Bibuli, qui C. Cæsaris collega fuerat in consulatu, ex Porcia Catonis filia filius: quæ post obitum prioris viri Bruto nupsit.

2. *Petere.* Ut pontifex minor creetur.

3. *Domitius.* Vulg. *Apuleius.* Et sic Ernest. Sed repugnat ordo sententiæ; quod vidit Mongalt. P. Apuleius fuit, tribunus pl. Ciceronis familiarissimus. Ed.

4. *Celebrabitur.* Laudabitur a me, tibique commendabitur. Quasi dicat; sed hæc epistola Bibuli solum causa scripta est: neminem admisceo. Man.

5. *Ex quanto.* Ex tanto viro, quantus jam est, facile est evadere, qui vestras paucorum laudes assequatur. Idem.

EPISTOLA VIII.

C. Nasennium diligenter commendat. (Romæ, anno U. C. 710.)

CICERO BRUTO S.

Multos tibi commendavi, et commendem, necesse est. Optimus enim quisque vir, et civis, maxime sequitur judicium tuum, tibique omnes fortes viri navare operam et studium volunt; nec quisquam est, quin ita existimet, meam apud te et gratiam, et auctoritatem valere plurimum. Sed C. Nasennium, municipem Suessanum, tibi ita commendo, ut neminem diligentius. Cretensi bello, Metello imperatore, octavum principem [1] duxit; postea in re familiari occupatus fuit. Hoc tempore quum reipublicæ partibus, tum tua excellenti dignitate commotus, vellet per te aliquid auctoritatis assumere. Fortem virum, Brute, tibi commendo, frugi hominem, et, si quid ad rem pertinet, etiam locupletem. Pergratum mihi erit, si eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere possit.

1. *Octavum principem duxit.* In quavis legione erant, ætas prima, hastatorum; altera, principum; tertia, triariorum. Quæ, velitibus exceptis, dividebantur singulæ in decem centurias, qui et manipuli dicebantur. Prima hastatorum centuria, primus hastatus, secunda, secundus, et eodem modo usque ad decimam vocabatur. Sic primus princeps, secundus princeps. Primus autem triarius non dicebatur; sed primus pilus. Centuriones autem, centurio primi hastati, centurio primi principis, centurio primi pili. Velites autem in centurias non dividebantur, ut Polybius lib. VI docet. Nasennius igitur *octavum principem*, id est, octavam centuriam principum, duxerat sub Metello. Scripta eodem U. C. anno 710. Man.

EPISTOLA IX.

Brutum, de re, nesciunt eruditi qua, exquisita arte consolatur, et ad fortitudinem cohortatur. (Romæ, anno U. C. 710.)

CICERO BRUTO S.

Fungerer officio[1], quo tu functus es in meo[2] luctu, teque per literas consolarer, nisi scirem, his remediis, quibus meum dolorem tu levasses, te in tuo non egere: ac velim facilius, quam tunc mihi, nunc tibi tute medeare. Est enim alienum tanto viro, ut es tu, quod alteri præceperit, id ipsum facere non posse. Me quidem quum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua a nimio mœrore deterruit. Quum enim mollius tibi ferre viderer, quam deceret virum, præsertim eum, qui alios consolari soleret; accusasti me per literas gravioribus verbis, quam tua consuetudo ferebat. Itaque judicium tuum magni æstimans, idque veritus, me ipse collegi; et ea, quæ didiceram, legeram, acceperam, graviora duxi, tua auctoritate addita. Ac mihi tum, Brute, officio solum erat, et naturæ; tibi nunc populo et scenæ (ut dicitur) serviendum est. Nam quum in te non solum exercitus tui, sed omnium civium, ac pæne gentium conjecti oculi sint, minime decet, propter quem fortiores ceteri sumus, eum ipsum animo debilitatum videri. Quam-

1. *Officio.* Assequi non possum, qua in re tantam jacturam fecisset Brutus, ut hac tam exquisita consolatione indigeret. Man.—Quid, quod Manutius in epistol. 6, lib. XIII, ad Att. quum has ipsas literas laudaret, « Brutum, inquit, Cicero solatur in morte matris? » Rursus tamen de Bruti matre agitur infra, ep. 12. Oliv.—Conjecit quoque Manut. de morte Porciæ agi, quod jam adseruerat Fr. *Secousse, Hist. de l'Acad. des Inscr.* ann. 1727, quod miratur J. V. L. Middleton tacuisse. Ed.

2. *In meo.* In obitu Tulliolæ, ann. U. C. 708. Vide ad Att. XII, 13. Ed.

obrem accepisti tu quidem dolorem (id enim amisisti, cui simile in terris nihil fuit), et est dolendum in tam gravi vulnere (ne id ipsum[3], carere omni sensu doloris, sit miserius, quam dolere); sed, ut modice, ceteris utile est, tibi necesse est. Scriberem plura, nisi ad te hæc ipsa nimis multa essent. Nos te, tuumque exercitum exspectamus : sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, vix satis liberi videmur fore. De tota republica plura scribam, et fortasse jam certiora, his literis, quas Veteri[4] nostro cogitabam dare.

3. *Ne id ipsum, carere omni sensu doloris, sit*, etc. Nam, ut scripsit in IV Tusculano, « id ipsum nihil dolere, immanitatis est in animo, stuporis in corpore ». Man.

4. *Veteri*. Antistio, de quo infra.

EPISTOLA X.

Quomodo bellum ad Mutinam geratur, et quid de Octaviano vereatur, totumque reip. statum perscribit, hortaturque ut ex senatus auctoritate celeriter cum exercitu in Italiam veniat. (Romæ, anno U. C. 710, mense quintili.)

CICERO BRUTO S.

Nullas adhuc a te literas habebamus, ne famam quidem, quæ declararet, te, cognita senatus auctoritate[1], in Italiam adducere exercitum; quod ut faceres, idque maturares, magnopere desiderabat respublica. Ingravescit enim in dies intestinum malum, nec externis hostibus magis, quam domesticis laboramus : qui erant omnino ab initio belli, sed facilius frange-

1. *Auctoritate*. Occisis consulibus ad Mutinam, Octaviani potentiam senatus suspectam habere cœpit, præsertim quum is, ut alteri e consulibus sufficeretur, postularet. Itaque Brutum e Græcia decreto revocavit, sed frustra. Nam, inter Antonium, Lepidum, Octavianum conspiratione contra rempublicam facta, triumvirorum armis oppressa sunt omnia. Man.

bantur. Erectior senatus erat, non sententiis solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus. Erat in senatu[2] satis vehemens et acer Pansa, quum in ceteros hujus generis, tum maxime in socerum[3] : cui consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. Bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Cæsare reprehenderes, nonnulla in Hirtio. Hujus belli fortuna, ut in secundis, fluxa; ut in adversis, bona. Erat victrix respublica, cæsis Antonii copiis, ipso expulso a Bruto. Deinde ita multa peccata, ut quodammodo victoria excideret e manibus : perterritos, inermes, saucios non sunt nostri duces persequuti; datumque Lepido tempus est, in quo levitatem ejus, sæpe perspectam, majoribus in malis experiremur. Sunt exercitus boni, sed rudes, Bruti et Planci. Sunt fidelissima et maxima auxilia Gallorum. Sed Cæsarem meis consiliis adhuc gubernatum, præclara ipsum indole, admirabilique constantia, improbissimis literis quidam, fallacibusque interpretibus ac nuntiis impulerunt in spem certissimam consulatus. Quod simul atque sensi, neque ego illum absentem literis monere destiti, nec accusare præsentes ejus necessarios, qui ejus cupiditati suffragari videbantur; nec in senatu sceleratissimorum consiliorum fontes aperire dubitavi: nec vero ulla in re memini, aut senatum meliorem, aut magistratus. Numquam enim in honore extraordinario[4] potentis hominis, vel potentissimi potius

2. MSS nonnulli addunt *præterea*. J. V. L.

3. *Socĕrum*. Nisi me conjectura fallit, Pansæ socer fuit Q. Fufius Calenus. Conjecturam inde duco, quod eum video (Philippica VIII et X), a Pansa consule sententiam primum rogari; qui tamen neque dum consul fuerat, neque Ciceroni certe rebus gestis, et meritis in remp. antecellebat. Ut hoc ei deferre honoris, nisi propinquitate moveretur, Pansa non debuerit. Man.

4. *Extraordinario*. Ideo quia consulatum nemo inibat, nisi annum ætatis quadragesimum tertium absolvisset.

(quandoquidem potentia jam in vi posita est, et armis), accidit, ut nemo tribunus plebis, nemo alio magistratu, nemo privatus, auctor exsisteret. Sed in hac constantia atque virtute, erat tamen sollicita civitas. Illudimur enim, Brute, quum militum deliciis[5], tum imperatoris insolentia[6]. Tantum quisque se in republica posse postulat, quantum habet virium. Non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valet; non judicium, non existimatio civium, non posteritatis verecundia. Hæc ego multo ante prospiciens, fugiebam ex Italia, tum, quum me vestrorum[7] edictorum fama revocavit. Incitavisti vero tu me, Brute, Veliæ. Quamquam enim dolebam, in eam me Urbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberavisses, quod mihi quoque quondam acciderat, periculo simili, casu tristiore: perrexi tamen, Romamque perveni, nulloque præsidio quatefeci Antonium; contraque ejus arma nefanda, præsidia, quæ oblata sunt, Cæsaris consilio et auctoritate firmavi. Qui si steterit idem, mihique paruerit, satis videmur habituri præsidii. Sin autem impiorum consilia plus valuerint, quam nostra; aut imbecillitas ætatis non potuerit gravitatem rerum sustinere: spes omnis est in te. Quamobrem advola, obsecro, atque eam rempublicam, quam virtute, atque animi magnitudine magis, quam eventis rerum liberasti, exitu libera. Omnis omnium concursus ad te futurus est. Hortare idem per literas Cassium. Spes libertatis nusquam, nisi in vestrorum castrorum principiis[8] est. Firmos omnino et duces

Extra ordinem quandoque junioribus ea dignitas demandabatur. Man.

5. *Deliciis.* Igitur, perniciosa licentia, qua sibi eorum animos imperator devinxit. Idem.

6. *Insolentia.* Qui ex victoria ita insolens est factus, ut consulatum audeat postulare. Idem.

7. *Vestrorum.* Bruti, et Cassii: de quibus Phil. I. Idem.

8. *Præsidiis. Principiis*, esse video in antiquis libris: quos ego libenter

habemus ab occidente[9], et exercitus. Hoc adolescentis præsidium equidem adhuc firmum esse confido; sed ita multi labefactant, ut, ne moveatur, interdum extimescam. Habes totum reipublicæ statum; qui quidem tum erat, quum has literas dabam. Velim deinceps meliora sint. Sin aliter fuerit (quod dii omen avertant!), reipublicæ vicem dolebo, quæ immortalis esse debebat: mihi quidem quantulum reliqui est?

sequi soleo. Hic tamen teneo me paullisper. Nam etsi, *principia*, locum in castris fuisse, non ignoro: mihi tamen nove, nec satis ad exprimendam sententiam accommodate dictum videtur. Cur enim, « in principiis vestrorum castrorum », potius quam, « in vestris castris? » quibus in totis certe, hoc est, in universo Bruti exercitu, non in principiis, hoc est, in parte aliqua, spes erat posita libertatis. *Præsidiis*, vel unus antiquus liber si haberet, probarem multo magis, quam, *principiis*. Esset aperta sententia, esset usitata locutio. MANUT. — Testatur Gruterus, legi *præsidiis* in Pal. 4.

9. *Occidente*. In Hispania, ubi D. Brutus et L. Plancus.

EPISTOLA XI.

Veteris Antistii animum in remp. laudat, et ipsius petitionem præturæ ut adjuvet, ceterisque in rebus eum complectatur, rogat. (Ex Macedonia, anno U. C. 710, mense aprili.)

BRUTUS CICERONI S.

VETERIS ANTISTII talis animus est in rempublicam, ut non dubitem, quin et in Cæsare[1] et Antonio se

1. *In Cæsare*. Fuit, quum Cæsaris nomine Octavianum acciperem: nunc aliter sentio. Nam neque de Octaviano defendente, neque de eodem oppugnante accipi potest. Defensio nondum ejus ulla fuerat, neque fuit ante Mutinensem pugnam: oppugnatio item nulla, nisi post Antonium ad Mutinam fugatum. Ergo de Octaviano, non est, ut possimus intelligere. De Cæsare dictatore dictum potius videtur. Hic enim primus, post eum Antonius remp. oppugnavit. Quod autem infertur, « si occasioni potuisset occurrere », id non eo refero, ut ejus belli, quod C. Cæsar contra communem libertatem gessit, brevitate exclusum Antistium a navanda reip. opera existimem (non enim aut laboris, aut temporis parum in eo Cæsar consumpsit): ve-

præstaturus fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis, si occasioni potuisset occurrere. Nam, qui in Achaia congressus, P. Dolabella milites atque equites habente, quodvis adire periculum, ex insidiis paratissimi ad omnia latronis, maluerit, quam videri aut coactus esse pecuniam dare, aut libenter dedisse homini nequissimo atque improbissimo; is nobis ultro et pollicitus est, et dedit H-S [2] xx ex sua pecunia; et, quod multo carius est, se ipsum obtulit et conjunxit. Huic persuadere cœpimus, ut imperator in castris remaneret, remque publicam defenderet. Statuit [3] eundum [4] sibi, quoniam exercitum dimisisset. Statim vero rediturum ad nos confirmavit, legatione [5] suscepta, nisi prætorum comitia habituri essent consules [6]. Nam illi ita sentienti de republica magnopere auctor fui, ne differret tempus petitionis suæ. Cujus factum omnibus gratum esse debet, qui modo judicant, hunc exercitum esse reipublicæ; tibi tanto gratius, quanto et majore animo gloriaque libertatem nostram defendis; et dignitatem [7], si contigerit nostris consiliis exitus, quem optamus, perfuncturus

rum, quia voluerit quidem, sed ideo non potuerit, quia voluntatem minime subsequuta sit occasio. Ideo enim occasioni occurrere non potuit, quod ea sese illi non obtulit. Non igitur ei tempus, non voluntas, sed res ipsa defuit. Man.

2. *H-S XX*. Non viginti sestertiorum millia, quod Bruto exercitus habenti minimum subsidium fuisset; sed vicies sestertiorum. Idem.

3. Al. « Statuit id sibi ». J. V. L.

4. *Eundum*. Romam. Man.

5. *Legatione*. Libera : quam senatus dabat. Idem.

6. *Consules*. Apparet, aut hanc epistolam ante mortem Hirtii et Pansæ scriptam esse, aut Brutum, quum scripsit, Mutinensis prælii nuntium nondum accepisse. Idem.

7. *Dignitatem..... perfuncturus*. Quanto major tua dignitas futura est. Sic Terentius, opinor in Adelphis: « Functus est officium probi adolescentis ». Duriuscule tamen dictum, « perfuncturus dignitatem », pro « consequuturus dignitatem ». Nec, *perfungi*, video quo modo hoc significare possit: nec usquam a veteribus ad hanc sententiam usurpatur. Malim, non ita magna literarum mutatione, « dignitatem perfruiturus ». Quod quoque Lambino placuit. Hoc participio et Cicero ipse usus est. Et *fruor* cum

es. Ego etiam, mi Cicero, proprie familiariterque te rogo, ut Veterem ames, velisque esse quam amplissimum : qui etsi nulla re deterreri a proposito potest, tamen excitari tuis laudibus, indulgentiaque poterit, quo magis amplexetur ac tueatur judicium suum. Et mihi[8] gratissimum erit.

quarto casu non tantum usi sunt veteres, ut Plautus, sed et ipse Lucr. qui ævo Ciceronis vixit, III, 970 : « Omnia perfructus vitai præmia, marces ». — Ernestio placet, quod Gruter. in Palat. 3 reperit, *perfunctus es*. Nos sequimur lect. *perfructurus*. J. V. L.

8. *Id mihi* placuit Lamb. J. V. L.

EPISTOLA XII.

Excusat se Bruto, quod matris ejus et sororis precibus, de liberis M. Lepidi, quem hostem senatus judicarat, excipiendis satisfacere non posset. De Antistio liberaliter promittit, et ipsum ut in Italiam veniat, hortatur. (Romæ, anno U. C. 710, mense quintili.)

CICERO BRUTO S.

Etsi daturus eram Messallæ Corvino continuo literas, tamen Veterem nostrum ad te sine literis meis venire nolui. Maximo in discrimine respublica, Brute, versatur, victoresque rursus decertare cogimur. Id accidit M. Lepidi scelere et amentia. Quo tempore quum multa propter eam curam, quam pro republica suscepi, graviter ferrem, tum nihil tuli gravius, quam me non posse matris[1] tuæ precibus cedere, non sororis. Nam tibi, quod mihi plurimi est, facile me satisfacturum arbitrabar. Nullo enim modo poterat causa Lepidi distingui ab Antonio : omniumque judicio etiam durior erat, quod, quum honoribus amplissimis a senatu esset Lepidus ornatus, tum etiam paucis ante diebus præclaras literas ad senatum misisset ;

1. *Matris.* Quæ socrus erat Lepidi. Manut.—Vide infra, ep. 18 extrema.

repente non solum recepit reliquias hostium, sed bellum acerrimum terra marique gerit : cujus exitus qui futurus sit, incertum est. Itaque quum rogamur, ut misericordiam liberis ejus impertiamus, nihil affertur, quo minus summa supplicia, si (quod Jupiter omen avertat!) pater puerorum vicerit, subeunda nobis sint. Nec vero me fugit, quam sit acerbum, parentium scelera filiorum pœnis lui; sed hoc præclare legibus comparatum est, ut caritas liberorum amiciores parentes reipublicæ redderet. Itaque Lepidus crudelis in liberos, non is, qui Lepidum hostem judicat. Atque ille si, armis positis, de vi[2] damnatus esset, quo in judicio certe defensionem non haberet : eamdem calamitatem subirent liberi, bonis publicatis. Quamquam, quod tua mater et soror deprecatur pro pueris, id ipsum et multa alia crudeliora nobis omnibus Lepidus, Antonius, et reliqui hostes denuntiant. Itaque maximam spem hoc tempore habemus in te, atque exercitu tuo. Quum ad reipublicæ summam, tum ad gloriam et dignitatem tuam vehementer pertinet, te in Italiam, ut ante scripsi, venire quam primum : eget enim vehementer quum viribus tuis, tum etiam consilio respublica. Veterem, pro ejus erga te benivolentia singularique officio, libenter ex tuis literis complexus sum ; eumque quum tui, tum reipublicæ studiosissimum amantissimumque cognovi. Ciceronem meum propediem, ut spero, videbo. Tecum enim illum, et te[3] in Italiam celeriter esse venturum confido.

2. *De vi: Perduelles*, hoc est, ii, qui contra remp. arma suscepissent, de duobus alterum effugere non poterant, ut, aut, si pergerent insanire, armis petiti debitas patriæ pœnas exsolverent; aut, si se infra diem præfinitam ad sanitatem recepissent, judicio de vi omnino damnarentur. Manut.

3. *Et te*. Hoc aut videtur abundare, quum jam dixerit, *tecum;* aut ita corrigendum, ut legas, *esse;* et illud, *esse*, quod postea sequitur, tollas. Idem. — Unus e Gruterianis non agnoscit *te*, sed retinet solum *et*.

EPISTOLA XIII.

Liberos Lepidi, qui se conjunxerat cum M. Antonio, commendat, sibique ut hoc detur rogat, ne ex lege cum iis agatur. (Ex Macedonia, anno U. C. 710, mense quintili.)

BRUTUS CICERONI S.

De M. Lepido[1] vereri me cogit reliquorum timor: qui si eripuerit se nobis (quod velim temere atque injuriose de illo suspicati sint homines), oro atque obsecro te, Cicero, necessitudinem nostram, tuamque in me benivolentiam obtestans, sororis meæ liberos obliviscaris esse Lepidi filios, meque his in patris locum successisse existimes. Hoc si a te impetro, nihil profecto dubitabis pro his suscipere. Aliter alii cum suis vivunt: nihil ego possum in sororis meæ liberis facere, quo possit expleri voluntas mea, aut officium. Quid vero aut mihi tribuere boni possunt, si modo digni sumus, quibus aliquid tribuatur; aut ego matri, ac sorori, puerisque illis præstaturus sum, si nihil valuerit apud te, reliquumque senatum, contra patrem Lepidum, Brutus avunculus? Scribere multa ad te neque possum præ sollicitudine ac stomacho, neque debeo. Nam si in tanta re, tamque necessaria, verbis mihi opus est ad te excitandum et confirmandum: nulla spes est, facturum te, quod volo, et quod oportet. Quare noli exspectare longas preces. Intuere me ipsum, qui hoc vel[2] a Cicerone, conjunctissimo homine, privatim, vel a consulari, tali viro, remota necessitudine privata, impetrare

1. *M. Lepido.* Hoste jam declarato.

2. Al. « qui hoc a te, vel, etc. » Sed *a te* in codd. Balliol. et Paris. omissum. J. V. L.

debeo. Quid sis facturus, velim mihi quam primum rescribas. Kalend. quint. ex castris.

EPISTOLA XIV.

Paucitatem et brevitatem epistolarum Bruti accusat; rogat, ut Ciceronem secum retineat, et in Italiam quamprimum ut veniat, hortatur. (Romæ, anno U. C. 710, mense quintili.)

CICERO BRUTO S.

Breves tuæ literæ : breves dico? immo nullæ. Tribusne versiculis his temporibus Brutus ad me? Nihil scripsissem[1] potius. Et requiris meas. Quis umquam ad te tuorum sine meis venit? quæ autem epistola non pondus habuit? Quæ si ad te perlatæ non sunt, ne domesticas quidem tuas perlatas arbitror. Ciceroni scribis te longiorem daturum epistolam. Recte id quidem; sed hæc quoque debuit esse plenior. Ego autem, quum ad me de Ciceronis abs te discessu scripsisses, statim extrusi tabellarios, literasque ad Ciceronem; ut, etiamsi in Italiam venisset, ad te rediret. Nihil enim mihi jucundius, nihil illi honestius. Quamquam aliquoties ei scripseram, sacerdotum comitia, mea summa contentione, in alterum annum esse rejecta : quod ego quum Ciceronis causa elaboravi, tum Domitii, Catonis, Lentuli, Bibulorum; quod ad te etiam scripseram. Sed videlicet quum illam pusillam epistolam tuam ad me dabas, nondum erat tibi id notum. Quare omni studio a te, mi Brute, contendo, ut Ciceronem meum ne dimittas, tecumque deducas[2] : quod ipsum, si rempublicam, cui susceptus[3]

1. Faern. conj. *scripsisse*. J. V. L.

2. *Deducas*. Ita Vict. Alii, *adducas*. — MSS Balliol. *ducas*. J. V. L.

3. *Susceptus*. Genitus. Unde, *suscipere* liberos ex aliqua, pro gignere. Max.

es, respicis, tibi jamjamque faciendum est. Renatum enim bellum est, idque non parvo scelere Lepidi. Exercitus autem Cæsaris, qui erat optimus, non modo nihil prodest, sed etiam cogit exercitum tuum flagitari: qui si Italiam attigerit, erit civis nemo (quem quidem civem appellari fas sit), qui se non in tua castra conferat. Etsi Brutum præclare cum Planco[4] conjunctum habemus: sed non ignoras, quam sint incerti animi hominum, et infecti partibus; et exitus præliorum. Quin etiam, si, ut spero, vicerimus, tamen magnam gubernationem tui consilii, tuæque auctoritatis res desiderabit. Subveni igitur, per deos, idque quam primum; tibique persuade, non te idibus martiis, quibus servitutem a tuis civibus depulisti[5], plus profuisse patriæ, quam, si mature veneris, profuturum. II idus quint.

4. *Cum Planco.* Plancus tamen paullo post, cum Antonio societate inita, reipublicæ causam deseruit. MAN.

5. Al. *repulisti.* J. V. L.

EPISTOLA XV.

Messallam mirifice laudat, et reprehensionem nimiæ in tribuendis honoribus facilitatis, in pœnis autem decernendis severitatis accurate diluit; de Lepidi liberis studium suum pollicetur. (Romæ, anno U. C. 710, mense quintili.)

CICERO BRUTO S.

MESSALLAM habes. Quibus igitur literis tam accurate scriptis assequi possum, subtilius[1] ut explicem, quæ gerantur, quæque sint in republica, quam tibi is exponet, qui et optime omnia novit, et elegantissime expedire et deferre ad te potest? Cave enim existimes, Brute (quamquam non est necesse, ea me

1. *Subtilius.* *Subtilitas* in scriptis est, non tenuitas, et humilitas, sed accuratus quidam ordo, nihil ut prætermittatur. MANUT.

ad te, quæ tibi nota sunt, scribere; sed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo silentio præterire), cave putes, probitate, constantia, cura, studio reipublicæ quidquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. Quamquam in hac ipsa, sapientia[2] plus apparet: ita gravi judicio, multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est, tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio (quod in eo summum est) gratia habenda videatur. Sed provehor amore. Non enim id propositum est huic epistolæ, Messallam ut laudem, præsertim ad Brutum, cui et virtus illius non minus, quam mihi, nota est, et hæc ipsa studia, quæ laudo, notiora: quem quum a me dimittens graviter ferrem, hoc levabar uno, quod ad te, tamquam ad alterum me, proficiscens, et officio[3] fungebatur, et laudem maximam sequebatur. Sed hæc hactenus. Venio nunc longo sane intervallo ad quamdam epistolam[4], qua mihi multa tribuens, unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius, et tamquam prodigus. Tu hoc: alius fortasse, quod in animadversione pœnaque durior; nisi fortasse utrumque tu. Quod si ita est, utriusque rei meum judicium tibi cupio esse notissimum: neque solum, ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus[5] fuit ex septem, et legum scriptor solus ex septem. Is rempublicam duabus rebus contineri dixit, præmio et pœna. Est scilicet utriusque rei modus, sicut reliquarum, et quædam in utroque genere mediocritas; sed non tanta

2. *Sapientia.* Ursin. et Faern. *sapientiæ.* Quæ sequuntur, confirmat Tibull. ad Messallam, IV, 1, 45 seq. Ed.

3. *Officio.* In rempubl. Man.

4. *Epistolam.* Vide supra, ep. 4.

5. Ita Victorius e MSS, Var. lect. XXII, 7. Olim erat, « sapiens unus f. e. s. » J. V. L.

de re propositum est hoc loco disputare. Quid ego autem sequutus hoc bello sim in sententiis dicendis, aperire non alienum puto.

Post interitum Cæsaris, et vestras memorabiles idus martias, Brute, quid ego prætermissum a vobis, quantamque impendere reipublicæ tempestatem dixerim, non es oblitus. Magna pestis erat depulsa per vos, magna populi romani macula deleta : vobis vero parta divina gloria; sed instrumentum regni delatum ad Lepidum et Antonium : quorum alter inconstantior, alter impurior; uterque pacem metuens, inimicus otio[6]. His ardentibus perturbandæ reipublicæ cupiditate, quod opponi posset præsidium, non habebamus. Erexerat enim se civitas, in retinenda libertate consentiens. Nos tum nimis acres : vos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis; Italiæ sua vobis studia profitenti remisistis. Itaque quum teneri Urbem a parricidis viderem, nec te in ea, nec Cassium tuto esse posse, eamque armis oppressam ab Antonio : mihi quoque ipsi esse excedendum putavi. Tetrum enim spectaculum, oppressa ab impiis civitas, opitulandi potestate præcisa. Sed animus idem, qui semper infixus est in patriæ caritate, discessum ab ejus periculis ferre non potuit. Itaque in medio Achaico cursu, quum etesiarum[7] diebus auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilii, retulisset, te vidi Veliæ, doluique vehementer. Cedebas enim, Brute, cedebas; quoniam stoici nostri[8] negant, fugere sapientis[9]. Romam ut veni, statim me obtuli

6. Codd. reg. *otii*. J. V. L.

7. *Etesiarum*. Quasi discessum meum dii non probarent, qui etesiarum diebus austrum spirare præter consuetudinem voluerint. *Etesiæ* autem in orientem navigantibus secundi sunt, *auster* in occidentem : itaque Ciceroni Græciam petenti prosperi etesiæ, contra auster. Man.

8. *Nostri*. Alii, *vestri*. — *Veliæ*. Confer Philipp. X, 4. Ed.

9. *Sapientis*. Stoici, quorum sectam

Antonii sceleri atque dementiæ: quem quum in me incitavissem, consilia inire cœpi Brutina plane (vestri enim hæc sunt propria sanguinis) reipublicæ liberandæ. Longa sunt, quæ restant, prætereunda; sunt enim de me: tantum dico, Cæsarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. Huic habiti a me honores nulli quidem, Brute, nisi debiti; nulli, nisi necessarii. Ut enim primum libertatem revocare cœpimus, quum se nondum ne Decimi quidem Bruti divina virtus ita commovisset, ut jam id scire possemus, atque omne præsidium esset in puero, qui a cervicibus nostris avertisset Antonium; quis honos ei non fuit decernendus? quamquam ego illi tum verborum laudem tribui, eamque modicam. Decrevi etiam imperium: quod quamquam videbatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. Quid enim est sine imperio exercitus? Statuam Philippus[10] decrevit, celeritatem[11] petitionis primo Servius, post majorem etiam Servilius. Nihil tum nimium videbatur. Sed nescio quomodo facilius in timore benigni, quam in victoria grati reperiuntur[12]. Ego enim, D. Bruto liberato, quum lætissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in fastis ad eum

Brutus, ab avunculo suo M. Catone institutus, sequebatur, fugere negabant esse sapientis: quem nulla re perturbari, nihil timere affirmabant: ita sequebatur, ut nec fugeret: timet enim, qui fugit. MAN.

10. *Philippus*. L. Marcius Philippus, qui consulatum gessit cum Marcellino, Octaviani vitricus. IDEM.

11. *Celeritatem*. Magistratus, ut celerius posset petere, quam leges permitterent. Id autem Ser. Sulpicius decrevit. Sed, quum ille decrevisset, ut Octavianus verbi gratia decem annis celerius, quam per leges liceret, petere posset, Isaurici filius Servilius decrevit, ut etiam aliquanto celerius. Quod autem Servius decrevit, opinor hoc est, ut tamquam quæstorius petere posset Octavius: quod Servilius, ut tamquam prætorius. IDEM.

12. Alii, *reperimur*. J. V. L.

diem Bruti nomen adscriberetur. In eoque sum majorum exemplum sequutus, qui hunc honorem mulieri Larentiæ [13] tribuerunt, cui [14] vos pontifices ad aram in Velabro facere soletis [15]. Quod ego quum dabam Bruto, notam esse in fastis gratissimæ victoriæ sempiternam volebam. Atque illo die cognovi, paullo plures in senatu malivolos esse, quam gratos. Eos per ipsos dies, effudi (si ita vis) honores in mortuos, Hirtium et Pansam, Aquilam etiam: quod quis reprehendit, nisi qui, deposito metu, præteriti periculi fuerit oblitus? Accedebat ad beneficii memoriam gratam ratio illa, quæ etiam posteris esset salutaris: exstare enim volebam in crudelissimos hostes monumenta odii publici sempiterna. Suspicor illud minus tibi probari, quod ab tuis familiaribus, optimis illis quidem viris, sed in republica rudibus, non probabatur [16], quod, ut ovanti introire Cæsari liceret, decreverim. Ego autem (sed erro fortasse; nec tamen is sum, ut mea me maxime delectent) nihil mihi videor hoc bello sensisse prudentius. Cur autem ita sit, aperiendum [17] non est, ne magis videar providus fuisse, quam gratus. Hoc ipsum, nimium. Quare alia videamus. D. Bruto decrevi honores, decrevi L. Plan-

13. *Larentiæ*. Quæ populo romano agros, Turacem, Semurium, Lincerium, et Solinium reliquit: ex quo est annuis parentationibus honorata. Varro, Ovidius, Macrobius, Saturn. lib. I. Man.

14. *Cui*. Vict. et Man. *cujus*.

15. Edd. pr. addunt *sacrificium*. E glossa, ut manifestum est. Sed Ernestio etiam *ad aram* frustra suspectum. J. V. L.

16. Sic MSS. regii. Vulg. *probatur*. J. V. L.

17. *Aperiendum non est*. Quid significat? hoc opinor; ideo se id sensisse, non tam ut pro beneficio gratiam referret, quam ut Octavianus, ovationis honore illectus, in urbem rediret, statimque, ut mos erat, imperium deponeret: itaque ejus exercitus ad alium transferrentur: quæ fuisset reip. summa cautio. Timendum enim erat, id quod evenit, ne Octavianus, quum exercitus in sua potestate haberet, ad persequendam patris mortem animum converteret. Hoc est, ut opinor, in quo se Cicero providum fuisse significat. Man.

co. Præclara illa quidem ingenia, quæ gloria invitantur; sed senatus etiam sapiens, qui, qua quemque re putat, modo honesta, ad rempublicam juvandam posse adduci, hac utitur. At in Lepido reprehendimur: cui quum statuam [18] in Rostris statuissemus, iidem illam evertimus. Nos illum honore studuimus a furore revocare. Vicit amentia levissimi hominis nostram prudentiam. Nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in evertenda boni.

Satis multa de honoribus: nunc de pœna pauca sunt dicenda. Intellexi enim ex tuis sæpe literis, te in iis, quos bello devicisti, clementiam tuam velle laudari. Existimo equidem nihil a te, nisi sapienter. Sed sceleris pœnam prætermittere (id enim est, quod vocatur ignoscere), etiam si in ceteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto. Nullum enim bellum civile fuit in nostra republica omnium, quæ memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracumque pars vicisset, tamen aliqua forma esset futura reipublicæ. Hoc bello victores quam rempublicam simus habituri, non facile affirmarim; victis certe nulla umquam erit. Dixi igitur sententias in Antonium, dixi in Lepidum severas: neque tam ulciscendi causa, quam ut et in præsens sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrerem; et in posterum, documentum statuerem, ne quis talem amentiam vellet imitari. Quamquam hæc quidem sententia non magis mea fuit, quam omnium. In qua videtur illud esse

18. *Statuam*. Cf. Philipp. V, 15. Ed. — *Documentum*. Grutero ea vox suspecta erat, tamquam a scriba potius, quam a Tullio. Suspicionem removit J. F. Gronovius, Observ. IV, 11, eamque vocem apprime latinam esse adstruit pluribus exemplis, quibus describendis supersedeo, quod in omnibus, quæ *Lexica* dicuntur, passim occurrant. Oliv.

crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna pervenit. Sed id et antiquum est, et omnium civitatum : siquidem etiam Themistoclis[19] liberi eguerunt. Et, si judicio damnatos eadem pœna sequitur cives, qui potuimus leniores esse in hostes? Quid autem queri potest quisquam de me, qui, si vicisset, acerbiorem se in me futurum fuisse confiteatur necesse est?

Habes rationem mearum sententiarum, de hoc genere duntaxat honoris et pœnæ. Nam de ceteris rebus quid senserim, quidque censuerim, audisse te arbitror. Sed hæc quidem non ita necessaria. Illud valde necessarium, Brute, te in Italiam cum exercitu venire quam primum. Summa est exspectatio tui : qui[20] si Italiam attigeris, ad te concursus fiet omnium. Sive enim vicerimus (qui quidem pulcherrime viceramus, nisi Lepidus perdere omnia, et perire ipse cum suis concupivisset[21]), tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem civitatis statum : sive etiam nunc certamen reliquum est, maxima spes est quum in auctoritate tua, tum in exercitus tui viribus. Sed propera, per deos. Scis enim, quantum sit in temporibus, quantum in celeritate.

Sororis tuæ filiis quam diligenter consulam, spero te ex matris, et ex sororis literis cogniturum. Qua in causa majorem habeo rationem tuæ voluntatis, quæ mihi carissima est, quam, ut quibusdam videor, constantiæ meæ; sed ego nulla in re malo, quam te amando[22], constans et esse, et videri.

19. *Themistoclis.* Qui proditionis est damnatus, ejusque bona publicata. Ejus *liberi* Neocles, Demophilus et Diophantus nominantur Cœl. Rhodig. Antiq. Lect. XIV, 12. Ed.

20. Sic vett. edd. Gronov. ex aliquot MSS, *quod si.* J. V. L.

21. Alii, *concupisset.* J. V. L.

22. Est qui conjicit, *quam in te amando.* Frustra. J. V. L.

EPISTOLA XVI.

Graviter reprehendit Ciceronis ad Octavium epistolam, qua eum rogat, ut liberatores patriæ salvos vellet. (Ex Macedonia, anno U. C. 710, mense quintili.)

BRUTUS CICERONI S.

Particulam literarum tuarum, quas misisti Octavio, legi, missam ab Attico mihi. Studium tuum, curaque de salute mea, nulla me nova voluptate affecit: non solum enim usitatum, sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter atque honorifice dixeris, aut feceris. At dolore, quantum animo maximum capere possum, eadem illa pars epistolæ, scriptæ ad Octavium de nobis, affecit. Sic enim illi gratias agis de republica; tam suppliciter ac demisse (quid scribam? pudet conditionis[1] ac fortunæ; sed tamen scribendum est) commendas nostram salutem illi (quæ morte qua non perniciosior?), ut prorsus præ te feras, non sublatam dominationem, sed dominum commutatum esse. Verba tua recognosce, et aude negare, servientis adversus regem istas esse preces. Unum ais esse, quod ab eo postuletur et exspectetur: ut eos cives, de quibus viri boni, populusque romanus bene existimet, salvos velit. Quid? si nolit, non erimus? Atqui, non esse, quam esse per illum, præstat. Ego, medius fidius, non existimo, tam omnes deos aversos esse a salute populi romani, ut Octavius orandus sit pro

1. *Conditionis.* Pudet eo nos redactos conditionis ac fortunæ, ut commendandos Octavio putes. Vel explana, conditionis tuæ ac fortunæ, qui homo consularis, tantis rebus gestis, nunc cum isto puero tam suppliciter, tam demisse agas. Manut. — *Salvos.* Non de vita, sed de integritate

salute cujusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum. Juvat enim magnifice loqui; et certe decet, adversus ignorantes, quid pro quoque timendum, aut a quoque petendum sit. Hoc tu, Cicero, posse fateris Octavium, et illi amicus es? aut, si me carum habes, vis Romæ videri[2]; quum, ut ibi esse possem, commendandus puero illi fuerim? Cui quid agis gratias, si, ut nos salvos esse velit et patiatur, rogandum putas? An hoc pro beneficio est habendum, quod se, quam Antonium, esse maluerit, a quo ista petenda essent? Vindici[3] quidem alienæ dominationis, non vicario, ecquis supplicat, ut optime meritis de republica liceat esse salvis?

Ista vero imbecillitas et desperatio, cujus culpa non magis in te residet, quam in omnibus aliis, et Cæsarem in cupiditatem regni impulit; et Antonio post interitum illius persuasit, ut interfecti locum occupare conaretur; et nunc puerum istum extulit[4], ut tu judicares, precibus esse impetrandam salutem talibus viris, misericordiaque unius, vix etiam nunc viri, tutos fore nos, haud ulla alia re. Quod si Romanos nos esse meminissemus, non audacius dominari cuperent postremi homines, qnam id nos prohiberemus; neque magis irritatus esset Antonius regno Cæsaris, quam ob ejusdem mortem deterritus. Tu quidem consularis, et tantorum scelerum vindex (quibus op-

juris esse intelligendum docet J.V. L.

2. *Vis Romæ videri.* Lambinus : « vis Romæ tempus fuisse videri, quum », i. e. quo tempore, *ut ibi*, etc. Manut. vulgatam lectionem interpretatur : « vis Romæ videri amicus Octavio ». Hunc ego sensum esse arbitror : Si carus tibi ego sum, qui velle potes, ea in urbe videri me, in quo ut esse possem, etc. Oliv.

3. *Vindici quidem.* Si Octavius vindex est, ut tu judicas, et ultor dominationis Antonii, non, ut ego vereor, vicarius : absurde facis, o Cicero, qui ei remp. defendenti supplices pro iis, qui optime de rep. meriti sunt. Amicis enim, et earumdem partium studiosis non supplicamus. Non enim opus est. Man.

4. Quidam conj. *ita extulit.* J.V. L.

pressis, vereor, ne in breve tempus dilata sit abs te pernicies), qui potes intueri quæ gesseris, simul et ista vel probare, vel ita demisse ac facile pati, ut probantis speciem habeas? Quod autem tibi cum Antonio privatum odium? Nempe quia postulabat hæc, salutem ab se peti; precariam nos incolumitatem habere, a quibus ipse libertatem accepisset; esse arbitrium suum de republica. Quærenda esse arma putasti, quibus dominari prohiberetur : scilicet, ut, illo prohibito, rogaremus alterum, qui se in ejus locum reponi pateretur, an ut esset sui juris ac mancipii respublica? Nisi forte non de servitute, sed de conditione serviendi recusatum est a nobis. Atqui non solum bono domino potuimus Antonio tolerare nostram fortunam, sed etiam beneficiis atque honoribus, ut participes, frui, quantis vellemus. Quid enim neget[5] iis, quorum patientiam videret maximum suæ dominationis præsidium esse? Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram, et libertatem. Hic ipse puer[6], quem Cæsaris nomen incitare videtur in Cæsaris interfectores, quanti æstimet (si sit commercio locus) posse, nobis auctoribus, tantum, quantum profecto poterit, quoniam vivere, et pecunias habere, et dici consulares volumus? Ceterum nequidquam perierit ille; cujus interitu quid gavisi sumus, si mortuo nihilo minus servituri eramus? nulla cura ab aliis[7] adhibeatur[8]: sed mihi prius omnia dii deæque eri-

5. *Quid enim neget*. Ernest. scribendum putat *negaret*, quia sequitur *videret*. J. V. L.

6. *Puer*. Nobis esset illo domino perhonorifica serviendi conditio. Verum non de serviendi conditione agimus : ipsam servitutem, quæcumque sit, odimus, ac detestamur. MAN.

7. Sic edd. pr. Multi *ab aliis* post omisere. J. V. L.

8. *Adhibeatur*. Hæc sic accipio, ut sit concessio quædam stomachosa, hoc modo : « Faciant, quod volent, alii, nullam curam adhibeant; et servitutem æquo animo patiantur. Mihi vero prius omnia, etc. » LAMB.

puerint, quam illud judicium, quo non modo heredi ejus, quem occidi, non concesserim, quod in illo non tuli, sed ne patri quidem meo, si reviviscat, ut, patiente me, plus legibus ac senatu possit.

An hoc tibi persuasum est, fore ceteros ab eo liberos, quo invito nobis in ista civitate locus non sit? Qui porro id, quod petis, fieri potest, ut impetres? Rogas enim, velit nos salvos esse. Videmur ergo tibi salutem accepturi, quum vitam acceperimus? quam, si prius dimittimus dignitatem et libertatem, qui possumus accipere? An tu Romæ habitare, id putas incolumem esse? Res, non locus oportet præstet istuc mihi. Neque incolumis fui Cæsare vivo, nisi postquam illud conscivi facinus; neque usquam exsul esse possum, dum servire, et pati contumelias, pejus odero malis omnibus aliis. Nonne hoc est in easdem tenebras recidisse, quum[9] ab eo, qui tyranni nomen adscivit sibi (quum in græcis civitatibus liberi tyrannorum, oppressis illis, eodem supplicio afficiantur), petitur, ut vindices atque oppressores dominationis salvi sint? Hanc ego civitatem videre velim, aut putem ullam, quæ ne traditam quidem atque inculcatam libertatem recipere possit? plusque timeat in puero nomen sublati regis, quam confidat sibi, quum illum ipsum, qui maximas opes habuerit, paucorum virtute sublatum videat?

Me vero posthac ne commendaveris Cæsari tuo; ne te quidem ipsum, si me audies. Valde care æstimas tot[10] annos, quot ista ætas recipit, si propter eam causam puero isti supplicaturus es. Deinde quod pulcherrime fecisti, ac facis in Antonio, vide ne convertatur a laude maximi animi ad opinionem formidinis.

9. Alii delent *quum*. J. V. L.

10. Deleverim *tot*, et legerim *quos*. Ernest. Sed minus elegans oratio esset, nostra quidem sententia. J. V. L. —

Nam si Octavius tibi placet, a quo de nostra salute petendum sit, non dominum fugisse, sed amiciorem dominum quæsisse videberis. Quem quod laudas ob ea, quæ adhuc fecit, plane probo : sunt enim laudanda, si modo contra alienam potentiam, non pro sua suscepit eas actiones. Quum vero judicas, tantum illi non modo licere, sed etiam a te ipso tribuendum esse, ut rogandus sit, ne nolit esse nos salvos; nimium magnam mercedem statuis : id enim ipsum illi largiris, quod per illum habere videbatur respublica. Neque hoc tibi in mentem venit, si Octavius ullis dignus sit honoribus, quia cum Antonio bellum gerat : iis, qui illud malum exciderint, cujus istæ reliquiæ sunt, nihil, quo expleri possit eorum meritum, tributurum umquam populum romanum, si omnia simul congesserit. At vide, quanto diligentius homines metuant, quam meminerint, quia Antonius vivat, atque in armis sit : de Cæsare vero, quod fieri potuit ac debuit, transactum est; neque jam revocari in integrum potest. Octavius is est, qui[11] quid de nobis judicaturus sit, exspectet populus romanus? nos hi sumus, de quorum salute unus homo rogandus videatur? Ego vero, ut istuc revertar, is sum, qui non modo non supplicem, sed etiam coerceam postulantes, ut sibi supplicetur. Aut longe a servientibus abero, mihique esse judicabo Romam, ubicumque liberum esse licebit; ac vestri miserebor, quibus nec ætas, neque honores, neque virtus aliena[12] dulcedinem vi-

Quæsisse. Conf. Plutarch. in Bruto, cap. 22; in Cic. cap. 45. Ed.

11. Markland. putat scribendum fuisse, *a quo quid de nobis*. Male. J. V. L.

12. *Aliena*. Nostra scilicet, qui tyrannum occidimus, quorum exemplo fortiores esse, et vitam minus aliquanto, quam libertatem, diligere debebatis. Man.—Legit Boh. in Tusc. I, 45, *alienam*, h. e. quæ Ciceronem non deceat, quæ possit quidem in vulgus cadere, sed minime in senem honoribus ac virtute conspicuum.

vendi minuere potuerit. Mihi quidem ita beatus esse videbor, si modo constanter ac perpetuo placebit hoc consilium, ut relatam putem gratiam pietati[13] meæ. Quid enim est melius, quam memoria recte factorum et libertate contentum negligere humana? Sed certe non succumbam succumbentibus; nec vincar ab iis, qui se vinci volunt; experiarque, et tentabo omnia; neque desistam abstrahere a servitio civitatem nostram. Si sequuta fuerit, quæ debet, fortuna; gaudebimus omnes: sin minus, ego tamen gaudebo. Quibus enim potius hæc vita factis aut cogitationibus traducatur, quam iis, quæ pertinuerint ad liberandos cives meos?

Te, Cicero, rogo atque hortor, ne defatigere, neu diffidas; semper in præsentibus malis prohibendis, futura quoque, nisi ante sit occursum, explores, ne se insinuent; fortem et liberum animum, quo et consul, et nunc consularis rempublicam vindicasti, sine constantia et æquabilitate nullum esse putaris. Fateor enim, duriorem esse conditionem spectatæ virtutis, quam incognitæ. Benefacta pro debitis exigimus; quæ aliter[14] eveniunt, ut decepti ab his, infesto animo

13. *Pietati meæ*. Erga patriam; quæ me ad præclarum illud facinus excitavit, cui pietati debitum præmium esse persolutum existimabo, si modo, quod tum sensi, idem in reliqua vita sensero. MAN.

14. *Quæ si aliter*. Abest a meis conjunctio *si*: et quidem omnibus: nec dubito quin recte. Neque enim *quæ*, benefacta refert, sed infinite accipitur; hoc modo: « Quæ aliter ac volumus atque oportet eveniunt, infesto animo reprehendimus: ita ut benefactis nullam gratiam habeamus, sed ea tamquam debita exigamus: quæ secus eveniunt, iniquo animo reprehendimus ». Vel *aliter, male* significat, ut ad Atticum lib. VII: « Illum aliter cum aliis loquutum esse audiebam ». Quo sensu etiam *secus* accipitur. Idem Toranio, lib. epist. ad Torquatum: « Magna enim consolatio est, quum recordare, etiam si secus acciderit, te tamen recte vereque sensisse ». In sequenti autem sententia, *ille consul*, et *hunc consularem*, ad unum Ciceronem, et *ille* et *hunc*, debent referri. Non miramur, inquit, Ciceronem resistere Antonio. Id enim ab illo non solum postulatur, sed ut debitum exigitur. Talis enim consulatu fuit, ea gessit, ut nisi nunc consularis

reprehendimus. Itaque resistere Antonio Ciceronem, etsi magna laude dignum est; tamen, quia ille consul hunc consularem merito præstare videtur, nemo admiratur. Idem Cicero si flexerit adversus alios judicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio, non modo reliqui temporis gloriam eripuerit sibi, sed etiam præterita evanescere coget (nihil enim per se amplum est, nisi in quo judicii ratio exstat): quia neminem magis decet, quam te, rempublicam amare, libertatisque defensorem esse, vel ingenio, vel rebus gestis, vel studio atque efflagitatione omnium. Quare non Octavius est rogandus, ut velit nos salvos esse: magis tu te exsuscita, ut eam civitatem, in qua maxima gessisti, liberam atque honestam fore putes, si modo sint populo duces ad resistendum improborum consiliis.

eadem præstet, illa videatur casu fecisse, nec dignitatem suam tueatur. Quare, si paullulum offenderit, remissiorque ac dissolutior fuerit, etiam futuri temporis gloriam eripuerit sibi, et præteriti exstinxerit. MAL. — Lego *quæ aliter* cum J. V. L. et MSS plerisque. ED. — *Reprehendimus.* Hæc adeo dura sunt et parum Bruto convenientia videntur, ut *Morabin, Hist. de Cicéron,* not. 1109, hanc epist. et sequentem pro spuriis habuerit. Tunstall. vero refellit ep. ad Middleton. pag. 203. ED.

EPISTOLA XVII.

De Ciceronis nimio in Octavio ornando studio vehementer conqueritur, eumdemque graviter reprehendit, qui, quum Antonii dominationem oppresserit, novam in Octavio stabiliat et confirmet. (Ex Macedonia, anno U. C. 710, mense junio.)

BRUTUS ATTICO S.

SCRIBIS mihi, mirari Ciceronem, quod nihil significem umquam de suis actis. Quoniam efflagitas, coactu tuo scribam, quæ sentio. Omnia fecisse Ciceronem

optimo animo, scio : quid enim mihi exploratius esse potest, quam illius animus in rempublicam? Sed quædam mihi videtur, quid dicam? imperite [1], vir omnium prudentissimus; an ambitiose fecisse, qui valentissimum Antonium suscipere pro republica non dubitarit inimicum? nescio, quid scribam tibi, nisi unum: pueri et cupiditatem, et licentiam potius esse irritatam, quam repressam a Cicerone; tantumque eum tribuere huic indulgentiæ, ut se maledictis [2] non abstineat, iis quidem, quæ in ipsum dupliciter recidunt, quod et plures [3] occidit uno, seque prius oportet fateatur sicarium, quam objiciat Cascæ, quod objicit; et imitatur in Casca Bestiam [4]. An quia non omnibus horis jactamus idus martias, similiter atque ille nonas decembr. suas in ore habet, eo meliore [5] conditione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quam Bestia et Clodius reprehendere illius consulatum soliti sunt? Sustinuisse mihi gloriatur bellum Antonii togatus Cicero noster : quid hoc mihi prodest, si merces Antonii oppressi poscitur, in Antonii locum successio; et si vindex illius mali, auctor exstitit alterius, fun-

1. *Imperite*, etc. Significat, et stultitiæ Ciceronem accusandum, et ambitionis : quum tamen in utroque videatur eum excusare. Sed *imperitum* in eo significat, quod plus Octavio tribuerit, quam e rep. esset: *ambitiosum*, quod, modo habeat a quibus colatur ac laudetur, servitutem non recusat : ita ob stultitiam et ambitionem Octavium Antonianæ dominationis vicarium constituit. MAN.

2. *Maledictis*. In Cascam. Mirari autem satis non possum, Ciceronem Cæsaris necem objecisse Cascæ. Et id tamen Bruti verba declarant. IDEM.

3. *Plures*. Crimini dat Cascæ, et sicarium appellat, quia Cæsarem occiderit. At, si hominem occidere, crimen est, quanto gravius ipse peccavit, qui consul non unum, sed quinque occidit, Lentulum, Cethegum, etc. IDEM.

4. *Imitatur in Casca Bestiam*. Ita reprehendit Cascam ob pulcherrimum factum, ut Bestia Ciceronem ob ea, quæ in consulatu gesserat, reprehendere solebat. IDEM.

5. *Eo meliore conditione*. Minus turpiter nos vituperabit de Cæsaris nece, quam illum Calpurnius Bestia et P. Clodius de conjuratorum supplicio, etc. IDEM.

damentum et radices habituri altiores, si patiamur? ut jam ista, quæ facit, non dominationem[6], sed dominum Antonium timentis sint. Ego autem gratiam non habeo, si quis, dum ne irato serviat, rem ipsam non deprecatur. Immo triumphus et stipendium decernitur, et omnibus decretis ornatur. Pudeat concupiscere fortunam, cujus nomen susceperit[7] consularis[8], ut Ciceronis est.

Quoniam mihi tacere non licuit, leges quæ tibi necesse est molesta esse[9]. Etenim ipse sentio, quanto cum dolore hæc ad te perscripserim; nec ignoro, quid sentias in republica, et quam desperatam quoque sanari putes posse. Nec mehercule te, Attice, reprehendo: ætas enim, mores, liberi, segnem efficiunt; quod quidem etiam ex Flavio[10] nostro perspexi. Sed

6. *Non dominationem, sed.* Hoc loquendi genere veteres esse usos, quum aliquid paullo studiosius affirmarent, ostendimus in commentariis ad Atticum, lib. X, epist. 9. Man.— Hodie quidem sic legimus, sed contra vett. edd. et MSS Pall. in quibus nulla litera variante: « Quæ facit, dominationem, an dominum, an Antonium timentis sint ». Neque secus publicati a Victorio. Grut. — Legendum videtur, « non dominationem, non dominum, sed Antonium, etc. »

7. Aldi vetus liber, « susceperit? Consularis hoc, an Ciceronis est? » Quod placet. J. V. L.

8. *Consularis.* Hic multum discrepant veteres libri a nostris. Habent enim: « Pudet concupiscere fortunam, cujus nomen susceperit consularis, ut Ciceronis est ». Quos si sequimur, ita exponemus: Pudor ab ea fortuna consularis hominis concupiscenda, cujus nomen susceperit, quemvis deterrere debet: ea, inquam, fortuna, quæ Ciceronis est. Videbitur omnino paullo durius: sed nec ubique dictio Bruti mollis est. Man. — Quid sibi velit Manutius, vix assequor: cujus tamen lectionem retineo, sed addita interrogandi nota, quæ superiora claudat. Hic ergo sensus erit: « Pudeatne Octavium concupiscere fortunam », regiam potestatem Cæsaris, *cujus nomen susceperit? Hoc* igitur, quod fit ad illum ornandum, debuitne, potuitne a consulari, a Cicerone proficisci? Oliv.

9. *Tibi necesse est molesta esse.* Quum videas te quoque in Cicerone notari, qui nullam reip. partem suscipias, sed communi causæ tamquam indormias. Man.

10. *Ex Flavio.* Antonianus liber *in Flavio.* Et probatur. Ut se dicat Brutus Attici consilium perspexisse, non ex sermone Flavii, sed in facto Flavii: quum Atticus ab eo appellatus, ut princeps esse vellet privati ærarii C. Cæsaris, illius interfectoribus

redeo ad Ciceronem. Quid inter Salvidienum[11] et eum interest? Quid autem amplius ille decerneret? Timet, inquies, etiam nunc reliquias belli civilis. Quisquam ergo ita timet profligatum, ut neque potentiam ejus, qui exercitum victorem habeat, neque temeritatem pueri putet extimescendam esse? an hoc ipsum ea re facit, quod illi propter amplitudinem[12] omnia jam, ultroque deferenda putat? O magnam stultitiam timoris, id ipsum, quod verearis, ita cavere, ut, quum vitare fortasse potueris, ultro arcessas et attrahas! Nimium timemus mortem, et exsilium, et paupertatem. Hæc videntur Ciceroni ultima esse in malis: et, dum habeat, a quibus impetret quæ velit, et a quibus colatur ac laudetur, servitutem, honorificam modo, non aspernatur; si quidquam in extrema ac miserrima contumelia potest honorificum esse. Licet ergo patrem appellet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat; tamen illud apparebit, verba rebus esse contraria. Quid enim tam alienum ab humanis sensibus est, quam eum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero sit? Atqui eo tendit, id agit, ad eum exitum properat vir optimus, ut sit illi Octavius propitius. Ego vero jam iis artibus nihil tribuo, quibus scio Ciceronem instructissimum esse. Quid enim illi prosunt, quæ pro libertate patriæ, de dignitate[13], quæ de morte, exsilio, paupertate scripsit copiosissime? Quanto autem magis

constituendi, prorsus negavit. Hoc totum scribitur a Nepote, in ipsius Attici vita. MALASP.

11. *Salvidienum.* Q. Salvidienum Rufum, Octavii studiosissimum; in quem quum deinceps conjurasset, ejus jussu occisus est. Sueton. Aug. c. 66; Dio, lib. XLVIII; Vell. Pat. II, 76. De honoribus, quos senatus, auctore Cicerone, in Octavium decrevit, vid. Philipp. III, 2; XIV, 10, etc.

12. *Amplitudinem.* Summam potentiam, quum victores exercitus in ejus manu sint. URSIN.

13. *De dignitate.* In quo sita sit vera dignitas.

illa callere videtur Philippus, qui privigno [14] minus tribuerit, quam Cicero alieno tribuat? Desinat igitur gloriando [15] etiam insectari dolores nostros. Quid enim nostra, victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret, quod ille obtinuit? tametsi tuæ literæ dubia [16] etiam nunc significant. Vivat hercule Cicero, qui potest, supplex et obnoxius, si neque ætatis, neque honorum, neque rerum gestarum pudet. Ego certe, quin cum ipsa re bellum geram, hoc est, cum regno, et imperiis extraordinariis, et dominatione, et potentia, quæ supra leges se esse velit, nulla erit tam bona conditio serviendi, qua deterrear, quamvis sit vir bonus, ut scribis, Antonius; quod ego numquam existimavi: sed dominum, ne parentem quidem, majores nostri voluerunt esse. Te nisi tantum amarem, quantum Ciceroni persuasum est diligi se ab Octavio [17], hæc ad te non scripsissem. Dolet mihi, quod tu nunc stomacharis, amantissimus tum tuorum omnium, tum Ciceronis. Sed persuade tibi, de voluntate [18] propria [mea [19]] nihil esse remissum, de judi-

14. *Privigno.* Octavio. Ejus enim matrem Atiam, post obitum prioris viri, uxorem duxerat Philippus.

15. *Gloriando.* Quum gloriaretur, plus beneficii a se in remp. esse collatum, quam ab iis, qui Cæsarem occiderant: quoniam illi quasi radicem tyrannidis Antonium reliquissent, ipse Antonii bellum togatus sustinuisset, atque oppressisset. MAN.

16. *Dubia.* Non ita victum esse Antonium, ut ab eo nihil timere possit respublica.

17. *Diligi ab Octavio.* Faerni liber, « diligi se ab Octavio ». MAL.—Vulg. abest *se*. Addimus e MSS regiis. J. V. L.

18. *De voluntate.* Sumamus hic quiddam a philosophis, ut sententia pateat illustrius. *Amor* in voluntate est, *opiniones* in mente. *Velle, nolle*, in nostra potestate est: *opinari*, non est. Quale enim quidque videtur, talem de illo necesse est opinionem habeamus. Ergo, quum *voluntas* mea *propria* sit, judicium non sit: laudandus videor, qui, quod possum, et quod in me est, facio, ut Ciceronem amem; excusandus, qui de eo non optime judicem; quum id a me necessitas quædam et quasi mentis imperium exprimat. MAN.

19. *Mea* videtur explicare *propria*. J. V. L.

cio largiter : neque enim impetrari potest, quin, quale quidque videatur ei, talem quisque de illo opinionem habeat.

Vellem mihi scripsisses, quæ conditiones essent Atticæ[20] nostræ : potuissem aliquid tibi de meo sensu perscribere. Valitudinem Porciæ meæ tibi curæ esse non miror. Denique, quod petis, faciam libenter; nam etiam sorores me rogant; et hominem[21] noro, et quid sibi voluerit.

20. *Atticæ*. De qua, ut opinor, in matrimonium collocanda quiddam Atticus scripserat.

21. *Hominem*. Nescio quem, literis ab Attico et a Bruti sororibus, quarum altera uxor M. Lepidi, altera C. Cassii, commendatum. Hæ Bruti sorores tunc Romæ erant. Ed.

EPISTOLA XVIII.

De exercitus in Italiam adducendi necessitate; de sollicitudine sua in retinendo Octavio, pro quo spoponderat pop. rom. de rei pecuniariæ difficultate, et de Lepidi filiis. (Romæ, anno U. C. 710, mense quintili.)

CICERO BRUTO S.

Quum sæpe te literis hortatus essem, ut quam primum reipublicæ subvenires, in Italiamque exercitum adduceres, neque id arbitrarer dubitare tuos necessarios; rogatus sum a prudentissima et diligentissima femina, matre tua, cujus omnes curæ ad te referuntur, et in te consumuntur, ut venirem ad se a. d. IIX kal. sext. quod ego, ut debui, sine mora feci. Quum autem venissem, Casca aderat, et Labeo, et Scaptius. At illa retulit, quæsivitque, quidnam mihi videretur: arcesseremusne te, atque id tibi conducere putaremus, an tardare et commorari te melius esset. Respondi id, quod sentiebam, et dignitati, et existima-

tioni tuæ maxime conducere, te primo quoque tempore ferre præsidium labenti et inclinatæ reipublicæ. Quid enim abesse censes mali in eo bello, in quo victores exercitus fugientem hostem persequi noluerunt? et in quo incolumis imperator[1], honoribus amplissimis, fortunisque maximis, conjuge, liberis, vobis affinibus ornatus, bellum reipublicæ indixerit? quid dicam, in tanto senatus populique consensu, quum tantum resideat intra muros mali? Maximo autem, quum hæc scribebam, afficiebar dolore: quod, quum me pro adolescentulo ac pæne puero respublica accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, præstare posse. Est autem gravior et difficilior animi et sententiæ, maximis præsertim in rebus, pro altero, quam pecuniæ obligatio. Hæc enim solvi potest, et est rei familiaris jactura tolerabilis: reipublicæ quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis? Quamquam et hunc (ut spero) tenebo, multis repugnantibus: videtur enim in eo esse indoles; sed flexibilis ætas, multique ad depravandum parati, qui, splendore falsi honoris[2] objecto, aciem boni ingenii præstringi[3] posse confidunt. Itaque ad reliquos hic quoque labor mihi accessit, ut omnes adhibeam machinas ad tenendum adolescentem, ne famam subeam temeritatis. Quamquam quæ temeritas est? magis enim illum, pro quo spopondi, quam me obligavi. Nec vero pœnitere potest rempublicam, me pro eo spopondisse, qui fuit in rebus gerendis quum suo ingenio, tum mea promissione constantior. Maximus autem (nisi me forte fallit) in republica nodus est inopia rei

1. *Imperator.* M. Æmilius Lepidus.
2. *Falsi h.* Consulatus. Vid. ep. 14.
3. *Præstringi.* Edidit Manut. *perstringi;* Lamb. *præstingui.*

pecuniariæ. Obdurescunt[4] enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi : quod ex centesima[5] collatum, impudenti censu[6] locupletum, in duarum legionum præmiis[7] omne consumitur. Impendent autem infiniti sumptus quum in hos exercitus, quibus nunc defendimur, tum vero in tuum. Nam Cassius noster videtur posse satis ornatus venire. Sed et hæc, et multa alia coram cupio, idque quam primum.

De sororis tuæ filiis non exspectavi, Brute, dum scriberes. Omnino jam tempora (bellum enim ducetur) integram tibi causam reservant. Sed ego a principio, quum divinare de belli diùturnitate non possem, ita causam egi puerorum in senatu, ut te arbitror e matris literis potùisse cognoscere. Nec vero ulla res erit umquam, in qua ego non, vel vitæ periculo, ea dicam, eaque faciam, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrer[8]. Vale. VI kalend. sext.

4. *Obdurescunt.* Lambinus, libris omnibus, ut ipse testatur, reclamantibus, reposuit *obsurdescunt.* Sibi habeat. GRUT.

5. *Ex centesima.* Ut de centum nummis unus tribuatur singulis mensibus.

6. *Impudenti censu.* Quod multo minus solvunt, quam deberent.

7. *Præmiis.* Non stipendiis, sed præmiis ante victoriam promissis. Cf. Philipp. V, 19. ED.

8. Sic ed. Rom. Alii, *arbitror*, vel *arbitrabor*. J. V. L.

EPISTOLA XIX*.

In summo discrimine rem esse scribit, neque se tamen desperare: celeritatem in consulibus desiderat et prudentiam: maximam spem esse in Bruto et Cassio. (Romæ, anno U. C. 710, mense aprili.)

CICERO BRUTO S.

Quum hæc scribebam [1], res existimabatur in extremum adducta discrimen: tristes enim de Bruto nostro literæ nuntiique afferebantur. Me quidem non maxime conturbabant. His enim exercitibus ducibusque, quos

* Hic incipiunt epistolæ, quæ ab aliis inscribuntur, « Epist. ad Brutum a Germanis repertæ et editæ »; ab aliis, « Liber secundus ». J. V. L. — Has epistolas, ut a Germanis accepimus, ita damus. Quamvis enim in nullo veteri exemplari invenerimus, tamen nec Germanorum fidem improbare (qui se in vetusto codice eas reperisse testati sunt), nec nostrum ullam in partem judicium interponere voluimus. Victor. — Placuit etiam hoc loco (in fragmentis) quatuor epistolas Ciceronis ad M. Brutum, et unam Bruti ad Ciceronem intexere, quæ a Germanis in manuscripto libro inventæ feruntur: quoniam et a multis, ut falsæ, rejiciuntur, nec in omnibus epistolarum impressis voluminibus reperiuntur, et in quibus sunt, in iis confusæ admodum ac sine ullo fere honore leguntur. Sunt autem scriptæ post celebrem illam ad Brutum, cujus initium est: *Sex. Clodius*, quam scriptam esse M. Antonio consule liquet: siquidem hæ, Hirtio et Pansa coss. aliquot post illam mensium intervallo datæ sunt. Esse autem has reliquis vulgatis ad Brutum epistolis præponendas, sed tamen cum iis connectendas, et rerum et temporum ipsorum ratio indicat. Quæ omnia ego paucis notatis locis ostendam. Sigon. — Quid in iis ad Brutum epistolis effecerit Sigonius, et quam egregiam operam navaverit, res ipsa indicat, cum aliis quidem, ante Sigonium editis, collata libris. Sunt, qui Ciceronis epistolas esse negent. Sed Patricius, quum rei ipsi pro se loquenti, tum Manutio idem quoque affirmanti plus tribuit in hoc genere, quam omnino cuiquam hominum: quos tamen ipsos nec multos, nec vehementer oportet esse eruditos, qui in his epistolis Ciceronem non agnoscant. His tamen sese adjunxit Sch. — Ex quatuor Tullii epistolis, et Bruti una, quas exhibet Sigonius, faciunt alii sex, alii septem, et Brutina cum Tullianis confundunt. Hic igitur Sigonium ducem sequar: neque invitis, opinor, Musis. Olivet.

1. *Quum hæc scribebam, res*, etc. De D. Bruto, Mutinæ ab Antonio obsesso, loquitur. Sic enim etiam ad C. Cassium scribit (ad Div. XII, 6): « Quum hæc scribebam res erat in extremum adducta discrimen. Brutus enim Mutinæ vix jam sustinebat ». Sig.

habemus, nullo modo poteram diffidere. Neque assentiebar majori parti hominum : fidem enim consulum non condemnabam[2], quæ suspecta vehementer erat. Desiderabam nonnullis in rebus prudentiam et celeritatem; qua si essent usi, jam pridem rempubl. recuperassemus. Non enim ignoras, quanta momenta sint in republica temporum, et quid intersit, idem illud utrum ante, an post decernatur, suscipiatur, agatur. Omnia, quæ severe decreta sunt hoc tumultu, si aut, quo die dixi sententiam, perfecta essent, et non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt, ut agerentur, non tardata et procrastinata, bellum jam nullum haberemus. Omnia, Brute, præstiti reipublicæ, quæ præstare debuit is, qui esset in eo, in quo ego sum, gradu, senatus populique judicio, collocatus; nec illa modo, quæ nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, vigilantiam, patriæ caritatem; ea sunt enim, quæ nemo est qui non præstare debeat : ego autem ei, qui sententiam dicat in principibus de republica, puto etiam prudentiam esse præstandam; nec me, quum mihi tantum sumpserim, ut gubernacula reipublicæ prenderem, minus putarim reprehendendum, si inutiliter aliquid senatui suaserim, quam si infideliter. Acta quæ sint, quæque agantur, scio perscribi ad te diligenter : ex me autem illud est quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in aciem esse[3]; neque respectum ullum

2. *Fidem enim consulum non condemnabam.* Sic in tertia ad eumdem, ex iis, quæ vulgatæ sunt : « Consules duos bonos quidem, sed duntaxat bonos, amisimus ». In consulibus enim his animum et voluntatem defendendæ reip. laudat, inertiam atque imprudentiam arguit. Sigon.

3. *In aciem esse.* Vel *in aciem* dixit, ut motum animi sui declararet, quasi, in aciem spectare : vel antiquo more loquutus est, *in aciem*, pro *in acie :* ut in orat. pro lege Manilia : « Quum nostros portus in prædonum fuisse potestatem sciatis ». Et Plaut. in Amphitr. « Mihi in mentem non fuit ». Quæ

quærere, nisi me utilitas civitatis forte converterit. Majores autem partes animi te, Cassiumque respiciunt. Quamobrem ita te para, Brute, ut intelligas, aut, si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem rempublicam esse faciendam; aut, si quid offensum sit, per te esse eamdem recuperandam.

notavit Gellius lib. I, cap. 7. In aciem igitur, in pugnam, quæ inter Antonium ducesque reip. brevi futura videbatur. Man.

EPISTOLA XX.

De Planci egregio in remp. animo, et suis cum Servilio in senatu de Planco contentionibus, quibus eum tandem fregit. (Romæ, anno U. C. 710, mense aprili.)

CICERO BRUTO S.

Planci[1] animum in rempublicam egregium, legiones, auxilia, copias ex literis ejus, quarum exemplum tibi missum arbitror, perspicere potuisti. Lepidi, tui necessarii, qui secundum fratrem[2] affines habet, quos oderit, proximos, levitatem et inconstantiam, animumque semper inimicum reipublicæ jam credo tibi ex tuorum literis esse perspectum. Nos exspectatio sollicitat, quæ est omnis jam in extremum adducta discrimen. Est enim spes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus. Ego hic cum homine furioso satis habeo negotii[3], Servilio, quem tuli diutius, quam dignitas mea patiebatur: sed tuli reipublicæ causa, ne darem perditis civibus hominem, parum sanum illum quidem, sed tamen

1. *Planci.* Consulis designati. Ed.

2. *Fratrem.* Lepidi frater fuit L. Paullus, qui consulatum cum C. Marcello gesserat. Mox a fratre ad necem traditus, societate a triumviris perdendæ reip. facta. Plutarchus in Antonio. Man.

3. *Satis habeo negotii.* Eamdem rem scribit etiam ad Plancum, epistola data III id. april. Vid. ad Div. X, 12.

nobilem, quo concurrerent : quod faciunt nihilo minus; sed eum alienandum a republica non putabam. Finem feci ejus ferendi; cœperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci vero causa exarsit incredibili dolore, mecumque biduum ita contendit, et a me ita fractus est, ut eum in perpetuum modestiorem sperem fore. Atque in hac contentione ipsa, quum maxime res ageretur a. d. v id. april. literæ mihi in senatu redditæ sunt a Lentulo[4] nostro, de Cassio, de legionibus, de Syria; quas statim quum recitavissem, cecidit[5] Servilius, complures præterea : sunt enim insignes aliquot, qui improbissime sentiunt. Sed acerbissime tulit Servilius, assensum esse mihi de Planco[6]. Magnum illud monstrum in republica est........

Desunt reliqua.

4. *Lentulo*. Spiutheris filio. Ed.

5. *Cecidit*. Fracto animo, utpote qui Antonio faveret. Man.

6. *De Planco*. Ornando, quia scripserat ad senatum, se, et exercitum suum præsto ad omnia pro libertate reip. futurum. Ep. 8 et 12, lib. X, ad Div. Idem.

EPISTOLA XXI.

BRUTUS CICERONI S.

Deest principium epistolæ.

.... Sed[1] quo nos amisisse : quam sic vexari a Dolabella audio, ut jam non videatur crudelissimum ejus facinus interfectio Trebonii. Vetus Antistius me tamen pecunia sublevavit. Cicero, filius tuus, sic mihi

1. Alii jungunt *Sed quo* cum superiore epistola, atque huc satis feliciter adduut epist. 23, ut post « Huc magis doleo, Asiam », statim legas *nos amisisse*. J. V. L. — *Vetus Antistius*. Vide ad Att. XIV, 9. Ed.

se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus numquam dimittere videatur cogitationem, cujus sit filius. Quare, quoniam efficere non possum, ut pluris facias eum, qui tibi est carissimus; illud tribue judicio meo, ut tibi persuadeas, non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiscatur honores paternos. Kalend. april. Dyrrhachio [2].

2. Alii habent *Carachio*, vel *Charachio*, nomen ignotum. J. V. L.

EPISTOLA XXII.

Romæ, anno U. C. 710, mense aprili.

CICERO BRUTO S.

DATIS mane a. d. VI [1] id. april. Scaptio literis, eodem die tuas accepi kal. april. Dyrrhachio datas vesperi [2]. Itaque mane prid. id. apr. quum a Scaptio certior factus essem, non esse eos profectos, quibus pridie dederam, et statim ire, hoc paullum exaravi ipsa in turba matutinæ salutationis. De Cassio lætor, et reipublicæ gratulor; mihi etiam, qui, repugnante et irascente Pansa, sententiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius persequeretur. Et quidem audacter dicebam, sine nostro senatusconsulto [3] jam illud eum

1. *Mane a. d. VI id. apr.* Hæc epistola data est id. april. Quare quod scriptum est : « datis mane a. d. VI id. » legendum est *a. d. III*, quod ex epistola ipsa aperte patet. Ad omnes superioris Bruti epistolæ partes diligentissime respondet. Præterea se, repugnante Pansa, sententiam dixisse ait, ut Dolabellam Cassius bello persequeretur, quam dixit in XI Philipp. Ad ea verba Bruti luxata : « Hoc magis doleo, Asiam sic vexari a Dolabella », ita rescribit : « Ex iis literis, quas mihi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur ». SIGON.

2. *Vesperi.* Non datas vesperi, sed accepi vesperi. Idcirco subdistinxi, *datas, vesperi*. PATRICIUS.

3. *Sine nostro SC.* Sic ad Cassium, in epist. 7, lib. XII, ad Div. « Promisi;

bellum gerere. De te etiam dixi tum, quæ dicenda putavi. Hæc ad te oratio[4] perferetur, quoniam te video delectari Philippicis nostris. Quod me de Antonio consulis; quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex his literis, quas mihi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur, et in ea se gerere teterrime[5]. Compluribus autem scripsisti, Dolabellam a Rhodiis esse exclusum : qui si ad Rhodum accessit, videtur mihi Asiam reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandum : sin eam semel cepit, mihi crede.... ** non erit[6]. Id. april.

et prope confirmavi, te non exspectasse, nec exspectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more remp. defensurum ». Man.— Ed. Cratandri, *senaticonsulto*. J. V. L.

4. *Teterrime*. Ad Div. XII, 15. Ed.

5. *Oratio*. Philipp. XI.

6. Al. post *non erit*, addunt ex epistola sequenti, « at in Asiam... acturus ». J. V. L.

EPISTOLA XXIII.

De Trebonii morte et provincia scribit. De Antonio consulit. De rebus a Cassio gestis quid fieri velit, ostendit. Orationes Ciceronis laudat, et pecuniam supplementumque postulat. (Dyrrhachii, anno U. C. 710, mense aprili.)

BRUTUS CICERONI S.

Literas tuas valde exspecto, quas scripsisti post nuntios nostrarum rerum, et de morte Trebonii : non enim dubito, quin mihi consilium tuum explices. Indigno scelere et civem optimum amisimus, et provinciæ possessione depulsi sumus : quam recuperari facile est; neque minus turpe aut flagitiosum erit, si potest[1], non recuperari. Antonius[2] adhuc est nobis-

1. *Si potest, non recuperari.* Omisso *si*, et *non*, Sigonius edidit, *post recuperari.* Ut hoc Brutus videatur dicere : Etsi recuperetur Asia, non minus tamen fuerit Dolabellæ flagitium. Verum, amabo, cur isti brevita-

cum; sed medius fidius et moveor hominis precibus, et timeo, ne illum[3] aliquorum furor excipiat: plane æstuo. Quod si scirem, quid tibi placeret, sine sollicitudine essem. Id enim optimum esse, persuasum esset mihi. Quare quam primum fac me certiorem, quid tibi placeat. Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet, ultro quidem a Murco et a Marcio, et ab exercitu ipso arcessitus. Ego scripsi ad Tertiam sororem, et matrem, ne prius ederent hoc, quod optime ac felicissime gessit Cassius, quam tuum consilium cognovissent, tibique visum esset. Legi orationes duas tuas, quarum altera kal. jan. usus es; altera de literis meis[4], quæ habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem. Nescio animi, an ingenii tui major in his libellis laus contineatur. Jam concedo, ut vel Philippici vocentur, quod tu quadam epistola jocans scripsisti.

Duabus rebus egemus, Cicero, pecunia et supplemento: quarum altera potest abs te expediri, ut aliqua pars militum istinc mittatur nobis, vel secreto consilio adversus Pansam, vel actione in senatu; altera, quæ magis[5] est necessaria, neque meo exercitui magis, quam reliquorum. Hoc magis doleo, Asiam...** at in Asiam censeo persequendum. Nihil mihi videris[6] hoc tempore melius acturus.

tis amatores non ita loquuntur, ut non intelligi non possint? Olivet.

2. *Antonius*. Caius, Marci frater, qui anno superiore prætor fuerat. Manut.

3. *Ne illum*. Ne illum, alienatum a me dilationibus meis, ducem sibi libenter arripiant male de rep. sentientes: quorum furori aptam occasionem dare nollem. Idem.

4. *De literis meis*. Philippica X. Id.

5. *Magis*, etc. Sigonius edidit, *quæ magis quam reliquorum*, nullo sensu. Voces alias Patricius ex Caroli Stephani editione hausit. Unde autem Stephanus acceperit, quum ipse taceat, nescio. Olivet.

6. Vide quæ in epistol. 21 et 22 notavimus. Si hæc ordinis restitutio non admittitur, legendum hic *videor* pro *videris*. Nihil quidem, ut verum dicam, dubii est. Sed quum forte plura desint, ordinem non mutamus. J. V. L.

EPISTOLA XXIV.

Rescribit ad id, quod Brutus de supplemento et pecunia petierat, et ad reliquas ejus epistolæ partes, ut de Tertia et de filio suo. (Romæ, anno U. C. 710, mense aprili.)

CICERO BRUTO S.

Quod egere[1] te duabus necessariis rebus scribis, supplemento et pecunia, difficile consilium est. Non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te posse videam, præter illas, quas senatus decrevit, ut pecunias a civitatibus mutuas sumeres. De supplemento autem non video quid fieri possit. Tantum enim abest, ut Pansa de exercitu suo, aut delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam moleste ferat, tam multos ad te ire voluntarios : quomodo equidem credo, quod his rebus, quæ in Italia decernuntur, nullas copias nimis magnas esse arbitretur; quomodo autem multi suspicantur, quod ne te quidem nimis firmum esse velit; quod ego non suspicor. Quod scribis, te ad Tertiam sororem scripsisse, ut ne prius ederent ea, quæ gesta a Cassio essent, quam mihi visum esset; video te veritum esse id, quod verendum fuit, ne animi partium Cæsaris, quomodo etiam nunc partes appellantur, vehementer commoverentur. Sed antequam tuas literas accepimus, audita res erat, et pervulgata; tui etiam tabellarii ad multos familiares tuos literas attulerant. Quare neque supprimenda res erat, præsertim quum id fieri non posset; neque, si posset,

1. *Quod egere*. In vulgatis præfixa est his verbis salutatio : *Cicero Bruto S.* quasi hoc novæ epistolæ principium sit : quam sustulit Sigonius, putans non novam esse epistolam, sed partem extremam superioris responsionis, cui adsentit Olivet. J. V. L. sequimur. De decreto autem senatus de pecuniis mutuis sumendis, vide Phil. X, cap. 11 : « Pecuniasque, a quibus videatur, ad rem militarem mutuas sumat, etc. » Ed.

non divulgandam potius, quam occultandam putaremus. De Cicerone meo, et, si tantum est in eo quantum scribis, tantum scilicet, quantum debeo, gaudeo; et, si, quod amas eum, eo majora facis, id ipsum incredibiliter gaudeo, a te eum diligi.

EPISTOLA XXV.

De tota constitutione belli quid sentiat perscribit, et Brutum ad majorem severitatem excitat. (Romæ, anno U. C. 710, mense aprili.)

CICERO BRUTO S.

Quæ literæ tuo nomine recitatæ sint id. april. in senatu, eodemque tempore Antonii, credo ad te scripsisse tuos; quorum ego nemini concedo. Sed nihil necesse erat eadem omnes: illud necesse me ad te scribere, quid sentirem de tota constitutione hujus belli, et quo judicio essem, quaque sententia.

Voluntas mea, Brute, de summa republica semper eadem fuit, quæ tua; ratio quibusdam in rebus (non enim omnibus) paullo fortasse vehementior. Scis mihi semper placuisse, non rege solum, sed regno liberari rempublicam. Tu lenius, immortali omnino cum tua laude; sed quid melius fuerit, magno dolore sensimus, magno periculo sentimus. Recenti illo tempore, tu omnia ad pacem, quæ oratione confici non poterat[1]; ego omnia ad libertatem, quæ sine pace nulla est; pacem ipsam bello atque armis effici posse arbitrabar. Studia non deerant arma poscentium; quorum repressimus impetum, ardoremque restinximus[2].

1. *Poterat.* Hoc Patricius mavult, et probat J. V. L. Olivet. dat *poterant*, nempe referens ad *omnia*. Ed.

2. *Restinximus.* Non hoc de se ipso dicit, qui pacem sine armis effici non posse duxerat, sed de iis, qui Bruti sententiam sequuti, impetum pugnare cupientium represserant. Man.

Itaque res in eum locum venerat, ut, nisi Cæsari Octaviano deus quidam illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis et turpissimi M. Antonii veniendum fuerit : quocum vides hoc tempore ipso quod sit, quantumque certamen. Id profecto nullum esset, nisi tum conservatus esset Antonius. Sed hæc omitto. Res enim a te gesta memorabilis et pæne cælestis repellit omnes reprehensiones[3]; quippe quæ ne laude quidem satis idonea affici possit. Exstitisti nuper vultu severo; exercitum, copias, legiones idoneas per te brevi tempore comparasti. Dii immortales! qui ille nuntius, quæ illæ literæ, quæ lætitia senatus, quæ alacritas civitatis erat! nihil umquam vidi tam omnium consensione laudatum. Erat exspectatio reliquiarum Antonii[4]; quem equitatu, legionibusque magna ex parte spoliaras. Ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuæ literæ, quæ recitatæ in senatu sunt, et imperatoris consilium, et militum virtutem et industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset de his literis referri, et nisi in tempus turbulentissimum, post discessum Pansæ consulis, incidissent, honos quoque justus et debitus diis immortalibus decretus esset.

Ecce tibi idib. april. advolat mane celer Pilus : qui vir! dii boni, quam gravis! quam constans! quam bonarum in republica partium! Hic epistolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonii. Dat Servilio tribuno plebis; ille Cornuto[5] : recitantur in senatu. ANTONIUS PROCOS. Magna admiratio[6], ut si esset

3. *Repellit omnes reprehensiones.* Est enim tanta, ut nihil nobis a te postea prætermissum, liceat reprehendere. MAN.

4. *Antonii.* C. Antonii. IDEM.

5. *Cornuto.* Prætori urbano. IDEM.

6. *Admiratio.* Nam si proconsul C. Antonius; cur adversus eum pugnavit Brutus? sin recte Brutus, cur proconsul Antonius vocetur? IDEM.

recitatum, DOLABELLA IMPERATOR [7]; a quo quidem venerant tabellarii : sed nemo Pili similis, qui proferre literas auderet, aut magistratibus reddere. Tuæ recitantur, breves illæ quidem, sed in Antonium admodum lenes. Vehementer admiratus senatus. Mihi autem non erat explicatum, quid agerem. Falsas dicerem? Quid si tu eas approbasses? Confirmarem? Non erat dignitatis tuæ. Itaque ille dies silentio.

Postridie autem quum sermo increbruisset, Pilusque oculos vehementius hominum offendisset [8], natum omnino est principium a me. De procos. Antonio multa; Sextius causæ [9] non defuit [10]. Post mecum: quanto suum filium, quanto meum in periculo futurum duceret [11], si contra procos. arma tulissent. Nosti hominem : causæ non defuit. Dixerunt etiam alii. Labeo vero noster, nec signum tuum in epistola, nec diem appositum, nec te scripsisse ad tuos, ut soleres : hoc cogere volebat, falsas literas esse; et, si quæris, probabat.

Nunc tuum est consilium, Brute, de toto genere belli. Video te lenitate delectari, et eum putare fructum esse maximum : præclare quidem; sed aliis rebus, aliis temporibus, locus esse solet debetque clementiæ. Nunc quid agitur, Brute? templis deorum immortalium imminet hominum egentium et perditorum spes; nec quidquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus, necne. Cui parcimus, aut quid agimus? His ergo consulimus, quibus victoribus, vestigium nostrum nullum relinquetur? Nam quid interest

7. *Dolabella imperator*. Nec enim, qui remp. oppugnant, ullo honore digni sunt. MAN.

8. *Offendisset*. Quia literas C. Antonii cum illa inscriptione attulisset.

9. *Causæ*. Causam appellat id, quod agitur, ut alibi quoque. MAN.

10. Al. « non defuit post me, quum, quanto suum filium, etc. » J. V. L.

11. Alii, *diceret*.

inter Dolabellam, et quemvis Antoniorum trium? quorum si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Hæc ut ita sentiret senatus populusque romanus, etsi res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio atque auctoritate perfectum est. Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam. Neque dissolutum a te quidquam homines exspectant, neque crudele. Hujus rei moderatio facilis est, ut in duces vehemens sis, in milites liberalis. Ciceronem meum, mi Brute, velim quam plurimum tecum habeas. Virtutis disciplinam meliorem reperiet nullam, quam contemplationem atque imitationem tui. XIII kalend. maii.

EPISTOLARUM
FRAGMENTA[1].

AD M. TITINIUM[2].

SUET. *Cl. Rhet.* Equidem memoria teneo, pueris nobis primum latine docere cœpisse L. Plotium[3] quemdam, ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimant, græcis exercitationibus ali melius ingenia posse.

1. *Fragmenta.* Quam multa nobis epistolarum volumina reliquerit M. Cicero, præter ea, quæ habemus, facile vel ex his epistolarum fragmentis intelligi potest, quas ad Titinium, ad Nepotem, ad Cæsarem, ad Hirtium, ad Pansam, ad Cæsarem juniorem, ad Calvum, ad filium, ad Axium, ad Brutum scriptas videmus. Nam quæ ad Pompeium, aut ad Cassium a Nonio scriptæ citantur, prorsus ab hoc numero removendæ sunt: nam illæ inter eas, quæ ad Atticum, hæ inter eas, quæ ad familiares missæ sunt, reperiuntur. Sgon.

2. *Titinium.* Hunc, virum fuisse eruditum, sunt opera illius quæ testentur, quorum sæpe meminit Non. Marcellus. Patr.

3. *Plotium.* Rhetor Sullanis temporibus floruit, ut in Chronico notavit Eusebius. Ejusdem autem rei et hominis meminit etiam Quintilianus lib. II. Sgon.

AD CORNELIUM NEPOTEM[1].

MACR. *lib. II, cap.* 1, *Saturn.* Itaque nostri quum omnia, quæ dixissemus, dicta essent: quæ facete, et breviter, et acute loquuti essemus, ea proprio nomine appellari *dicteria* voluerunt.

1. *Ad Cornelium Nepotem.* Sunt qui epistolarum ad Cornelium libros XVI numerant. Cujus rei, quoniam nos quidem in hoc genere nihil affirmare possumus, penes illos fides esto. Certe Gellius lib. XV, cap. 28, hunc « Cornelium M. Ciceronis amicum familiaremque, ut qui maxime » fuisse testatur, eumdemque de ipsius vita libros aliquot conscripsisse memorat.

AD EUMDEM.

PRISC. *lib. VIII.* Hoc restiterat etiam, ut a te fictis aggrederer[1] donis.

PRISC. *ibid.* Qui habet, ultro appetitur : qui est pauper, aspernatur.

SUET. *in Jul. Cæs.* Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?

MARCEL. Neque enim quidquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas : vel, ut alio modo definiam, felicitas est fortuna, adjutrix consiliorum bonorum : quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impiisque consiliis, quibus Cæsar[2] usus erat, nulla potuit esse felicitas : feliciorque meo judicio Camillus exsulans, quam temporibus iisdem Manlius, etiamsi, id quod cupierat, regnare potuisset.

1. *Aggrederer.* Priscianus, lib. VIII, ait, hoc in loco *aggredi* in patiendi significatione esse usurpatum. SIGON.

2. *Cæsar.* De hac Cæsaris ejusmodi felicitate, ita idem iste Cicero in Philipp. II est loquutus : « Cæsar, inquit, Alexandria se recepit felix, ut sibi quidem videbatur; mea autem sententia, nisi qui reip. sit felix, felix esse nemo potest ». Ex quo sunt illa quoque ad Attic. lib. VII, ita scripta : « O hominem amentem et miserum ! qui ne umbram quidem umquam τοῦ καλοῦ viderit. Atque hæc ait facere se dignitatis causa. Ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas? num honestum igitur, habere exercitum nullo publico consilio? occupare urbes civium, quo facilior sit aditus ad patriam? » PATR.

AD C. CÆSAREM, EX LIB. I.

NON. *Dicare.* Balbum quanti faciam[1], quamque ei me totum dicaverim, ex ipso scies.

1. *Balbum quanti faciam.* Exempla omnia ex tribus libris epistolarum ad C. Cæsarem ex Nonii commentariis sumpta sunt. Quamquam autem difficile est, ex tam paucis verbis sententiam ullam certam haurire, tamen has

NON. *Consequi. Honor.* Tum quum ea, quæ es ab senatu summo cum honore consequutus.

NON. *Improbum.* Debes odisse improbitatem ejus, quia impudentissimum nomen delegerit.

NON. *Tueri.* Ut sciret, majore cura tuenda esse, quæ parta sunt.

epistolas, post partam fere Pharsalico prælio victoriam, scriptas esse ad Cæsarem dictatorem crediderim, Cæsare ipso adhuc extra Italiam bellis civilibus implicato. Quam autem Cæsari carus Balbus fuerit, aliæ epistolæ passim epistolis ad Atticum admixtæ indicant. SIGON.

AD EUMDEM, EX LIB. II.

NON. *Locare.* Vel quod locatio ista pretiosa.

NON. *Putare.* Quod sapientes homines, ac boni putant.

CARIS. *lib. I.* Neque pro cauto ac diligente se castris continuit.

NON. *Monumentum.* Sed ego, quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor. Ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad præsentis temporis gratiam.

AD EUMDEM, EX LIB. III.

NON. *Dimittere.* Quæ si videres, non de[1] exercitu retinendo tueri, sed eo tradito, aut dimisso.

NON. *Contemno.* Amici nonnulli a te contemni ac despici, ac pro nihilo haberi senatum velint.

1. *De.* Lambinus conjicit, *te.*

AD EUMDEM, EX LIB. INCERTO.

NON. *Levare.* Jam amplitudinem gloriamque tuam magno mihi ornamento fore existimo, quod me levas cura.

NON. *Consequi.* Extrema vero nec quanta, nec qualia sint, verbis consequi possum.

AD CÆSAREM JUNIOREM[1], EX LIB. I.

Omnia ex NONIO. *Sagum.* Pridie non. febr. quum ad te literas mane dedissem, descendi ad forum togatus, quum reliqui consulares sagati vellent descendere.

Aditus. Et aut ad consules[2], aut ad te, aut ad Brutum adissent, his fraudi ne esset, quod cum Antonio fuissent.

Relatum. Sed hæc viderimus, quum legati[3] responsa retulerint.

Vindicare. Quasi si me ad id beneficium arcesseres, quo per te me una cum republica in libertatem vindicassem.

Accipere. Rogare. Roga ipsum, quemadmodum ego eum Arimini acceperim.

Cunctari. Sed cito pœnituit, domum rediit, ceteri cunctabantur.

1. *Ad Cæsarem Juniorem.* Id est, ad C. Cæsarem Octaviannio. Quum ille Apollonia, Cæsare patre per conjuratos interfecto, reversus, insigni accepta a M. Antonio cons. injuria; Cicerone in primis auctore; arma adversus eumdem Antonium pro rep. suscepisset, atque eumdem, Mutinam coloniam et D. Brutum cos. des. obsidentem, una cum Hirtio et Pansa consulibus cum imperio extraordinario premeret. De sagis autem bello Mutinensi a populo romano sumendis sæpe censuisse Ciceronem, e VI, et aliis in Antonium orationibus intelligi potest. Narrat autem nunc Cæsari, quid iis de rebus Romæ actum sit. Sig.

2. *Et aut ad consules.* Hanc sententiam dixit Cicero Philippica VIII his verbis : « Quas ob res ita censeo, eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, et aut... ad D. Brutum imperatorem cos. des. aut ad C. Cæsarem propræt. ante idus martias primas adierint, eis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerint ». Idem.

3. *Legati.* Legatos de pace missos ad M. Antonium, dum Mutinam oppugnaret, satis constat, L. Philippum, L. Pisonem, Ser. Sulpicium, quos hic intelligit. Idem.

Opinio. Erat opinio bona de Planco, bona de Lepido.

Comparare. Neminem tibi profecto hominem ex omnibus aut anteposuissem umquam, aut etiam comparassem.

Expedire. Ex ceteris autem generibus tunc pecunia expedietur, quum legionibus victricibus erunt, quæ spopondimus, persolvenda.

Confectum. In singulas tegulas impositis sexcentis, sexcenties confici posse.

Ducere. Ne res duceretur, fecimus, ut Hercules Antianus in alium locum transferretur.

Involvere. Sed quod videret[4] nomine pacis bellum involutum fore.

Ignoscere, ac *Concedere*. Quod mihi et Philippo vacationem das, bis gaudeo. Nam et præteritis ignoscis, et concedis futura.

Ferox. Itaque vereor, ne ferociorem eum faciant tua tam præclara de eo judicia.

4. *Videret*. Nonnulli, *viderem*.

AD EUMDEM, EX LIBRO II.

Omnia ex NONIO. *Insulsum*. Sed ita loquutus insulse est, ut mirum senatus convicium exceperit.

Ignavum et *segne*. In quo tua me provocavit oratio, me consequuta est segnis.

Confectum. Bellum, ut opinio mea fert, ex consensu civitatis confectum jam haberemus.

Constat. Quum constet, Cæsarem Lupercis[1] id vectigal dedisse, qui ante poterat id constare?

1. *Quum constet, Cæsarem Lupercis*. Hoc est id, de quo scriptum est in Philippica septima in Antonium : « De Lupercis tribunus plebis refert » ; et in epistola ad Cæsarem, et Hirtium Antonius hoc decretum memorans scripsit : « Vectigalia Juliana Lupercis ademistis ». SIGON.

Dejicere. Adest Albæ nescio quis Claudius, quem quum restitui jussisset, Ancone cum eo dejectus est ex senatusconsulto.

Insolens. Insolens, arrogans, jactans.

Secundum. Scriptum erat equestre[2] prælium valde secundum, quin potius adversum.

Meret. Quem perisse[3] ita de republica merentem consulem, vehementer doleo.

Præstare. Tu si meam fidem præstiteris, quod confido te esse facturum.

Spurcus. Quum iter facerem Claternam tempestate spurcissima.

Locuples. Nihil omnino certi, nec locupletem ad hoc auctorem habebamus.

Paludatus. Antonius demens ante lucem paludatus.

2. *Equestre prælium*. De prælio ad Mutinam cum M. Antonio a Cæsare et a consulibus factu puto intelligi: de quo Galba ad Ciceronem, item alii. SIGON.

3. *Quem perisse*. Hoc aut de *Hirtio*, aut de *Pansa* consulibus, præliu ad Mutinam contra Antonium factu, interfectis, dictum existimat rectissime Sigonius. ED.

AD EUMDEM, EX LIB. III.

NON. *Invehi*. Itaque in eum palam vehementer est invectus.

NON. *Antiquus*. Ego autem antiquissimum[1] Scythis oriundum, quibus antiquior lætitia est, quam lucrum.

1. *Ego autem antiquissimum*. Hadr. Junius, ex cujus manuscripto Nonio hæc desumpta sunt, putat, Animadv. VI, cap. 11, ea de Anacharsi Scytha philosophu dici, qui præ tranquillitate animi omnia videtur posthabuisse. Nam in vulgo quidem excusis Noniis hæc desunt. PATR.

AD EUMDEM, EX LIBRO INCERTO.

NON. *Opinio.* Posthac quod voles a me fieri, scribito. Vincam opinionem tuam.

NON. *Promittere.* Promissa tua memoria teneas.

AD C. PANSAM, EX LIB. I.

NON. *Humaniter*, et PRISC. *lib. XV.* De Antiocho fecisti[1] humaniter. Quem quidem ego semper dilexi, meque ab eo diligi sensi.

NON. *Inaudire.* Quorum erupit illa vox, de qua ex te primum quiddam inaudieram.

1. *De Antiocho fecisti.* Epistolarum ad C. Pansam libros tres in ipso belli Antoniani apparatu et ardore scriptos esse existimo. Quod idem de iis, quos scripsit ad A. Hirtium, judico. Quum enim id bellum ab iis consulibus, auctoritate et consilio Ciceronis, gestum sit, videtur verisimile, Ciceronem literis et cohortatione virtutem eorum acuisse, consilio imprudentiam adjuvisse. Sunt autem omnia ex Nonio. SIGON.

AD EUMDEM, EX LIB. III.

NON. *Concalfacere.* Nos Ventidianis[1] rumoribus concalfecimus.

1. *Ventidianis rumoribus. Ventidium Bassum*, adversæ factionis ducem, bellum in Syria molientem, intelligit Sigon. — De Ventidio Basso Gellius, XV, 4. Passim in epp. ad Atticum nominatur.

AD A. HIRTIUM, EX LIB. II.

NON. *Error.* Qua in re si mediocriter lapsus sum, defendas velim tolerabile erratum.

AD EUMDEM, EX LIB. V.

NON. *Impertio.* Et quoniam, ut hoc tempus est, nihil habeo, patriæ quod impertiam.

AD EUMDEM, EX LIB. IX.

NON. *Interfici*. Dices, Quid, quæso, istuc interérat? Nescio: nisi tamen erat mihi verendum sæpius, ne qui casus perimeret superiora.

AD EUMDEM, EX LIB. INCERTO.

NON. *Vetustiscere a veterascere*. Quum enim nobilitas[1] sit nihil aliud, quam cognita virtus, quis in eo, quem veterascentem videt ad gloriam, generis antiquitatem desideret?

NON. *Lutum*. Luta et limum aggerebat.

1. *Quum enim nobilitas*. Hoc ad incitandum Hirtium, novum hominem, et nulla majorum commendatione notum, unde nobilitas Romæ parabatur, dictum esse existimat Sigonius. Ed.

AD M. BRUTUM, EX LIB. VII.

NON. *Experiri*. His contraria, atque parata, ut esse solent, expertus sum.

AD EUMDEM, EX LIB. VIII.

NON. *Doct. indag*. Et quod te tantum amant, ut vel me audeat provocare.

NON. *Amare, et diligere, et contentus*. Sic igitur facies, et me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges.

QUINT. *lib. V, cap.* 10. Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali aliquid; etsi argumentum simile non erat.

QUINT. *lib. VIII, cap.* 3. Nam eloquentiam[1], quæ admirationem non habet, nullam judico.

1. *Nam eloquentiam*. Quintilianus, ubi loquitur de ornatu, hunc locum adducit, his verbis: «Recteque Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit »: nam eloquentiam, quæ admirationem, etc. Sig.

QUINT. *ibid.* Et eum amorem, et eum, ut hoc verbo utar, favorem[2] in consilium advocabo.

QUINT. *lib. IX*, *cap.* 3. Ego quum in gratiam redierim cum Ap. Claudio[3], et redierim per Cn. Pompeium : ego ergo quum redierim.

QUINT. *ibid.* Sermo nullus, scilicet nisi[4] de te. Quid enim potius? Tum Flavius, Erras, inquit, tabellarie, et ego ibidem orans inter cœnam exoravi.

QUINT. *ibid.* Præstat enim[5] nemini imperare, quam alicui servire. Sine illo enim vivere honeste licet; cum hoc vivendi nulla conditio est.

QUINT. *lib. III*, *cap.* 10. Simne bonus vir, si hoc suadeam? Minime : suasoris enim est finis, utilitas ejus, cui quisque suadet. At recta sunt. Quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus.

QUINT. *lib. VIII*, *cap.* 3. Populo imposuimus, et oratores visi sumus.

QUINT. *lib. VI*, *cap.* 4. Res mihi invisæ visæ sunt, Brute.

2. *Favorem.* Hoc exemplo docet ibid. Quintilianus, *favoris* vocabulum primum a Cicerone esse usurpatum. Sigon.

3. *Cum Ap. Claudio. Ap. Claudium Pulchrum*, virum consularem ac censorium, intelligit, qui sibi Clodii fratris causa fuerat infensus. Cn. autem Pompeius socer erat filiæ Appii, ut scriptum est in epistolis ad Atticum. Idem.

4. *Scilicet nisi de te.* Videndum an hoc expungi debeat. Est enim, ut puto, Quintiliani, synecdochen in his verbis explicantis. Locus Quintiliani sic habet, « Quæ per detractionem fiunt figuræ, brevitatis novitatisque maxime gratia petuntur : quarum una est ea, quam libro proximo in figuris distuli, synecdoche, quum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intelligitur, ut Cœlius in Antonium : *Stupere gaudio græcus*, subauditur cœpit. Cicero ad Brutum : *Sermo nullus ; scilicet nisi de te, quid enim ?* etc. » Patr.

5. *Præstat enim.* Videntur Bruti esse, non Ciceronis. Nam Quintilianus aperte sic : « In prosapodosi aliquando singulis statim membris ratio subjicitur, ut apud Antonium : *Sed neque*, etc. Aut positis duobus, vel tribus, eodem ordine singulis continua redditur. Quale apud Brutum de dictatura Cn. Pompeii : *Præstat enim*, etc. » Idem.

AD M. FILIUM[1], EX LIB. I.

PRISC. *lib. VIII*, et *lib. X.* Quare effice, et elabora, ut excellas.

1. *Ad M. filium.* Libros epistolarum ad M. filium tum maxime scriptos esse arbitror, quum Athenis Cratippo philosopho operam dedit, et post quum Bruti contubernalis in Macedonia fuit. Hujus enim et Brutus et Cicero in epistolis, ultro citroque missis, meminerunt. Plenæ autem certe fuerunt cohortationis ad virtutem, et ad Bruti ipsius imitationem. In his etiam epistolis patrem latinam emendasse filii orationem constat. Siquidem ita scribit Quintilianus, lib. I, cap. 3: « M. Tullius, ut ex epistolis apparet, in filio recte loquendi usquequaque asper quoque exactor fuit ». Et Servius in VIII Æneid. « Cicero, inquit, per epistolam culpat filium, dicens, male eum dixisse, *direxi literam tuam*, quum literæ, quoties epistolam significent, numeri tantum pluralis sint. Sigon.

AD EUMDEM, EX LIB. II.

NON. *Commodare.* Cui ego, quibuscumque rebus potero, libentissime commodabo.

AD EUMDEM, EX LIB. INCERTO.

DIOM. *lib. I.* Ceris delitis[1].

LACT. *lib. IV*, *cap.* 14. Philosophiæ quidem præcepta noscenda, vivendum autem civiliter.

1. *Ceris delitis.* Ad eas ceras respicit, in quibus scribere solebant. *Delitis* autem antique pro, *deletis*, ut infra in epistola ad Calvum, et Verr. IV, « Ex qua tantum tectorium vetus delitum sit ». Patr.

AD LICINIUM CALVUM[1].

PRISC. *lib. IX.* Tuli moleste, quod literæ delitæ sunt mihi a te redditæ.

NON. *Auguro.* Præsentit animus, atque augurat quodammodo, quæ futura sit suavitas.

1. *Ad Licinium Calvum.* De quo in Bruto, cap. 81, et Quintil. X, 2; XII, 1.

AD Q. AXIUM.

FRONTO. Ad M. Bibulum adierunt.

FRONTO. Si tu nos aliquid adjutare potes.

SUET. *in Jul. Cæs.* Cæsar in consulatu confirmavit regnum, de quo ædilis cogitarat.

AD CATONEM.

NON. *Plus*, *et multum*. Nec idcirco mihi desiderandam esse dignitatem meam, quod eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam, quod plus desiderarint.

AD CÆRELLIAM.

QUINT. *lib. VI*, *cap.* 3. Hæc aut animo[1] Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho.

1. *Aut animo Catonis.* Aut abrumpendam esse vitam; quo pacto Cato Uticensis, ne in Cæsaris manus veniret, mortem sibi conscivit : aut concoquenda hæc esse Ciceronis exemplo : metaphora ducta a stomacho, qui cibos etiam acerbos et ingratos concoquit. Menagius, Hist. Mulier. Philos. ubi de Cærellia. De hac quoque loquimur ad fragm. Sulpiciæ, Poet. Lat. Min. Ed.

AD L. PLANCUM.

GELL. *lib. I*, *cap.* 21. Nam neque deesse reipublicæ volo, neque superesse.

EX EPISTOLA INCERTA.

QUINT. *lib. IX*, *cap.* 3. Data Lupercalibus, quo die Antonius[1] Cæsari.

QUINT. *lib. VI*, *cap.* 3. Næ illi sunt pedes[2] faceti, ac deliciis[3] ingredienti molles.

1. *Antonius Cæsari.* Nihil aliud hic intelligi poterat, quam hoc, *diadema imposuit.* Patr.

2. *Næ illi sunt pedes.* Quintil. ibid. « Facetum, inquit, non tantum circa ridicula opinor consistere : decoris hanc magis, et excultæ cujusdam elegantiæ appellationem puto. Ideoque in epistolis Cicero hæc Bruti refert verba : *Næ illi sunt pedes faceti*, etc. »

3. *Deliciis.* Ascensius volebat *delicatius* : non male ; ut « gressu delicato et languido », Phædr. V, 1. Ita, *molliter ire*, Propert. II, 12.

M. T. CICERONIS
EPISTOLARUM OMNIUM QUÆ EXSTANT
INDEX CHRONOLOGICUS.

Ad Div. designat eas quæ ad Diversos, seu ad Familiares vulgo inscribuntur.
Att. ad Atticum.
Quint. ad Q. Ciceronem.
Brut. Ciceronis ad Brutum et Bruti ad Ciceronem.

ANNO URBIS 685.

Nullæ epistolæ ante hunc annum exstant.
Att. I, 5, 7.

686.

Cicero prætor designatus.
Att. I, 8-11, 3.

687.

Cicerone prætore.
Att. I, 4.

688.

Cicero consulatum petit, quem anno sequente tantum obtinet.
Att. I, 1, 2.

689.

Cicerone consule designato.
Att. I, 6.

690.

Cicerone consule. Nulla hoc anno scripta ep. exstat.

691.

Victo et occiso Catilina.
Ad Div. V, 7, 1, 2, 6.

692.

Pompeius post bellum Mithridaticum triumphum obtinet.
Att. I, 12.
Ad Div. V, 5.
Att. I, 13-17.

693.

Triumviris Pompeio, Cæsare et Crasso.
Att. I, 18-20.
II, 1-3.
Quint. I, 1.
Ad Div. XIII, 41, 42.

694.

Clodio tribuno.
Att. II, 4-9, 12, 10, 11, 13-25.
Quint. I, 2.

695.

Cicerone exsulante.

Att. III, 3, 2, 4, 1, 5, 6.
Ad Div. XIV, 4.
Att. III, 7-9.
Quint. I, 3.
Att. III, 10-12, 14, 13.
Quint. I, 4.
Att. III, 15-20.
Ad Div. XIV, 2.
Att. III, 21, 22.
Ad Div. XIV, 1.
Att. III, 23.
Ad Div. XIV, 3.
Att. III, 24-27.

696.

Cicerone revocato.

Ad Div. V, 4.
Att. IV, 1-3.
Quint. II, 1.
Ad Div. VII, 26.

697.

Cæsare in Galliis rem bene gerente.

Ad Div. I, 1-5.
Quint. II, 2.
Att. IV, 4.
Quint. II, 3.
Ad Div. I, 6.
Quint. II, 4-6.
Att. IV, 5.
Quint. II, 7.
Ad Div. V, 12.
Att. IV, 6-8.
Ad Div. V, 3.
I, 7.
XIII, 6.

698.

Prima in Britanniam et Germaniam expeditio.

Att. IV, 10, 9.
Quint. II, 9, 10.
Att. IV, 11, 12.
Ad Div. I, 8.
VII, 1.
XIII, 74, 40.
Att. IV, 13.

699.

Expeditio Crassi.

Quint. II, 11-13.
Ad Div. XVI, 13-15.
V, 8.
VII, 5-7.
Att. IV, 14, 15.
Quint. II, 14-16.
Ad Div. VII, 8-10.
Quint. III, 1.
Ad Div. VII, 16, 17.
I, 9.
Att. IV, 16-18.
Quint. III, 2-9.
Ad Div. XIII, 60, 73.
I, 10.
XVI, 10, 16.

700.

Cicerone augure cooptato.

Ad Div. II, 1.
VII, 11-13.
II, 2, 3.
VII, 15, 18.
II, 4, 5.
V, 17.
VII, 14.
II, 6.

701.

Occiditur Clodius.

Ad Div. V, 18.
III, 1.
XIII, 75.
VII, 2.

702.

Cicero proconsul in Cilicia.

Ad Div. III, 2-4.
Att. V, 1-10.
Ad Div. VIII, 1.
XIII, 1.
Att. V, 11-14.
Ad Div. II, 8.
Att. V, 15-18.
Ad Div. III, 5.
VIII, 2-5, 9.
XV, 3.
III, 4.
XV, 7-9, 12, 2.
Att. V, 19.
Ad Div. XV, 1.
III, 8.
VIII, 8.
II, 9.
VIII, 10.
II, 10, 7.
Att. V, 20.
Ad Div. VII, 32.
XIII, 53, 56, 61, 62, 64, 65.

703.

Anno proconsulatus Ciceroniani secundo.

Ad Div. XV, 4, 10, 13, 14.
VIII, 6, 7.
III, 7.
II, 14.
IX, 25.
XIII, 59, 58.
III, 9.
Att. V, 21.
Ad Div. XIII, 63.
Att. VI, 1.
Ad Div. XIII, 54, 57.
II, 11.
Att. VI, 2.
Ad Div. II, 13, 18.
XIII, 2, 3.
III, 10.
II, 19, 12.
Att. VI, 3.
Ad Div. III, 11.
XV, 5.
VIII, 11.
Att. VI, 4, 5, 7.
Ad Div. II, 17.
VIII, 13.
II, 15.
XV, 11.
III, 12.
Att. VI, 6.
Ad Div. III, 13.
XV, 6.
VIII, 12, 14.
Att. VI, 8, 9.
XIV, 5.
VII, 1-9.
Ad Div. XVI, 1-7, 9.

704.

Bellum civile inter Cæsarem et Pompeium.

Ad Div. XV, 11.
V, 20.
Att. VII, 10-12.
Ad Div. XIV, 14.
Att. VII, 13-15.
Ad Div. XVI, 12.
Att. VII, 16.
Ad Div. XIV, 18.
XVI, 8.
Att. VII, 17-26.
VIII, 1-11.

Ad Div. VIII, 15.
Att. VIII, 12-16.
IX, 1-19.
X, 1-3.
Ad Div. IV, 1.
Att. X, 4.
Ad Div. VIII, 16.
Att. X, 5-7.
Ad Div. IV, 2.
II, 16.
V, 19.
Att. X, 8-18.
Ad Div. XIV, 7.

705.

Pugna apud Pharsaliam.

Att. XI, 1, 2.
Ad Div. VIII, 17.
IX, 9.
XIV, 8.
Att. XI, 3, 4.
Ad Div. XIV, 6, 12.
Att. XI, 5.
Ad Div. XIV, 19.
Att. XI, 6.
Ad Div. XIV, 9.
Att. XI, 7.
Ad Div. XIV, 17.
Att. XI, 8.
Ad Div. XIV, 16.

706.

Cicero Brundisii moratur.

Att. XI, 9-17.
Ad Div. XIV, 11.
Att. XI, 18.
Ad Div. XIV, 15.
Att. XI, 25, 23.
Ad Div. XIV, 10, 13.
Att. XI, 19, 24.
Ad Div. XIV, 23.
XV, 15.
Att. XI, 20-22.
Ad Div. XIV, 22, 20.
XV, 21.

707.

Cæsare tertium consule.

Ad Div. IX, 1.
VI, 22.
IV, 15.
XIII, 29, 78, 79, 10.
V, 21.
IX, 3, 2.
Att. XII, 1, 2.
Ad Div. IX, 4.
Att. XIII, 3, 4.
Ad Div. IX, 6, 7, 5.
Att. XII, 5.
Ad Div. IX, 16, 18.
VII, 3.
Att. XII, 6.
Ad Div. IX, 19, 17, 20, 13.
VII, 4.
Att. XII, 9, 10.
Ad Div. IV, 3.
XIII, 68.
IV, 13, 7, 8.
VI, 13.
VII, 27.
IV, 9, 4.
VI, 6.
VII, 33, 28.
IX, 15, 26.
VI, 14, 8, 9, 7, 5.
IV, 11.
XIII, 11-14, 17-28, 30, 31, 33-39, 66, 67, 69-72.
Ad Div. VI, 12.
IV, 14.
Att. XII, 11.
Ad Div. XVI, 22, 17, 20, 18, 19.

708.

Cæsare tertium dictatore.

Ad Div. VI, 1.
XV, 18.
IX, 10.
XV, 17.
VI, 18.
XV, 16, 19.
VI, 3.
IV, 10.
VI, 4, 10.
Att. XII, 12-16, 18, 17, 19, 20.
Ad Div. IX, 11.
Att. XII, 21, 7, 22-32, 8, 33.
Ad Div. IX, 13.
XIII, 15, 16.
Att. XII, 34.
Ad Div. IV, 5.
V, 13.
VI, 2.
Att. XII, 35-39.
Ad Div. IV, 6, 12.
Att. XII, 40.
Ad Div. V, 14, 15.
Att. XII, 41-53.
XIII, 26, 1-3, 27-33, 6, 4, 5.
Ad Div. VI, 21.
Att. XIII, 7.
Ad Div. V, 9.
Att. XIII, 8-13, 16, 14, 15, 17-24.
Ad Div. IX, 8.
Att. XIII, 25.
Ad Div. XIII, 77.
Att. XIII, 35-41, 43-46, 34.
Ad Div. VI, 19, 20.
Att. XIII, 47-49.
Ad Div. VII, 24.
Att. XIII, 50, 51.
Ad Div. VII, 25.
VI, 11.
XII, 17.
XIII, 4, 5, 8, 7.
XII, 18.
V, 11, 10.
VII, 29.
IX, 12.
Att. XIII, 52, 42.

709.

Hoc anno Cæsar interficitur.

Ad Div. VII, 30.
XIII, 50.
XII, 19.
VII, 31.
VI, 15, 16.
Att. XIV, 1-6.
Ad Div. XI, 1.
Att. XIV, 7-14.
Ad Div. VI, 17.
XVI, 23.
Att. XIV, 15-17.
Ad Div. IX, 14.
Att. XIV, 19, 18.
Ad Div. XVI, 24.
Att. XIV, 20-22.
XV, 1-4.
Ad Div. XII, 1.
XV, 20.
XI, 2.
XII, 16.
XI, 27, 28.
Att. XV, 5, 8, 6, 7, 9-12, 16, 15, 17-21, 23, 24, 22, 14.
XVI, 16.
XV, 25, 26, 28, 27, 29.
Ad Div. XI, 29.
Att. XVI, 1, 5, 4, 2, 3.
Ad Div. VII, 20, 19.
XI, 3.
Att. XVI, 6, 7.
Ad Div. X, 1.
XI, 4.

XII, 2, 3, 13.
X, 2.
Att. XV, 13.
XVI, 8, 9, 11, 12, 10, 13-15.
Brut. 1.
Ad Div. XI, 5, 7.
XII, 22.
XVI, 26, 27, 21, 25.
XII, 21, 26.
XV, 27.
XI, 16, 12.
X, 4.

710.

Hoc anno trucidatur Cicero.

Ad Div. XII, 24.
XI, 8.
X, 3.
XII, 4.
X, 28.
XII, 5.
IX, 24.
X, 5.
XII, 11.
X, 31, 6, 27, 8, 7.
XII, 7.
X, 10, 12.
XII, 28, 29, 6.
Brut. 22, 24, 20, 23, 21.
Ad Div. X, 30, 9.
XI, 9.
XII, 25.
Brut. 25, 11, 19, 3.
Ad Div. XI, 10.
Brut. 5.
X, 14.
XI, 11.
XII, 12.
X, 11, 15.
Brut. 4.
Ad Div. X, 17.
XI, 22.
X, 16.
Brut. 7, 6.
Ad Div. XII, 30.
XI, 18, 19.
X, 34, 25, 18, 22.
X, 15, 13, 19.
XI, 12.
X, 33, 21, 26.
XI, 14, 20, 23.
X, 20, 35.
XI, 13.
XII, 15, 14.
XI, 26, 21, 24.
X, 23, 32.
XII, 8, 9, 13.
XI, 25.
Brut. 2, 17.
Ad Div. XII, 10.
Brut. 9, 12, 13, 10, 14-16, 18.
Ad Div. X, 24.
Brut. 8, 9.

Epistolæ anno incerto scriptæ.

Ad Div. V, 16.
XII, 20.
VII, 21-23.
X, 29.
XIV, 21.
XIII, 9, 32, 43-49, 51, 52, 76.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC TERTIO VOLUMINE QUARTÆ PARTIS CICERONIS CONTINENTUR.

ARGUMENTUM libri octavi 1

M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum liber octavus 2

Epistola I. Cicero Attico S. .... *Ib.*

II. Cicero Attico S. 4

III. Cicero Attico S. 8

IV. Cicero Attico S. 13

V. Cicero Attico S. 15

VI. Cicero Attico S. 16

VII. Cicero Attico S. 17

VIII. Cicero Attico S. 19

IX. Cicero Attico S. 20

X. Cicero Attico S. 23

XI. Cicero Attico S. 24

XI, a. Cn. Magnus procos. M. Ciceroni imp. S. D. 27

XI, b. M. Cicero imp. Cn. Magno procos. S. D. *Ib.*

XI, c. Cn. Magnus procos. M. Ciceroni imp. S. D. 29

XI, d. M. Cicero imp. Cn. Magno procos. S. D. *Ib.*

XII. Cicero Attico S. 33

XII, a. Cn. Magnus procos. C. Marcello, L. Lentulo coss. S. D. 36

XII, b. Cn. Magnus procos. L. Domitio proc. S. D. 37
XII, c. Cn. Magnus procos. L. Domitio procos. S. D. 39
XII, d. Cn. Magnus procos. L. Domitio procos. S. D. 41
XIII. Cicero Attico S. 42
XIV. Cicero Attico S. 43
XV. Cicero Attico S. 45
Balbus Ciceroni imp. S. 47
XVI. Cicero Attico S. 49

Argumentum libri noni 51
M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum liber nonus. 52
Epistola I. Cicero Attico S. .... *Ib.*
II. Cicero Attico S. 55
III. Cicero Attico S. 58
IV. Cicero Attico S. 59
V. Cicero Attico S. 61
VI. Cicero Attico S. 64
Cæsar imp. Ciceroni imp. S. D. 67
VII. Cicero Attico S. 68
Balbus et Oppius M. Ciceroni S. D. 72
Balbus Ciceroni imperatori S. 73
Cæsar Oppio, Cornelio S. 74
VIII. Cicero Attico S. 75
IX. Cicero Attico S. 77
X. Cicero Attico S. 83
XI. Cicero Attico S. 90
Cicero imp. Cæsari imp. S. D. 92
XII. Cicero Attico S. 94
XIII. Cicero Attico S. 96

Balbus Ciceroni imp. S. 101
Cæsar Oppio, Cornelio S. . . . . *Ib.*
XIV. Cicero Attico S. 102
XV. Cicero Attico S. 104
Matius et Trebatius Ciceroni imp. S. . . . 108
XVI. Cicero Attico S. 109
Cæsar imp. Ciceroni imp. S. D. . . . . . . *Ib.*
XVII. Cicero Attico S. 110
XVIII. Cicero Attico S. 111
XIX. Cicero Attico S. 114

Argumentum libri decimi 117
M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum liber decimus 118
Epistola I. Cicero Attico S. . . . . *Ib.*
II. Cicero Attico S. 122
III. Cicero Attico S. 123
IV. Cicero Attico S. 125
V. Cicero Attico S. 133
VI. Cicero Attico S. 134
VII. Cicero Attico S. 135
VIII. Cicero Attico S. 137
Antonius trib. pl. propræt. Ciceroni imp. S. 144
Cæsar imp. Ciceroni imp. S. 145
IX. Cicero Attico S. 146
Cœlius Ciceroni S. 147
X. Cicero Attico S. 149
XI. Cicero Attico S. 152
XII. Cicero Attico S. 154
XIII. Cicero Attico S. 158
XIV. Cicero Attico S. 161

XV. Cicero Attico S. 162
XVI. Cicero Attico S. 165
XVII. Cicero Attico S. 167
XVIII. Cicero Attico S. 169

Argumentum libri undecimi. 171
M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum liber undecimus 173
Epistola I. Cicero Attico S. .... *Ib.*
II. Cicero Attico S. 174
III. Cicero Attico S. 177
IV. Cicero Attico S. 178
V. Cicero Attico S. 180
VI. Cicero Attico S. 182
VII. Cicero Attico S. 185
VIII. Cicero Attico S. 190
IX. Cicero Attico S. 191
X. Cicero Attico S. 194
XI. Cicero Attico S. 196
XII. Cicero Attico S. 197
XIII. Cicero Attico S. 199
XIV. Cicero Attico S. 201
XV. Cicero Attico S. 203
XVI. Cicero Attico S. 206
XVII. Cicero Attico S. 209
XVIII. Cicero Attico S. 211
XIX. Cicero Attico S. 212
XX. Cicero Attico S. 213
XXI. Cicero Attico S. 214
XXII. Cicero Attico S. 216
XXIII. Cicero Attico S. 218
XXIV. Cicero Attico S. 220

XXV. Cicero Attico S. 223

Argumentum libri duodecimi................. 225
M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum liber duodecimus 226
Epistola I. Cicero Attico S. .... *Ib.*
II. Cicero Attico S. 227
III. Cicero Attico S. 229
IV. Cicero Attico S. 231
V. Cicero Attico S. 232
VI. Cicero Attico S. 236
VII. Cicero Attico S. 239
VIII. Cicero Attico S. 240
IX. Cicero Attico S. 241
X. Cicero Attico S. 242
XI. Cicero Attico S. .... *Ib.*
XII. Cicero Attico S. 244
XIII. Cicero Attico S. 246
XIV. Cicero Attico S. 247
XV. Cicero Attico S. 249
XVI. Cicero Attico S. .... *Ib.*
XVII. Cicero Attico S. 250
XVIII. Cicero Attico S. 251
XIX. Cicero Attico S. 254
XX. Cicero Attico S. 255
XXI. Cicero Attico S. 256
XXII. Cicero Attico S. 259
XXIII. Cicero Attico S. 260
XXIV. Cicero Attico S. 263
XXV. Cicero Attico S. 264
XXVI. Cicero Attico S. 265
XXVII. Cicero Attico S. 266

XXVIII. Cicero Attico S. 267
XXIX. Cicero Attico S. 269
XXX. Cicero Attico S. 271
XXXI. Cicero Attico S. 272
XXXII. Cicero Attico S. 273
XXXIII. Cicero Attico S. 275
XXXIV. Cicero Attico S. .... *Ib.*
XXXV. Cicero Attico S. 276
XXXVI. Cicero Attico S. 277
XXXVII. Cicero Attico S. 278
XXXVIII. Cicero Attico S. 280
XXXIX. Cicero Attico S. 282
XL. Cicero Attico S. 283
XLI. Cicero Attico S. 285
XLII. Cicero Attico S. 287
XLIII. Cicero Attico S. 288
XLIV. Cicero Attico S. 289
XLV. Cicero Attico S. 290
XLVI. Cicero Attico S. 291
XLVII. Cicero Attico S. 292
XLVIII. Cicero Attico S. 293
XLIX. Cicero Attico S. 294
L. Cicero Attico S. 295
LI. Cicero Attico S. 296
LII. Cicero Attico S. 297
LIII. Cicero Attico S. 298

Argumentum libri decimi et tertii 299
M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum liber decimus et tertius 300
Epistola I. Cicero Attico S. .... *Ib.*
II. Cicero Attico S. 301

III. Cicero Attico S. 303
IV. Cicero Attico S. 304
V. Cicero Attico S. 305
VI. Cicero Attico S. 306
VII. Cicero Attico S. 308
VIII. Cicero Attico S. 309
IX. Cicero Attico S. 310
X. Cicero Attico S. 311
XI. Cicero Attico S. 313
XII. Cicero Attico S. 314
XIII. Cicero Attico S. 316
XIV. Cicero Attico S. 317
XV. Cicero Attico S. 318
XVI. Cicero Attico S. .... *Ib.*
XVII. Cicero Attico S. 319
XVIII. Cicero Attico S. 320
XIX. Cicero Attico S. 321
XX. Cicero Attico S. 323
XXI. Cicero Attico S. 325
XXII. Cicero Attico S. 329
XXIII. Cicero Attico S. 331
XXIV. Cicero Attico S. 333
XXV. Cicero Attico S. 334
XXVI. Cicero Attico S. 336
XXVII. Cicero Attico S. 337
XXVIII. Cicero Attico S. 339
XXIX. Cicero Attico S. 340
XXX. Cicero Attico S. 342
XXXI. Cicero Attico S. 343
XXXII. Cicero Attico S. 345
XXXIII. Cicero Attico S. 347
XXXIV. Cicero Attico S. 350

XXXV. Cicero Attico S. 351
XXXVI. Cicero Attico S. .... *Ib.*
XXXVII. Cicero Attico S. 352
XXXVIII. Cicero Attico S. 353
XXXIX. Cicero Attico S. 355
XL. Cicero Attico S. 356
XLI. Cicero Attico S. 357
XLII. Cicero Attico S. 359
XLIII. Cicero Attico S. 360
XLIV. Cicero Attico S. 361
XLV. Cicero Attico S. 362
XLVI. Cicero Attico S. 364
XLVII. Cicero Attico S. 366
XLVIII. Cicero Attico S. 367
XLIX. Cicero Attico S. 368
L. Cicero Attico S. 370
LI. Cicero Attico S. 371
LII. Cicero Attico S. 372

Argumentum libri decimi et quarti 374
M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum liber decimus et quartus 375
Epistola I. Cicero Attico S. .... *Ib.*
II. Cicero Attico S. 377
III. Cicero Attico S. 378
IV. Cicero Attico S. 379
V. Cicero Attico S. 380
VI. Cicero Attico S. 382
VII. Cicero Attico S. 383
VIII. Cicero Attico S. 384
IX. Cicero Attico S. 386
X. Cicero Attico S. 387

XI. Cicero Attico S. 390
XII. Cicero Attico S. 392
XIII. Cicero Attico S. 394
Antonius consul M. Ciceroni S. D. 397
Cicero Antonio cos. S. 398
XIV. Cicero Attico S. 400
XV. Cicero Attico S. 403
XVI. Cicero Attico S. 405
XVII. Cicero Attico S. 407
Cicero Dolabellæ cos. suo S. 408
XVIII. Cicero Attico S. 411
XIX. Cicero Attico S. 413
XX. Cicero Attico S. 415
XXI. Cicero Attico S. 418
XXII. Cicero Attico S. 420

Argumentum libri decimi et quinti 423
M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum liber decimus et quintus 424
Epistola I. Cicero Attico S. .... *Ib.*
II. Cicero Attico S. 428
III. Cicero Attico S. 430
IV. Cicero Attico S. 431
V. Cicero Attico S. 435
VI. Cicero Attico S. 436
Hirtius Ciceroni suo S. 437
VII. Cicero Attico S. 438
VIII. Cicero Attico S. 439
IX. Cicero Attico S. 440
X. Cicero Attico S. 441
XI. Cicero Attico S. 443
XII. Cicero Attico S. 446

XIII. Cicero Attico S. 448
XIV. Cicero Attico S. 451
Cicero Dolabellæ cos. suo S. .... Ib.
XV. Cicero Attico S. 452
XVI. Cicero Attico S. 454
XVII. Cicero Attico S. 455
XVIII. Cicero Attico S. 457
XIX. Cicero Attico S. 458
XX. Cicero Attico S. 459
XXI. Cicero Attico S. 462
XXII. Cicero Attico S. 463
XXIII. Cicero Attico S. 464
XXIV. Cicero Attico S. 465
XXV. Cicero Attico S. .... Ib.
XXVI. Cicero Attico S. 467
XXVII. Cicero Attico S. 469
XXVIII. Cicero Attico S. 471
XXIX. Cicero Attico S. 472

Argumentum libri decimi et sexti 474
M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum liber decimus et sextus 475
Epistola I. Cicero Attico S. .... Ib.
II. Cicero Attico S. 479
III. Cicero Attico S. 482
IV. Cicero Attico S. 484
V. Cicero Attico S. 486
VI. Cicero Attico S. 489
VII. Cicero Attico S. 492
VIII. Cicero Attico S. 496
IX. Cicero Attico S. 497
X. Cicero Attico S. 498

XI. Cicero Attico S. 499
XII. Cicero Attico S. 505
XIII. Cicero Attico S. 506
XIV. Cicero Attico S. 509
XV. Cicero Attico S. 511
XVI. Cicero Attico S. 515
XVI, a. M. Cicero L. Planco, præt. des. S. ...... *Ib.*
XVI, b. Cicero Planco, præt. des. S. 517
XVI, c. Cicero Capitoni suo S. 519
XVI, d. Cicero C. Cupiennio S. 520
XVI, e. Cicero Planco, præt. des. S. 521
XVI, f. Cicero Capitoni S. 522

Præfatiuncula 525
M. T. Ciceronis epistolarum ad Q. fratrem liber primus 527
Epistola I. Marcus Q. fratri S. 528
II. Marcus Q. fratri S. 551
III. Marcus Q. fratri S. 561
IV. Marcus Q. fratri S. 567

M. T. Ciceronis epistolarum ad Q. fratrem liber secundus 570
Epistola I. Marcus Q. fratri S. .... *Ib.*
II. Marcus Q. fratri S. 574
III. Marcus Q. fratri S. 576
IV. Marcus Q. fratri S. 582
V. Marcus Q. fratri S. 584
VI. Marcus Q. fratri S. 585
VII. Marcus Q. fratri S. 589
VIII. Marcus Q. fratri S. 590
IX. Marcus Q. fratri S. 591
X. Marcus Q. fratri S. 594

XI. Marcus Q. fratri S. 597
XII. Marcus Q. fratri S. 599
XIII. Marcus Q. fratri S. 602
XIV. Marcus Q. fratri S. 605
XV. Marcus Q. fratri S. 607
XVI. Marcus Q. fratri S. 612

M. T. Ciceronis epistolarum ad Q. fratrem liber tertius 616
Epistola I. Marcus Q. fratri S. .... *Ib.*
II. Marcus Q. fratri S. 629
III. Marcus Q. fratri S. 632
IV. Marcus Q. fratri S. 634
V. Marcus Q. fratri S. 638
VI. Marcus Q. fratri S. 641
VII. Marcus Q. fratri S. .... *Ib.*
VIII. Marcus Q. fratri S. 642
IX. Marcus Q. fratri S. 645

M. T. Ciceronis epistolæ ad M. Brutum, et M. Bruti ad Ciceronem 650
Epistola I. Cicero Bruto S. .... *Ib.*
II. Cicero Bruto S. 652
III. Cicero Bruto S. 654
IV. Brutus Ciceroni S. 656
V. Cicero Bruto S. 660
VI. Brutus Ciceroni S. 662
VII. Brutus Ciceroni S. 664
VIII. Cicero Bruto S. 665
IX. Cicero Bruto S. 666
X. Cicero Bruto S. 667
XI. Brutus Ciceroni S. 670
XII. Cicero Bruto S. 672

XIII. Brutus Ciceroni S. 674
XIV. Cicero Bruto S. 675
XV. Cicero Bruto S. 676
XVI. Brutus Ciceroni S. 683
XVII. Brutus Attico S. 689
XVIII. Cicero Bruto S. 694
XIX. Cicero Bruto S. 697
XX. Cicero Bruto S. 699
XXI. Brutus Ciceroni S. 700
XXII. Cicero Bruto S. 701
XXIII. Brutus Ciceroni S. 702
XXIV. Cicero Bruto S. 704
XXV. Cicero Bruto S. 705

Epistolarum fragmenta 709

FINIS TERTII ET ULTIMI VOLUMINIS QUARTÆ PARTIS.

Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total : 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de :

vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.
20	Cicéron,	100	—	365.
3	Claudien,	11	—	37.
1	Florus,	6	—	13.
3	Horace,	18	—	38.
1	Justin,	6	—	16.
3	Juvénal et Perse,	16	—	49.
2	Juvénal seul,	12	—	32.
3	Lucain,	16	—	38
3	Martial,	16	—	48
10	Ovide,	60	—	125.
1	Les Métamorphoses en grec,	6*	—	16.
2	Phèdre,	12	—	37.
4	Plaute,	21	—	61.
13	Pline l'ancien,	65	—	186.
2	La zoologie avec notes de Cuvier,	12	—	30.
2	Pline le jeune,	10	—	25.

vol.		fr.		fr.
1	Properce,	8	au lieu de	16.
3	Quinte-Curce,	17	—	50
7	Quintilien,	35	—	94.
10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	146.
2	Silius Italicus,	10	—	32.
4	Stace,	20	—	61.
2	Suétone,	14	—	36.
3	Térence,	16	—	38.
1	Tibulle,	6	—	16.
13	Tite-Live,	65	—	165.
2	Val. Flaccus,	10	—	27.
3	Val. Maxime,	13	—	35.
1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
8	Poetæ minores,	36	—	113.
4	César.	Ne se vendront pas séparément.		
1	Corn. Nepos,			
1	Salluste,			
6	Tacite,			
9	Virgile,			

SOUS PRESSE :

T. LUCRÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au prix des autres volumes.

N. B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, on ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de la seconde souscription

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.